


MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1742

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 K 4⁰

NOVA
ACTA
ERUDITORUM,
ANNO
MDCCXLII
publicata.

*Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque
Electoris Saxonice Privilegiis.*

L I P S I Æ,


Prostant apud MAURIT. GEORG. WEIDEMAN-
NUM, JO. FRID. GLEDITSCHIUM, &
B. LANCKISII hæredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT.
ALBRIZZIUM & SEBAST. COLETUM, Parisiis apud BRIASSONUM,
Ultrajecti apud JO. BROEDELETUM, & Amstelodami in WAES-
BERGIORUM & WETSTENII officinis.

MDCCXLII.



Lectori Salutem!



quod dudum facere, exacto quoque anno, consuevimus, nunc quoque tuum, Lector, absoluto penso annuo, subire vultum non veremur, optime actorum nobis conscii, nec de tuo, quo æquius esse nullum potest, iudicio timentes quidquam. Nam, si superiores anni hac ex parte longe nobis jucundissimi ac prorsus auspiciati acciderunt, largissimumque nobis hunc laboris nostri fructum attulerunt, quod, nostra tibi studia probari tantum, quantum potest maxime, intelleximus, de postremo hoc sperare nobis multo melius licebit, cuius quippe quedam esse præcipua, nec cum ceteris communis, gloria videtur. Præterquam enim, quod a solito Actorum Opere, in æternum, si Diï voluerint, ævum abituro, nihil cessarunt Musæ nostræ, nec, qui eo nomine torporem & ignaviam his exprobrat, facile futurus quisquam est Lectorum; cogitarunt etiam haud ita pridem de texenda nova tela, & in lucem revocando bonum illud literisque salutare Miscellaneorum Lipsiensium, olim in hac Academia non sine docti orbis plausu editorum, institutum, testatum esse omnibus hoc voluerunt, nihil non suarum rerum & curarum literis & harum incrementis sacrum se habere, & si qua opera bonarum artium augere decus possint, eam a se promite libenterque conferri. Cujus consilii cum sit omnis ratio haud ita pridem in his Actis explicata, jamque operis ipsius Partes tres Lectorum manibus versentur, unde, quid a nobis expectandum sit in tempus posterum, haud difficile existimari possit; jam quidem alios malimus libere de re universa judicare, quam ad ejus commendationem quidquam a nobis ipsis proferri. Unum hoc nescire volumus Lectores, cum Actis ipsis nihil novis hisce Miscellancis

cognitionis intercedere, nisi quod iidem utriusque operis Autores atque architecti sint, & utrumque spectet ad juvandam literarum causam; ceterum, quod ad tractandi rationem & argumentorum genus, tantum hæc inter se discrepare, quantum, qui dicit ipse, ab eo, qui dicta aliorum refert, discrepat. Nimirum in Actis, quid aliena excuderit industria, narramus, ea laude contenti, quam, qui dicta atque facta aliorum describit diligenter, expectare demum potest; in Miscellaneis ipsi aliquid excudere, & scientiarum, si fieri possit, proferre fines, conamur. Sed, cum probe memineras, talia nonnulla, quæ novo Miscellaneorum operi nunc destinata sunt, in ipsis olim Actis locum invenisse; his saluum etiam in posterum hoc decus volumus, imprimis si, quæ mitti ad nos aliunde solent, rem mathematicam aut naturalem, utramque Actorum a multis inde annis quasi propriam, spectent, aut, malle se per Acta, quam per Miscellanea, in publicam hominum notitiam venire, ipsi nobis Autores significent. Invitados autem ad has dapes omnium terrarum atque nationum viros doctos volumus, liberumque his, utendi nostra opera, non ea mercenaria, sed prorsus liberali, jus facimus, ita certissime futurum ominantes, ut multi aliquando fame suæ magnam partem hisce Miscellaneis acceptam referant, sicut fatentur multi, quod aliquod nunc inter externos nomen habeant, id Actis deberi. Sed, ut hominem etiam sciant, ad quem sua transmittere tuto possint, qui admitti in societatem nostram cupiunt, Fridericum Ottonem Menckenium nominamus, utriusque Juris Doctorem, & Regis nostri Consiliarium aulæ, qui Miscellanea hæc colligendi atque publicandi curam lubens suscepit, hanc literarum dignitati consulendi parum speciosam rationem splendidissimis aliorum sive factis, sive consiliis, longissime præponens, & quod sui esse muncri intelligit, recte diligenterque præstiturus. Sed, ut prosperos incepta hæc successus habeant, Deorum opus est auxilio, quibus adeo hoc æque, ac cetera nostra omnia consilia, religiose, conceptisque votis, commendamus.

* * *

N. I.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXLII.

*M. ANNÆI LUCANI PIARSALIA, CUM COM-
mentario PETRI BURMANNI.*

Leidæ, apud Conradum Wishoff, Danielem Gœtial, & Georg.
Jac. Wishoff, fil. Conradi, 1740, 4 maj.

Alph. 5 plag. 4½.

Quadragesima fere anni sunt, cum Cel. *Petrus Burmannus* ab heredibus *Heinsianis* copiam nactus, serinia *Heinsii*, & in iis scripta, partim summam manum adepta, partim in lituariis jacentia, & inchoata & assecta tantum, inspiciendi, curam illis concinnandis, & in lucem proferendis, adhibere cepit. Cumque inter alia editionem *Lucani* a *Sebastiano Grypho* A. 1542 curatam reperisset, ad cujus oram variantes plus quinque & viginti Codicum lectiones, & simul, quæ inter legendum & conferendum ipsi natæ fuisse videbantur, conjecturas suas Vir illustris alleverat, statim quidem imperum cepit, aliis tunc curis districtus, nudum Poetam, & solis tot exemplarium discrepantibus lectionibus ornatum, proferre. Sed, parato licet exemplari typis committendo, cum inter hanc meditationem ipsi quaedam annotationes illustrandis Poetæ verbis subnascerentur, eas digerere, & *Heinsianis* conjecturis admiscere, cepit, & consilio, quod prius intenderat, mutato, in tempus aliquod *Lucani* editionem distulit, maxime quod *Academix patriæ* novus Professor muneris rationem sibi habendam putabat, & curis, quas *Ovidio*, *Quintiliano*, *Valerio Flacco*, aliis, infumebat, simul impediabatur. His impedimentis tandem superatis,

A

&

e. NOVA ACTA ERUDITORUM

& serio in ordinem redactis suis & aliorum in *Lucanum* annotationibus, consilium ad exemplum & formam *Ovidii Lucanum* edendi, rumor, et deinde literæ a Cel. *Bentlejo*, quibus se jamjam Poetam typis exprimendum daturum nuntiavit, retardarunt. Nam, quamvis *Heinsianorum* excerptorum Doctiss. *Bentlejo* copiam non fecerit, quod iis ipse uti decreverat, tamen ipse in præfens omnem de *Lucano* curam tunc abiecit. Postea vero, quam pro certo ipsi affirmatum erat, *Bentlejum*, si non projecta, certe dilata, *Lucani* editione, se ad alias curas convertisse, quod eventus confirmavit, lente sibi in perpoliendis *Lucano* festinandum duxit, quod multa etiam in *Lucani* verbis obscuris & corruptis supererant, ex quibus nec dum se expedire poterat. Dum itaque cunctatur, & hic & illic consilii sui de edendo *Lucano* ipse mentionem facit, alia iterum mora injicitur, quod *Franciscus Oudendorpius* & *Gottlieb Cortius*, Clarissimi Viri, in eandem *Lucani* edendi curam se incumbere significabant. Ampla vero *Oudendorpii*, & *Cortii* minoris formæ, editione divulgata, ita utriusque, quos appellare solet, juvenis copiosis usus est, ut varietates, quas *Oudendorpius* indicavit, ex Codicibus etiam *Heinsio* inspectis abjiceret, *Cortianorum* autem Codicum lectiones, ignarus adhuc, an uberiores notæ proditura essent, quantum potuit, excerpfit, in quibus se fatetur multa ab aliis discrepantia animadvertisse, & semina quædam emendationum, quæ in majori editione in magnam segetem exitura essent, prævidisse, nec se exputare posse affirmat, qua specie non audaces modo & temerarias conjecturas, sed & certissimis metri legibus advertantes, doctis probaturus sit. Ut igitur accuratius, quam olim, *Lucanum* excuteret, diligentius iterum iterumque excerpta *Heinsiana* recognovit, & varietates omnes fere notis suis inseruit, quoniam a se impetrare non potuit, ut novum illum morem, varias lectiones, medio spatium inter Poetæ verba & notas, minutissimo caractere expressas collocandi, sequeretur. Recte etiam & ordine fecisse *Cortium* & *Oudendorpium* decernit, qui omnes fere, quas in libris antiquis repererunt, varietates indicarunt, quam quidem sectam & ipse in hac editione secutus est, quia ex corruptissima etiam scriptura usu peritos

peritos Criticos vestigia veræ lectionis quærendo investigasse constat, nec *Clerici*, maledicentissimi hominis, calumnia, qui æquinos membranarum onustos redire ex peregrinationibus viros eruditos, qui Codices MStos coemerunt, jactavit, se ab hoc instituto dimoveri debuisse, palam fatetur. Neque *Bentlejum* sibi imitandum censuit, qui, neglecta Codicum & editorum & scriptorum autoritate, Poetas edere sustinuisse ipsi videtur, & dilatorio fastu versus nobis obtrusisse nunquam ab Autore profectos, alios magno numero, ut spurios, eiecisse. Cujus rei insigne documentum in *Manilio* cum primis exstare voluerit. Ipse *Burmamnus* salubris & placidæ Critices documentum in his in *Luæcanum* notis dare in primis studuit, cum, licet inter tot discrepantes inter se lectiones uberrima ipsi corrigendi & conjectandi seges ostenderetur, quoties vulgatæ tolerabilem aliquam sensum posse dari videret, ab omni verborum immutatione manum abstinuit; si vero ulcus subesse constaret, propositis sua & aliorum sententiis, intactum illud felicioribus ingeniis reliquit, aut eligendi arbitrium lectoribus tulit. Sic *Lib. I vers. 45, te, cum, statione parata, Astra petes ferus, Cortius* ex suo Codice dedit, *statione relicta*; quæ quia lectio nimis ab aliorum Codicum scriptura, neque firmatur etiam membranarum, quas alii magno numero inspexerunt, consensu, eam rejicit, & ab ipsius *Cortii* conjectura esse suspicatur, nisi librarii hujus menti obversatus est locus ex *Lib. VII v. 235: Illo forte die Caesar, statione relicta*, ubi tamen ipse *Cortius* legit, *statione soluta*. *Cortio* vero videtur, de sententia *Burmamni*, in memoria hæsisse ille *Ovidii* versus ex *Lib. II Trist. v. 219: Scilicet imperii, princeps, statione relicta*; quare hanc emendationem auctori suo, si viveret, vindicandam relinqueret. Interim, quia dubitat, an Latine quidem satis dicatur, *parata statio*, eo sensu, quo tempus illud imperio destinatum obierit Imperator, magis accederet conjecturæ *Heinsii*, qui legebat *statione parata*, quem, etsi non adscripsit modum, quo hæc verba explicat, credidit eo sensu cepisse, ut Poeta, adulandi artifex, licet non sine sale, dicat, *Neveni* locum jam in cælo paratum, in quo post mortem, ut *Caesar, Augustus, & alii* consecrati, tanquam sidus novam fulgeret.

4 NOVA ACTA ERUDITORUM

ret. At, quia tamen tot singularia habet *Lucanus*, non audeat Vir Celeberrimus mutare *peracta statione*, pro imperii munere & tempore exacto capiendum. *Lib. I vers. 381: Castra super Tusci si ponere Thybridis undas, Hesperius audax veniam metator in agros.* Hic, quanquam in partes discedunt varias membranae, his *signa*, illis *castra*, exhibentibus, tamen, quia *castra* aptius convenit voci *metator*, rectius hoc *Oudendorpium* & *Corcium* praeferre iudicat. Sed aliud est, quod ipsi vulgatam lectionem faciat suspectam. An enim *super undas castra* quis unquam posuit? An vero Tybrim hic pro regione circa Tybrim capiemus? An *super* pro *ultra* posset capi? Hinc conjectura, sed nulli invito obrudenda, legit. *Castra per Etrusci si ponere Thybridis undas*, id est, tota, qua fluit Thybris, regione. *Drakenborchius*, quocum conjecturam suam communicarat *Burmannus*, malebat, *Castra sub Etrusci*, ut illud *per* in *super* natum ex primis literis *Etrusci* esset. Forsitan haec legentibus succurrent *castra nautica* in Historicis obvia, ita quidem, ut Poeta dicat exercitum per undas delatum, & antequam castra in agris posuisset, posita habuisse in undis nautica. *Lib. I vers. 565: tum, quos scelis Bellona lacertis saeva movet, cecinere Deos.* Hic quid tibi velint verba, *cecinerunt Deos*, interpretibus non constat: Scholiastae opinione ordo est: *Dii cecinerunt saeva, quos movet Bellona scelis humeris.* Est autem figura, *quos Deos*, ut *Virgilius*, *Urbem, quam statuo, vestra est*, pro *urbis*, sic *Deos* pro *Dii*. Quem hic valde errare censet Cl. *Oudendorpius*, rectiusque *Omniborum Deos* sumfisse pro oraculis Deorum, ipse tamen malit scribere *Deam*, scilicet Bellonam. *Burmanno* autem nondum hic locus apparet liquidus; quare haec relinquit aliis sananda, vel explicanda. Si conjectura uti in re obscura licet, forsitan Scholiastae opinio verae nobis sententiae viam faciet. Scilicet vox *Deos* referri potest omnino ad relativum *quos*, per figuram a Grammatico adductam, non eo tamen, quo iste vult, significatu, sed ita, ut per *quos Deos* intelligamus illos ipsos Gallos, qui hic cecinisse dicuntur, quos omnino Bellona saeva movet. Nam priora illa verba, *tum, quos scelis Bellona lacertis saeva movet, cecinere Deos*, tantum nobis videntur generatim significare,

Gallos

Gallos cecinisse entheos. Posteriora autem, *crinemque rotantes sanguineum populis ulularunt tristia Galli*, & modum vaticinandi & argumentum indicare. Etenim ingenio *Lucani* non plane advertim exstimamus, Gallos a Dea agitados nominare ipsos Deos. *Lib. I vers. 103: Ionium Ægeæ frangat mare.* His verbis *Cel. Burmannus* veram omnino sententiam vindicavit, ab iis, qui ante eum commentati sunt, vix perceptam. Nempe *Lucanus*, hic ruptam triumvirorum concordiam morte *Crassi* describens, utitur comparatione, sumpta ab Isthmo Corinthiaco, qui, medius inter Ionium & Ægeum mare, prohibet hæc duo æquora, quæ a Poetis, ut atrocita, tempestuosa & irata, passim describuntur, coire; sed, si Isthmus ille perumperetur & tolleretur, sæva hæc maria inter se commissa ingentes tumultus excitatura, canit his verbis: *Si terra recedat, Ionium Ægeæ frangat mare.* Quo modo si legatur, vix menti Poetæ satis fiet. Nam frangi mare dicitur, cum ejus violentia, objecto aliquo scopulo, litore, aut quocunque obice, repellitur, & vis ejus retunditur. Sic ergo Isthmus manens potest dici *frangi ab utroque mari*, & vicissim *frangere* quoque & repellere *fluctus utriusque æquoris*, sublato vero Isthmo utrumque æquor irrumpeus conferet fretum, & atrocissimos ibi concurrentibus undis fluctus excitabit. Sic, sublato *Crasso*, qui *medius inter Pompejum & Cæsarem*, belli civilis mora supra v. 100 dicitur, hi duo violentissimi & imperium affectantes inter se exercebant iras suas. Hinc, quia cogitat, millies a librariis præpositiones verborum omittas aut absorptas celeritate scribendi, sollicitatur *Cel. Burmannus*, ut locum corruptum credat & legat, *si terra recedat, Ionium Ægeæ infringat mare*; hanc vero lectionem stabilire videtur ipsa duorum marium natura. Nam *Strabo, Lib. I pag. 54* narrans conatum *Demetrii Poliorceta*, Isthmum Corinthiacum perfodere meditantis, repressum ait ab architectis & locorum peritis, qui monebant, Ionium mare in sinu Corinthiaco longe altius esse Ægeæ in sinu Saronico, ideoque, si Isthmus perfoderetur, tanto impetu Ionium mare irrupturum, ut Æginam & vicinas insulas aquis obrutas submergeret. Sic ergo non Ægeæ mari frangi poterat Ionium, quod erat altius,

nec immitti poterat Ægæum Ionio, ut ejus fluctus atroces frangeret, sed rupta terra infringeret Ionium altius & violentius inferius Ægæum. Et ita factum. *Crasso* enim, arma duorum ducum dirimente, sublato, *Cæsar*, Ionium veluti mare, immisus in *Pompejum*, quasi Ægæum, facta via per mortem *Crassi*, imperu suo omnia obstacula perrupit, & inferiores sibi cedere coegit. Atque his quidem eleganter dictis, docteque disputatis, illud unicum adjiciendum putamus, *Cæsarem* ideo fortasse a Poeta comparari mari Ionio, quod copiis nitebatur occidentalibus, *Pompejum* autem Ægæo, quia viribus Orientis utebatur. *Lib. III vers. 404: structæ divis altaribus aræ.* Quam lectionem *Oudendorpius* restituit, & *altaribus*, præcuncto *Servio*, accipit pro ipso libamine & oblato sacrificio, in quo refutando vel ideo multus est *Burmannus*, quod notaverat ea, quæ ad *Quintilianum Decl. XII, 26*, scripta fuerunt. Ceterum passurum se ait vulgatam lectionem circumferri, si *altaribus* non pro libamine aut sacrificio, sed pro parte aræ illa, quæ Græcis ἐπίχυρον vocatur, sumamus, quamvis *divis feralibus* elegantius & clarius existimet. *Lib. V vers. 137 seq: satique sat est arcana futuri Carmina longæva vobis commissu Sibyllæ.* In his verbis explicandis admodum viros doctissimos hæsilisse, & varias protulisse conjecturas, ex *Oudendorpii* editione perspeximus. *Cel. Burmannus* putat, unica mutata litera sensum optimum exire, si legatur, *sarique sat est arcana futuri Carmina longæva, vobis commissu, Sibyllæ*, ut *sari* opponatur τῷ ἵλει, hoc sensu: Sat est, id est, sufficit vobis, Sibyllam, cujus carmina vobis sunt conmissa, arcana futuri temporis sari, quæ vos soletis per quatuordecim viros inspiciendis libris Sibyllinis cognoscere. Quare vobis Romanis non necesse est ad Phœbum Delphicum decurrere. Itaque, licet ex his intelligi possit, cautum in offerendis conjecturis & modestum cum aliis, tum ad *Lucanum*, fuisse *Burmannum*, habet tamen etiam quædam, quæ audaciora dici omnino possint. *Lib. I vers. 71: Stagna avidi saxore soli, laxeque paludes.* Displicet hic Interpretibus, & ipsi *Burmanno*, illud *avidus*, pro quo plures *udi soli* maluerunt. *Cortius* vero prorsus contra leges metricas *vidi soli* voluit. Quoniam vero
in

in Codice uno erat, *stagna vagi texere soli*, inde *Burmannus* se finxisse scribit, *stagna vadi texere solo*, id est, in fundo non profundo stagni latuit, vel *vadis texere soli*; qua locus palustris, ulva limosa & arundinibus plena, dicitur fuisse. Sed, diligentius expensis verbis *Plutarchi* in vita *Marii*, qui dicit, senem quendam occultasse *Marium εν χωρίω κοίλω, in loco cavo*, ad fluvium, & iniecisse arundinem multam & aliam materiem, credit, posse legi, *stagna cavo texere loco*. Longius hæc nobis a vulgata videntur recedere, præsertim cum & nullus Codex addicat, & vulgata lectio sensum omnino aliquem rei, de qua agitur, convenientem habeat. Scilicet *avidum solum* dici posse videretur id, quod instar speluncæ aut hiatus in stagno aquam avide sorbet immissam. Interim tamen editio hæc, a *Cel. Burmanno* procurata, non tantum in multis præferenda nobis videtur *Oudendorpianæ*, sed & plane videretur necessaria iis, qui alias & maxime commemoratam recte examinare cupiunt. Digna etiam est Præfatio, quæ ab harum rerum studiosis perlegatur, in qua, post facta sui in *Lucanum* laboris commemorata, & sententia de *Oudendorpio*, *Cortio*, *Bentlejo*, aliis, libere, & interdum liberius, dicta, de *Lucani* genio scribendi, & a *Virgilio* & *Augusti* seculi scriptorum stilo longe discedenti, distinet, & ostendere instituit, quam ipsi singularia quædam & inepta etiam placuerint. Adjectus denique est Index tam in *Lucanum* ipsum, quam in annotationes *Cel. Editoris*, quem ipse in Præfatione faceret ab alio in Bibliopola gratiam confectum esse.

A PARAPHRASE AND NOTES ON THE EPISTLE
of St. James, &c.

hoc est,

PARAPHRASIS ET NOTÆ IN EPISTOLAM S.
Jacobi ad modum *Lockii*. Accedit *Dissertatio* in *Jac.*
II, 14-20, sive specimen conciliationis sententiæ *S. Pauli*
de justificatione hominum per fidem, & *S. Jacobi* de
justificatione ipsorum per opera; eodem Autore, qui
Paraphrasin & *Notas* in *Epistolis S. Pauli* ad *Philemonem*,
nem,

8 NOVA ACTA ERUDITORUM

nem, ad Theſſalonicenſes, ad Timotheum, & Titum, antehac edidit.

Londini, ſumtu Richardi Ford, 1738, 4 maj.

Plag. 19.

Dudum eſt, quod optavimus, ut hi Nov. Teſt. Commentarii, ad modum *Jo. Lockii* elaborati, ad nos perferrentur. Sed eos nondum accepimus, qui in *Paulinas* exſtant Episto- las. Quo minus mirari convenit, Autoris nomen nos præterire, qui in his eam in rationem adornandis multus fuit. Hoc vero ſciſcitabimur & indicabimus, ſimul ac Notas in Episto- las *Pauli- nas* receperimus, quarum cauſa Londinum nuper admodum ſcripſimus. Quod dum fiat, ipſam rei propoſitæ naturam nunc explicabimus, ne ſtudio hac in re noſtrum deſideretur. Tum vero in hac præſenti Epistolæ *S. Jacobi* Paraphraſi recensenda nonnihil operæ ponemus, ut eſt noſtræ conſuetudinis, quam ſancte tenebimus. *Lockius*, quo nemo antehac acutius in Magna Britannia philoſophabatur, nexum rerum ac rationum interio- rem magis, quam verba, ſcrutandum eſſe, in præmiſſa longiori *Præſatione, hiſtoriam S. Pauli* ſimul complectente, præcipie- bat. Hoc ſcitum ſuum *Paraphraſi & Notis in Episto- las S. Pauli ad Galatas, ad Romanos, ad Corinthios, & Epheſios*, illuſtravit. Hoc enim ordine has collocavit Episto- las. Præmiſit cuique bre- vem *Synopſin*, in cujus margine *tempus ſcriptionis* indicatur. Ipſa tractatio varias in ſe continet *Sectiones*, & commata nullius non *Capitis* aliqua, acrite inter ſe connexa, ſeparantur & eno- dantur. Modus hic eſſe ſolet. Præcedunt ſemper *contenta* par- tis explicandæ. *Textus* ex verſione Anglica deſumitur, in cujus ſtatim regione liberior & copioſior adjungitur *Paraphra- ſis*. *Nota* vero in ora ſubjiciuntur. Cetera vide in horum *Actorum Supplem. Tom. V Sect. V pag. 215 ſeq.* ubi compendiaria libri *Lockiani* reperitur enarratio. Ad hanc igitur normam igno- tuſ ille ſeſe accommodavit explanator. *Paulinas* quidem Epi- ſto- las, quas *Lockius* omiſerat, ſua explanavit opera, & quæ ab aliis Autoribus a Deo actis & eruditis profectæ ſunt, eas ſi- mili ratione enucleare decrevit. In his primum delegit *S. Ja- cobi*

cobi Epistolam, de qua nunc separatim exponendum erit. Loco Præfationis Autor, cujus nos fugit nomen, historiam *S. Jacobi*, & hujus seriptionis Epistolæ, satis copiosam præire jussit. Hæc in quatuor distributa est *Sectiones*, quarum *prima* *Jacobum* majorem, *Zebedæi* filium, & *Joannis* fratrem, hujus Epistolæ Autorem esse, negat; *altera* vero *Jacobum* minorem, seu juniorem, *Alphæi*, seu *Cleopha*, filium, illius esse confectorem, iis vincit rationibus, quæ magna valent probabilitate. Quæ sequitur, *tertia* eos inquit, ad quos hæc exarata fuit Epistola, ex *Cap. I, 1*. Erant nimirum omnium 12 tribuum Judæi, qui extra Judæam tum vivebant, & Christianam receperant religionem. *Sectio quarta*, eaque ultima, causas hujus scriptæ exponit Epistolæ, quæ hæc erunt fere: Legatus Domini 1) vult Judæos, qui Christi civitatem adsciverant, in tempore cohortari, ut a vitiiis caveant, quæ inter ejus ætatis Judæos serpebant; 2) *Jacobi* propositum eo valebat, ut Christianos, qui Judæi antehac fuerant, in doctrina de justificatione per fidem rectius erudiret; 3) ut ægrotis inter ipsos spem miraculose cujusdam faceret sanationis; & denique 4) ut Judæos, Christo faventes, præmoneret, ut, quæ a civibus suis, incredulis Judæis, sibi imminerent, vexationes æquo nec abjecto animo ferrent. Hæc præcipua Epistolæ *S. Jacobi* causa esse videtur, & efficacius in ea solatium ab instante totius reipublicæ Judaicæ interitu ductum est. *Synopsis* omnia, quæ illuc pertinent, singularia separatim exponit, & ejusmodi est, ut singula illustret *Capita*. In margine *tempus seriptionis & locus* his designatur verbis: scripta Hierosolymis anno Domini 63, *Neronis 9*, paulo ante *S. Jacobi* obitum. *Paraphrasis* ita ubique comparata est, ut digna sit, quæ eruditi Commentarii loco habeatur. *Notæ* vero probatissima in se continent subsidia, unde omnis ducitur explanatio. Rationum nexus cum cura semper attenditur. Vocum ac phrasium potestas ex optimis antiquæ Græciæ scriptoribus demonstratur. Historia imprimis Judæorum vocatur in auxilium, ad lucem obscurioribus locis accendendam. Labor omnis tam bene cessit Autori, ut *Lockio*, quem imitari voluit, palmam, si non præripuisse, dubiam tamen reddidisse, jure meritoque censeretur. Nos ex omnibus

Pag. 1

7.

13.

19.

21.

25 seq.

- Pag. 32. *quinque Capitibus* quædam specimina exempli gratia profere-
 mus. *Cap. I v. 9, 10*, vocula δὲ bis ponitur, verum eadem prius
 posita pro μὲν adhibetur; id quod in aliis Græcis Autoribus
 identidem accidere solet. Sensus verborum hic est: ἀδελ-
 φὸς ὁ ταπεινός, *frater, id est, Christianus, quidem pauper*
 & *humilioris conditionis, καυχῶμαι ἐν τῷ ὕψει αὐτοῦ, letetur*
excellencia sua, id est, dignitate, honore, ac divitiis, quas a
Christo impetravit. Judæi non nisi caduca in deliciis habebant,
& Messiam, magnum orbis principem, prætolabantur, a quo
temporarios sibi honores & divitias spondebant. Ab his terre-
nis rebus animos recens credentium Judæorum avocavit & abdu-
 33- *xit S. Jacobus. Ὁ δὲ πλείσιος, scilicet ἀδελφός, dives autem fra-*
ter, καυχῶμαι, ex v. 9, letetur ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ, humi-
litate & paupertate sua, si qua forte Christi causa ipsi toleran-
da sit. In reliquis, quæ consequuntur, verbis, ἔτι ὡς ἀθε-
οῦστε παρελεύεσθε, nemo est, quin ἔλαψιν perspiciat, hunc
in modum supplendam: nam, si Christi causa fortunas suas
perdere recusat, sicut flos agri peribit. Hæc profecto con-
cinnam orationis connexionem v. 11 & 12 egregie confirmant.
 35. *Qua quidem occasione divinus Domini orator vocabulum πε-*
ρασμὸς ad vexationem sanctorum exprimendam usurpaverat.
 37. *Hinc v. 13 ejus vocis de medio tollit ambiguitatem, ne ex πε-*
ρασμῷ Deo tributo concludant, eum esse peccati autorem.
 38 seq. *Ejusmodi de Deo notionem ex falsâ quorundam S. Pauli ora-*
culorum interpretatione hauserunt, ut videtur, Judæi. Quo-
 41 seq. *circâ S. Jacobus in eo multus est, ut eam ex animis credentium*
Judæorum eradicet. Hoc quidem loco phrases, tentari a Deo,
cor obdurare, quod Deo adscribitur, erudite & copiose Angli-
 52. *cus enodavit interpres, qui & ad v. 13, 14 seq., Deum mali cau-*
sam haud esse, valide satis demonstravit. Cap. II v. 2 vox συνα-
 57. *γωγὴ domum designat privatam, in qua Christiani convenie-*
bant, exercitiis sacris operam navaturi. Apostolus enim ad
eos scribit, qui συναγωγὰς loca sanctioribus conventibus dicata
nominabant. Ibidem v. 8 νόμος βασιλικὸς lex regia disciplina
Christiana vocatur, eo quidem sensu, quo nomen βασιλικὸς
in Græcis monumentis istud dicitur, quod in suo genere præstans
 5

Eximium est. Sic βασιλικὸς βίος est regia vita, βασιλικὴ ἐσθῆς, regia vestis, βασιλικὸν συμπόσιον, regium epulum; βασιλικὸς αἴτηρ, stella regia, & βασιλικὴ ἀμπέλως, regia vites. Quam in sententiam, ante dies Apostolorum, eandem phrasin Xenophon Oeconom. pag. 856 D. edit. Leunclav. adhibuit, ubi leges Regis Persiæ, Draconis ac Solonis axonibus oppositæ, βασιλικὸὶ νόμοι vocantur; ut locum hunc eleganter exposuit Autor. Conf. Matth. XXII, 34-40, Marc. XII, 28-34. Cap. III v. 1 S. Jacobus novos Servatoris ex Judæis amicos cavere jubet, ne *nul- ni* ex ipsis titulum magistri aut Rabbi affectent. Hæc nimirum affectatio ambitiosa, inter Judæos olim usitata, postea in civitatem Christianam invec̄ta esse reperitur. Vid. Clemens Romanus in Ep. ad Cor. §. 41 seq. 44, 47, 48 ad fin. §. 54 & 57 init. Vult ergo legatus Christi, ne multi magistri & censores aliorum in Ecclesiam Christianam admittantur. Addit: cum sciamus, si quos nostrum, qui aliis præsumus, culpa ipsos redarguat, vitia tunc nostra auctum iri, & majorem tandem condemnationis gradum nobis metuendum esse. Pergit v. 2: *Omnes enim ad peccandum proclives facile sumus.* Quare in eo cauti simus ac providi, ne hujusmodi affectemus stationem, in qua ipsa nostra vitia redduntur graviora. *Quodsi quis in sermone nihil offendit, is demum perfectus vir est, qui & totum corpus regere possit.* Ex hoc idoneo nexu ac vinculo perspicuum est, ὅλον τὸ σῶμα non Christianam significare Ecclesiam; in qua quidem opinione Grotius veritatur. Sed manifestum esse, hoc sibi velle S. Jacobum: homo, qui linguam domare potest, totum quoque corpus suum regere potest; nihil enim lingua regitur difficilius. Et, qui tantum in sanctitate profecit Christiana, is demum dignus est, qui doctorem ac censorem se præbeat aliorum, quique Servatoris civitati præsideat. Cap. IV v. 1 hæc verba leguntur: πόθεν πόλεμοι καὶ μάχαι ἐν ὑμῖν; Vox πόλεμος significat bellum, μάχη vero pugnam & conflictum particularem, sed vox utraque pro lite & contentione sæpenumero ponitur. Homerus hæc vocabula cum voce ἔρις, contentio, conjunxit: Ἄει γὰρ τοι ἔρις τε Φίλη, πόλεμοι τε, μάχαι τε, II. A. v. 177. Eadem potestas multis aliis & τῶν LXX, & Novi Testamenti, locis confirmatur. V. 5

Pag. 70.

71.

72.

82.

86.

verba sic novus interpunxit interpres: ἢ δοκεῖτε, ὅτι κενῶς ἡ γραφή λέγει πρὸς Φθόνον; Vult, in mente lectorem subaudire: εἰσαμαῶς. Anne putatis, Scripturam vane & sine ratione dicere adversus invidiam? damnare invidiam? Minime gentium. Hæc est una quaestio. Altera: πρὸς Φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα, ὃ κατέβηκεν ἐν ἡμῖν; num spiritus, qui habitat in nobis, impellat nos ad invidiam? Responderetur: μηδαμῶς! Nequaquam. V. 6: μείζονα δὲ δίδωσι χάριν, quin potius majorem dat gratiam. Aliis jam hæc duplex quaestio in mentem venit. Sed, quid de ea, et item de tam contorta, ἐλλείψει & constructione statuendum videatur, varii jam literati viri planissimum fecerunt, quod *Jo. Christoph. Wolfius* in *Curis philol.* ad *loc. indic.* honoris causa nominavit. *Cap. V v. 2* hæc verba habentur: τὰ ἱμάτια ὑμῶν σητόβρωτα γέγονεν. Egrege hic ex antiquitate docetur, veteres in vestium copia magnam divitiarum ac fortunarum partem possuisse. Vid. *Gen. XXXV, 2, XLI, 14, Josue VII, 21, Jud. XIV, 12, 13, 2 Sam. XII, 20, Jef. III, 22, Zach. III, 4*. Sic *Q. Curtius* auctor est, cum *Alexander M.* ad *Persopolin* capiendam profectus esset, totius Asiae divitias collectas esse, in quibus, præter aurum & argentum, vestis ingens modus fuerit, *lib. VI Cap. 5*. Et *Horatius* refert, *Lucillum*, Romanum, interrogatum, num centum chlamydes in usum theatri suppeditare possit, respondisse, quinque millia se domi habere chlamydum,

- - - Chlamydes, Lucillus, ut ajunt,

Si posset, centum scenæ præbere rogatus,

Qui possim tot? ait: tamen & queram, & quot habebo,

Mittam: post paulo scribit, sibi millia quinque

Esse domi chlamydum: partem, vel tolleret omnes.

Pag. 100. V. 3 per ἰσχύτας ἡμέρας interitum totius civitatis ac politiae Judaicæ, una cum multis aliis, Vir doctus intelligit. At v. 6 ὁ δίκαιος ei non est Christus, sed justus quilibet alius. Civis sui, *Cl. Bentleji*, qui, adscito *Phileleutheri Lipsiensis* nomine, *Remarks on a late discourse of freethinking* edidit, conjecturam, *Part. I pag. 74* propositam, qua OYK in OKΣ, id est, ὁ κύριος commutavit, minime recipit, sed, ingeniosam hanc esse, præ se fert. Sensus autem, quem *Cl. Bentlejus* adoptavit,

vit, commodus est, & valde concinnus. Idem vero manebit, si quaestio hæc admittatur: *ἢ ἀντιτάσσεται ὑμῖν; nonne is, ὁ κώριος ex v. 7, resistat vobis?* Sic elegans erit inter v. 6 & 7 connexio, in qua nihil desiderari poterit, si quidem Britannicum audiamus expositorem. Hæc quidem in medium protulisse specimina, satis habemus. Non ibimus inficias, nonnullis singularibus ipsum favisse divinationibus. Hoc vero etiam, nihil eum sine probabili ratione dixisse, vere predicare possumus. Illud male nos habuit, quod sæpius puriores Græcas locutiones *Hebraïsmos* vocet. Quodsi proprietates Hebraicas, in Græca lingua vitiosas, eo intelligit nomine, hæc ejus sententia a vero abhorret. Græcus sermo, imprimis dialectus Attica, multas continet dicendi rationes, cum elegantia Hebræa congruentes, atque harum exempla in sanctioribus Nov. Test. tabulis etiam reperiuntur. Negamus autem, vitiosos Hebraïsmos in sacrosancto Nov. Test. usquam inveniri. Sic non capimus, quo jure locutio, *κριταὶ διαλογισμῶν πονηρῶν, Cap. II v. 4, Hebraïsmus* vocari mereatur. Sententia ejus hæc est haud dubie: *Judices disceptationum malorum, id est, qui res & personas male disceptant.* Sic *Horatius Lib. II Serm. Sat. II v. 8:*

- - Male verum examinat omnis
Corruptus iudex.

Nonne hæc probatae sint dictiones Græcis, qui mundiciem amant: *ἀνὴρ μεγάλης ἀρετῆς, γυνὴ ἀχαλίνε σώματος*, & aliae his similes? Sicut *Menander ἀνὴρ πονηρὸς τοῖς τρόποις* dixit; ita pure quoque hoc dicitur, *ἀνὴρ πονηρῶν τρόπων*. Cur Hebraïsmus sit *ὄνομα τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς, nomen, a quo cognominati estis, Cap. II v. 7*, cum & optimi Græci ab hac formula non alieni sint? *Euripides Ione pag. 259: "ὄνομα τί σε καλεῖν ἡμᾶς χρεῶν; quomodo te cognominabimus? Quo quidem loco σε pro ἐπί σε manifeste ponitur, ut Φράσις sit, καλεῖν ὄνομα τινος, seu κατ' ἄλλωσιν ἐπί τινος.* Pro simplici verbo *compositum* usurpavit *S. Jacobus, ἐπικαλεῖν ὄνομα ἐπί τινος.* Nimis acutus sit oportet, qui Hebraïsmum hic cernat. Nec formula, *Cap. V v. 17, προσευχῇ προσήύξατο*, in Hebraïsinis numeranda est. Nam elegantiores Græci eadem loquuntur ratione,

Pag. 55.

56.

121.

- ut *Plato Lib. VII de Leg. pag. 901, ἀρχαῖς ἐυχαμένους*, & *Lib. XIII pag. 283, Φυγῆ Φύσει*. Consulunt Philologi sacri honori ac reverentiæ, quam sacris Novi Fœderis literis debemus, earum si munditiem ac proprietatem cum cura tueantur.
- Pag. 126
seq. Adjuncta est separata Dissertatio in *Jac. II, 14-20*, in qua duo Apostoli, *Paulus & Jacobus*, in argumento de *justificatione* inter se conciliantur. Exstant alia *Paulina* oracula, quæ falsis olim expositionibus paruerunt. Præcipuus autem locus, 130. qui *S. Jacobo* adversari videtur, est *Rom. III, 28*. Ubi quidem *opera legis* sunt *opera legis Mosaicæ*. *Justificatio* est status, in 132. quo quis divina fruitur gratia, aut justus ab eo habetur ac declaratur. *Fides* autem, & *fides Christi* est *Evangelium*, sive 133. *revelatio Christiana generatim ac universè* speclata. Hac autem sola justificantur & *Judei & ethnici*, sed ea lege, ut opera bona, quæ illa ipsa requirit revelatio, colant. In priori dogmate consentiunt amice *Paulus & Jacobus*, sed, quoniam *Pauli* verba in malam partem interpretati recens credentes erant *Judei*, *Jacobus* ea vindicat, dogma divinum rectius illustrat, & in sanctiores usus convertit. Intus sibi canit Vir doctus, quod tam bellam exploraverit conciliationem, quæ a 136. *scholasticis subtilitatibus* aliena sit. At enim vero confundit ille *fidem dogmaticam* cum *fide salvante*, & *justificante*, & *Evangelium late dictum* cum *Evangelio strictius nominato*. Non negamus, vocem *Evangelium* in latiori ambitu pro tota doctrina Christiana nonnunquam sumi. Istud vero in hoc nusquam fit argumento, ubi de causis & fundamento salutis agitur. In hac materia *Evangelium* strictius pro doctrina de gratia Dei, quam per Christum impetramus, accipi solet, ut *Rom. I, 16, 17*. Obsequi autem *Evangelio* est, bona per Christum parata, quæ hoc nuntiat *Evangelium*, vera vivaque fide recipere. *Evangelium* hoc est *fides dogmatica*, per quam *fides salvans & justificans* in animo hominis efficitur. Illa *fides* est medium justificationis & salutis ex parte Dei, hæc autem ex parte hominis. De hac imprimis sermo est *S. Paulo* in eo, quem indicavimus, loco. Ut enim *opera legis* ab homine peraguntur, sic *fides* in ipso hominis animo inesse debet. Ad *justificationem* quod

quod attinet, ea vel in *actu*, vel in *statu*, considerari potest. *S. Paulus* affirmat, in *actu* coram Dei tribunali hominem omnem sola fide justificari; cui rei historia controversiarum Apostolicarum argumento est. Hoc quidem in dogmate consentit etiam *S. Jacobus* cum socio suo. Idem vero urget præterea, *hominem in statu justificationis spectatum fidem suam*, per quam iustum sese jam factum esse gloriatur, *Jac. 11, 18, per bona opera*, in morum doctrina Christi præscripta, *declarare* debere. Hac nihil facilius ac descriptius est conciliatione; præsertim cum fundamentum & ordinem salutis servet illibatum, & neutrum ulla violet ratione.

LEZIONI SOPRA LA PASSIONE DI N. S.

Jesu Cristo, &c.

hoc est,

LECTIONES IN HISTORIAM PERPESSIONUM
domini nostri Jesu Christi, recitate in Academia
de Crusca a JOSEPHO AVERANIO, Prof. Ord.
Legum Academiæ Pisane.

Urbini, per typographum ætarii, 1738, 12.

Plag. 13.

Cruci affigendum Romani primo flagellis verberarunt. Hinc exordietur Cel. Autor *Lectionem primam*. Lictorum, *αβδὲ γων*, erat virgas & secures expedire. Ut virgis rei caderentur, lictor eos ad palum deligabat, teste *Valerio Maximo Lib. VIII & Livio Lib. VIII*, infringebatque sæpius colaphos. *Lectione secunda* inquit in numerum eorum, qui Christum virgis lacerarunt. Formula Romanorum solennis erat hæc: *I lictor, colliga manus, caput obnubito, virgis cedito*. Numerum existimat esse incertam. Discrimen deinde commemorat inter flagellationem mixti imperii, ac meri imperii. Si quid enim erat, quod majorem animadversionem exigeret, remittere Legatus ad Proconsulem debuit; nec enim ille jus habuit atrociter animadvertendi, coercendi, vel verberandi. Nec *Pilato* hoc juris fuisse, Vir consultissimus monet, licet *Barnabas Briffonius* distinctionem illam

Pag. 30.

32.

- illam haud observaverit. Dictator solus potuit mero imperio
 uti, ac atrocem decernere percussionem, reliqui magistratus haud
 æque. Nemo ab eis verberari aut condemnari poterat, nisi po-
 puli Romani accedente autoritate. Alias *lictor proximus* arces-
 sebatur ad sceleratum verberandum; alias sex lictores & paucio-
 res leguntur jussi reum pulsare & virgis cadere, dummodo ipse
 haud esset civis Romanus. Suspiciatur Autor, lictores quatuor
 Christum virgis cecidisse; totidem enim ipsum in crucem sustu-
 lerunt. Dictatori ad manus erant 24, Consuli 12, Prætori 6,
 Procuratori fortassis 4 tantum. Spinam, e qua plexa fuit co-
 rona Christo imposita, fuisse *rhamnum plenum sentibus & heri-
 cio similem, spinosumque fruticem ac arbusculam sentibus unci-
 nisque contextam, qua teneat, quicquid attigerit, & retentum
 vulneret, & vulneratorum sanguine deleatur*, Autor credit æque
 ac *Hieronymus*. Quia rhamnus credita fuit planta, malorum
 averrunca, Autor conjicit, eam in hortis *Pilati* fuisse præsto.
 Horam tertiani judiciiis agendis fuisse a Romanis additam, pa-
 tet ex illo *Martialis*: *Exercet raucos tertia caustidicos*. Tunc
 Jesus cruci affixus, a tertia nempe usque ad sextam. Ob quatuor
 vigiliis diurnas nominari præcipue solebant prima, tertia, sexta,
 nona, quæque trihorium complexa. Supplicium crucis fuisse
 fugitivis servisque more Romano constitutum, Consultit Autor
 variis veterum comprobat locis. *Tav Ezechielis* esse crucis signum,
 credit. Obscuracionem solis, *Matth. XXI* & *Luc. XXIII*, ad
 universum terrarum orbem pertinuisse judicat. At indubie no-
 vit ipse, haud opus fuisse eclipsi in partibus terræ, nocti tum
 immeris, nec ad eas deliquia solis extendi. Novit idem, quid
 sit *πάσας ἢ εἰκαμένη Luc. II, 1, Act. XI, 28*, siquidem *Luca* locum
 priorem ipse recordatur pag. 172. *Antoninus* sese mundi domi-
 num dixit. *Romanos rerum dominos* dixit *Virgilius*. *Cicero* in
Or. II contra Rullum Romanos dixit *omnium gentium dominos*.
Tacitus Hist. Lib. III Imperatorem appellavit *generis humani do-
 minum*. *Cassiodorus*: *Roma omnia possederat*. *Dionysius*: *ἡ ῥω-
 μαίων πόλις ἀρχαίως ἀρχαί γῆς*. *Philo Ebræus*: *διὰ γῆς καὶ
 θαλάττης ἀρχαί τῶν τῆ κόσμου περιπέτων*. *Cædrenus de Roma*:
πάσας δαλωσαμένη τὴν εἰκαμένην. *Minucius Felix de Romanis*:
Eorum

*Eorum potestas & autoritas totius orbis ambitum occupavit. Am-
 mianus, per omnes, quo quot sunt, partes terrarum, Romanis
 tribuit dominatum. Origenes primus, ut Autor Cel. conten-
 dit, fuit, qui tenebras illas de densis nubibus, cœlo sese obten-
 dentibus in Judæa ac terris consinibus, exposuit. Autori lubet
 id inficiari, negat tamen ipse, tenebras fuisse illas in superficie
 ac ipsò ambitu solis. De interceptis radiis solaribus utique est
 sermo. Lunæ interposito haud intercipi hi potuerunt in pleni-
 lunio. Nihil itaque restat, nisi nubibus densis eos fuisse impe-
 ditos ac interceptos. Si vero sol universus opacus ac tenebro-
 sus fuit redditus, tum non orbis terrarum modo, sed simul
 universus planetarum complexus, omnis mundus, in caligi-
 nem conjectus fuit. Haud omisissent Evangelistæ magnitudi-
 nem miraculi tantam. Nihilominus eam suffragio videtur Cel.
 Autor dignari suo. Veneratur testimonium *Phlegontis Trallia-
 ni*, qui, *Adriani* libertus, *Olympiadum Lib. XIII* ita scripsit: Τῷ
 δὲ τετάρτῳ ἡτὶ τῆς σβ' Ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου με-
 γίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον, καὶ νύξ ὥρα 5' τῆς ἡμέρας
 ἐγένετο. ὥστε καὶ ἀστέρων ἐν ἑρανῶ φαιήσασιν. Σεισμός τε μέγας
 κατὰ Βιθυνίαν γενόμενος τὰ πολλὰ Νικαίας κατεστρέψατο.
Hieronymus verba in Latinum convertit. *Maximus, Eusebius*
 in *Chronico*, *Fasti Siculi*, *Philoponus Lib. II de Creatione mundi*,
 locum eum laudarunt. Terræ motum illum *Tacitus Ann. II,*
 47, attingit, & ad annum æræ vulgaris 17 referendum osten-
 dit. Juvat inspexisse recensiones Autoris, in enumeratis ecli-
 psibus solis, quas vocant *totales*, occupatas. *Dionysii Arco-
 pagitæ* opera esse ab *Apollinari* quodam profecta Seculo IV, vel
 V, haud negat ipse. De maculis solaribus nonnihil intexit.
 Frigus æstatum extraordinarium ab affectione superficiiei solis
 deducit, immo hiemale, quale existit A. 1709, 1716, & 1740.
Pilatam haud fuisse sanguinis Jesu insontem, curate ite compro-
 batum. Cognitionem controversiarum *Hyrcano* concessam fuisse
 a *Cajo Casare*, ostendit ex *Josephi Ant. Jud. Lib. XIV Cap. 18*, id-
 que jus Pontifici Magno adhuc fuisse integrum Christo in crucem
 acto, sibi persuadet. Verba illa Judæorum: *non licet nobis quem-
 quam interficere*, Jo. XVIII, 31, quorum pertineant, haud desinit.*

Pag. 187.

195.

202.

212.

232.

244.

260.

18 NOVA ACTA ERUDITORUM

Credimus, id sensisse Judæos: *Fas nobis non est, die festo ac solemnitate quæquam interficere*; siquidem ipsi tunc ne quidem prætorium *Pilati* ob rationem eandem fuerunt ingressi. Paulo ante bellum Judaicum Judæis haud propriam esse jurisdictionem capitalem, facile largitur. *Pilatam* violasse credit Senatusconsultum, *Tiberio* autore sancitum, quo erat cautum, ut per decendium damnatis prorogaretur spatium vitæ. Meditationes singulæ habent multum diligentiae, antiquæ eruditionis, ac nonnunquam pietatis. Quare non possumus, quin suas illis laudes impertiamus.

TENTAMEN NOVÆ THEORIÆ MUSICÆ, EX
certissimis Harmoniæ principis dilucide expositæ,
Autore LEONHARDO EULERO.

Petropoli, ex typographia Academiæ Scientiarum, 1739, 4 maj.
Alph. 1 plag. 10.

Prestantissima Musicæ ars, qua ad flectendos permulcendosque animos nihil hominibus a Deo datum est accommodatius, uti nostra ætate ad insigne perfectionis fastigium indultitia artificum excellentium est evecta; ita eo magis videtur mirandum, paucos admodum huc usque inter eruditos fuisse, qui in rimandis ejus regulis & rationibus reconditioribus, hoc est, in ipsa Musices *Theoria* excolenda, operam suam potuerint. Vulgato quidem sermone usurpatur, in Musica perinde ac in Architectura inesse *Θεὸν τ.*, & nescio quid elegantiae, quod in mentem ultro sese insinuet; quotus autem quisque est, qui quærenti distincte valeat explicare, quodnam sit illud, quod nobis tantopere placeat, multoque minus, cur placeat? Antiquissimis temporibus jam pertipexerunt oculatiores, suavitatem musici concentus, & pulchritudinem ædificii, pendere ex concinnis sonorum partiumque proportionibus; hanc autem veritatem, utcumque cognitam, prænotionibus deinde ac præjudiciis quamplurimis fœderunt. Plurimas accessiones scientiæ musicæ fecerunt recentiores; omnes autem circa eam partem potissimum occupati, quæ de proportionibus & intervallis sonorum

norum agit. Quod in Theoria musica est physicum & mathematicum, e. g. structura organi auditus, natura sonorum in genere, vibrationes chordæ pulsatæ, &c. diligenter enucleare aggressi sunt viri præstantissimi, idque successu non infelici; de integro autem systemate Musico, quo nobilissima ars ad formam disciplinæ alicujus philosophicæ redigitur, nemo hætenus, quantum nobis quidem constat, cogitavit. Novi igitur quidquam hoc suo Tentamine aggressus est Cel. *Eulerus*, inter principes ætatis nostræ Geometras jam pridem referendus, novumque Musicæ arti splendorem attulit, dum eam insolenti prorsus & philosophico habitu indutam conspicuamque oculis nostris objecit. Constituit nimirum Musicam tali modo tradere, qualis tradi oportet quamvis Philosophiæ partem, ita, ut fundamenta ei struantur solida, nihilque deinceps proponatur, quod ex antecedentibus non possit legitimo nexu deduci. Quo autem successu usus hac in re sit Vir Clarissimus, judicabunt, vel nobis tacentibus, Lectores nostri, ubi pleniorum de tota hujus Operis ratione noticiam hauserint, idque vel ex ipso fonte, vel saltem ex nostra recensione, quam ea diligentia conabimur pertexere, quam suo jure postulant, quæcunque in Republica literaria nova & egregia comparent.

Principium itaque Operis ab eo fit, quod in Theoria Musices physicum præcipue est, ac mathematicum; cui quidem doctrinæ integrum *Caput primum* destinatum est, quod de sono & auditu inscribitur. Licet autem, ceu modo diximus, in hanc Physices partem cum successu inquisitum sit a Viris tam Geometriæ, quam Anatomix, scientia præpollentibus, adeo tamen actum hic non egisse dicendus est doctissimus Autor, ut potius ea, quæ de argumento hoc sparsim tradita sunt, in unum aliquod corpus non magnæ molis compegerit, aliqua enucleaverit distinctius, &, quod palmarium est, hanc doctrinam ad ipsa Musices fundamenta struenda accommodaverit. Omnem sonum in motu particularum aeris tremulo seu vibratorio consistere, recepta est sententia. Hujus itaque motus naturam distincte explicat Cel. Autor, &, quomodo per pulsus a corpore sonante in aere circumfluo excitatos, & ad organon auditus

promotos, ipsa auditionis sensatio gignatur, ostendit. Motus vero aeris tremulus tribus potissimum modis produci potest; unde tria sonorum genera, si ad causam productricem respiciamus. Vel enim a corpore tremulo excitantur, quales sunt soni a chordis tensis, vel a campanis, editi; vel proficiscuntur ab elatere aeris valde compressi, seque subito restituentis, ceu fragor tormentorum, tonitru, &c. vel tandem a fistulis inflatis eduntur. Motum chordæ tensæ vibratorium ad calculum revocarunt *Jo. Bernoullius, Taylorus, & Hermannus*, numerumque vibrationum seu oscillationum, quas dato tempore chorda producit, determinarunt. Quodsi enim longitudo chordæ tensæ dicatur = a , ratio diametri ad peripheriam circuli = $d : \pi$, longitudo penduli, oscillationem uno secundo perscientis, = l , & pondus, quo chorda tenditur, se habeat ad pondus chordæ ipsius; ut n ad 1, erit numerus oscillationum, quas chorda uno minuto secundo absolvit, = $\frac{2}{\pi} \sqrt{\frac{ln}{a}}$. Quam regulam exemplo illustraturus Autor, sumit chordam, cujus longitudo a erat 1, 510 ped. Rhen. quæque ponderabat 67 gran., eamque tetendit pondere 6 libr. seu 46080 gran. Qui valores si in regula sufficiantur, & $d : \pi$ explicetur per 113 : 355, prodibit numerus oscillationum uno minuto secundo = 392. Sono autem ea ratione producto congruere deprehendit in instrumento clavem per a signatam. A numero vibrationum dato tempore editarum pendet distinctio sonorum : vulgarissima in graves & acutos : vel potius, gravitas aut acumen soni unum est idemque cum numero vibrationum, dato tempore productarum. Quam ob rem soni considerari debent ut quantitates, metiendæ per hos ipsos vibrationum dato tempore editarum numeros; id quod unum ex præcipuis Musicæ fundamentis est. Quod autem ad terminos gravitatis & acuminis attinet, in iis constituendis attendendum est præcipue, quousque facultas nostra audiendi exporrigatur. Cum sonus a uno min. sec. 392 vibrationes edere repertus sit, interim sonus C absolvit 118, & c 1888; jam ponit Autor, sonos duabus octavis acutiores & graviore audiri vix posse, unde habemus extremos sonos, qui percipi possunt,

possunt, numeris 30 & 7520 expressos, quod equidem intervallum jam tantæ est amplitudinis, ut instrumentorum nostrorum omnium ambitum longe exsuperet. Quod ad intensitatem & debilitatem sonorum attinet, factis constat, intensitatem esse reciproce ut quadratum distantie a corpore sonoro, vel, quod idem est, debilitatem esse directe ut quadratum distantie, posito nimirum, sonum sese quaquaversum æqualiter expandere, ceu radii e centro circuli egredientes. Secus autem pronuntiandum est eo casu, ubi sonus versus datam plagam fortius protruditur, veluti in Tubis Stentoreis. Æquabilitas soni, quem chorda pulsata edit, pendet a magnitudine excursionum vel oscillationum chordæ; hancque ob causam, ad sonos æquabiles gratosque producendos, necessum est, ut chordæ, quoad fieri potest, tendantur; chibræ enim nimis laxæ oscillationes justo majores sunt. Si pondus chordæ dicatur = q , ejus longitudo = a , erit crassities ejus ut $\frac{q}{a}$, cui proportionale quoque est pondus, chordam ad disruptionem usque tendens, quod dicatur p ; igitur debet esse p ut $\frac{q}{a}$, adeoque $\frac{a^2 p}{q}$ est quantitas constans. Præterea, quo soni proveniant æqualiter fortes, præter longitudinem chordæ pondusque tendens, ad vim quoque pulsantem attendere oportet. Vehementia autem soni pendet a celeritate, qua æris particulæ ad quamvis chordæ vibrationem in aurem irruunt, hæcque ex maxima chordæ celeritate æstimanda est. Ea autem cum proportionalis sit radici quadratæ ex pondere tendente diviso per longitudinem chordæ, necesse est, ut pondus tendens semper sit ut chordæ longitudo. Retentis igitur symbolis præcedentibus, erit $\frac{p}{a}$ constans, cumque sit per modo dicta $\frac{a^2 p}{q}$ constans, erit quoque $\frac{a^2}{q}$ ejusdem semper magnitudinis, unde ratio $\frac{q}{a} : a$ constans quoque erit; cumque sonus editus sit ut $\sqrt{\frac{p}{a^2 q}}$, substitutis loco p & q proportionalibus a & aa , erit sonus reciproce ut chordæ

dæ longitudo. Igitur & pondus tendens, & longitudo & pondus chordæ, erunt reciproce ut sonus edendus, seu ut numerus vibrationum dato tempore producendarum. Quæ quidem regula quanti in conficiendis instrumentis musicis momenti sit, nemo non videt. Quæ de aliis sonis, ad hoc genus pertinentibus, differit Autor, v. g. de iis, qui a campanis eduntur, vel ab instrumentis, quæ baculis elasticis ex metallo lignove duriore instructa sunt, missa nunc facimus, præsertim cum ad Musicam proprie non pertineant. Secundi generis sonorum, qui a repentina aeris valde compressi restitutione producuntur, nullus pariter in Musica est usus. Ad tertium igitur sonorum genus curatius expendendum provehitur Autor, quod constituunt a tibiis inflatis excitati. Quorum ratio ut magis videatur abstrusa, nec publice huc usque satis cognita; ita majorem operam studiumque in rimanda eorum natura posuit Vir eximius. Phænomenis autem tiliarum pensitatis, causam sonorum, ab iis editorum, talem statuendam esse reperit, ut a sola tiliarum longitudine pendeat. Observatum enim est, fistulas cylindricas longitudine æquales, quantumvis amplitudine & materia differentes, æquales tamen sonos edere. Sed, omnia minutatim persequi cum nobis haud liceat, id præcipue notandum, Autorem phænomena tiliarum inflatarum ad motum chordarum vibrantium reducere. Ab aere enim, qui in tubum inflatur, comprimitur ille, qui capacitatem tubi antea occupavit, idque secundum longitudinem; quo facto, vi elateris sui sese relaxare, inflatumque retundere, nititur; qua quidem motus reciproca-tione oscillationum aliqua species, quas vocare *longitudinales* liceat, producitur. Vis autem, quæ aerem in tubo contentum comprimit, ipse aer est, flatu per fistulam propulsus; ea autem, qua compressus sese restituere nititur, pondus est atmospheræ ambiens, ex altitudine hydrargyri in tubo *Torricelliano* æstimanda. In oculos igitur incurrit, oscillationes hæc *longitudinales* eodem prorsus modo se habere in sonis producendis, quo se habent chordarum vibrantium *latitudinales*. Hinc problema de numero oscillationum, dato tempore a fistula inflata editarum, ab Autore eadem omnino ratione, ac in
 chordis

chordis vibrantibus, solvitur. Sit tibiæ longitudo = a , in scrup. ped. Rhenani exposita, amplitudo = bb , gravitas specifica aeris ad grav. specif. ξi , ut $m : n$, altitudo ξi in tubo *Toricelliano* = k , in iisdem scrupulis. En igitur chordam longitudinis a ponderisque $mabb$, tensam a pondere atmosphææ incumbentis, quod est = $nkkb$. Qui valores si in regula de chordis vibrantibus substituantur, erit numerus oscillationum, uno min.

$$\text{sec. editarum,} = \frac{355}{113} \sqrt{\frac{3166 \cdot nkkb}{a \cdot mabb}} = \frac{355}{113a} \sqrt{\frac{3166 nk}{m}},$$

cui ipse sonus erit æqualis, cum mensuram soni supra jam dixerimus esse numerum vibrationum, dato tempore genitarum. Ubi videre est, amplitudinem tubi bb in expressione soni non inesse, eamque adeo ad ipsum sonum nihil conferre. Cave tamen, exinde inferas, amplitudinis fistulæ nullam plane rationem habendam esse. Vehementia enim & debilitas soni pendet tam a vi, qua inflatur tibia, quam a ratione amplitudinis ejus ad longitudinem; ex quo confit, amplitudinem in tibiis eodem modo se habere in sonis temperandis, quo se habet crassities chordæ agitatæ. Quibus omnibus quam probe cum experientia conveniat, fusè satis & dilucide ostendit Vir Celeberrimus, qui hac sua explicandi ratione non contemnendam scientiæ naturali accessionem dicendus est fecisse.

Missis jam, quæ ad naturam sonorum pertinent, ad ea progreditur, quæ alterum Musicæ scientiæ fundamentum constituunt; definiturus quippe, qui fiat, ut plures soni simul aut successivè percepti nobis placeant, displiceantve. In eo enim poni omnis suavitatis fontem, & totius harmoniæ principia, palam est. Quæstio autem ex Metaphysica, & Psychologia imprimis, quæ animæ & spirituum naturam distinctè evolvit, est enodanda. Voluptate tum dicitur animus affici, cum perfectionem in rebus obviam percipit & quasi intuetur. Placent igitur, aut pulchra nobis illa videntur, quæ perfectionis aliquam speciem præ se ferunt, omnia; displicent autem, quæcunque perfectionis quodam defectu nobis videntur laborare. Perfectionis autem characterem Philosophi ponunt in consensu multorum, ad communem quendam scopum tendentium. Quo igitur
plura,

plura, & quo magis, consentiunt, eo major elucet perfectio. Igitur cognoscemus distincte perfectionem in rebus obviam, si consensum, si ordinem, quo ad scopum obtinendum omnia sunt inter sese disposita connexaque, percipiamus. Conventus itaque musicus, tantum abest, ut temere nobis placeat, ut tum demum placeat, cum ordinem sonorum, qui ipsum constituunt, distincte percipimus. Diffidendum equidem non est, plurimum hac in re valere consuetudinem & opiniones præjudicatas; id vero genuinæ Musices rationi nihil officit, utpote quæ ex perverfis hominum judiciis neutiquam pendet.

Cum sonus nihil aliud sit, quam determinatus pulsuum, in aere dato tempore productorum, numerus; ut duo pluresve soni percepti placeant, necessarium est, ut rationem pulsuum, eodem tempore editorum, percipiamus. Quod qua ratione fiat, expositurus Cel. *Eulerus*, alias rationes aliis multo difficilius percipi, animadvertit. E facultate autem animi, qua opus est ad rationem percipiendam, metiendus est *gradus suavitatis* sonorum, qui eam rationem tenent. Nova est, dignaque Philosopho, opera, facultatem percipiendi in suos gradus distinguere; neque nova solum, sed maximi quoque momenti in Musica non minus, quam in iis artibus, ubi venustatis habetur ratio, veluti in Architectura, cujus theoria multa habet cum hisce communia. Omnes igitur sonorum rationes, qui æquali facultate percipiuntur, ad eundem suavitatis gradum referendi sunt. Primum gradum constituit ratio æqualitatis, vel unisonus, = 1:1; secundum diapason vel octava, quæ est ratio dupla, = 1:2. Rationes autem 1:3 & 1:4 cum eadem facultate percipi videantur, gradum tertium constituunt. Itaque porro ratio 1:8 ad quartum, & ratio 1:16 ad quintum, refertur, & in genere ratio 1:2ⁿ pertinet ad gradum, cujus index est = n + 1. De numeris vero primis sic ex inductione statuit Autor, cum 1:1 det gradum primum, 1:2 secundum, 1:3 tertium, concludit, 1:5 pertinere ad quintum, 1:7 ad septimum, &c. His ita præstructis, regulam tradit Autor, cujus ope gradus suavitatis cujuscunque rationis propositæ explorari potest. Ratio debet vero expressa esse in numeris

ratio-

rationalibus, integris, & primis inter se. Quo facto, numerorum propositorum quaeratur minimus dividuus, hoc est, minimus numerorum, qui per propositos singulos possunt dividi. Deinde communis hic dividuus resolvatur in omnes factores suos simplices, qui sint $a, b, c, d,$ &c. eorumque numerus $= n$; erit gradus suavitatis, ad quem ratio proposita pertinet, $= a + b + c + d + \dots - n + 1$. E. g. sit ratio $2:3$, quæ diapente, seu Quintam, vulgo sic dictam, exprimit. Communis minimus dividuus est $6 = 2 \times 3$; ergo $a = 2, b = 3,$ & $n = 2$, quapropter gradus suavitatis erit $= a + b + 1 - n = 6 - 2 = 4$, hoc est, quartus. Igitur $2:3$ æque facile percipitur ac $1:6$ vel $1:8$. Similiter rationis $3:4$, quæ diatessarion, seu Quartam, exhibet, suavitatem inquisitioni, sumamus numerorum 3 & 4 minimum communem dividuum, qui est $12 = 3 \times 4$, adeoque juxta regulam gradus suavitatis est $= 5$. Ita gradus suavitatis rationis $5:7$ est undecimus; nam minimus dividuus est $35 = 7 \times 5$, quare $a + b - n + 1 = 13 - 2 = 11$. Toni majoris, ratione $8:9$ expressi, suavitas pertinet ad gradum octavum. Nam 8 & 9 minimum communem dividuum habent $2^3 \times 3 = 72$, cujus factores simplices sunt $2, 2, 2, 3, 3$, quare $a + b + c + d + e + 1 - n = 13 - 5 = 8$; et sic in aliis. Quem in finem Autor Tabulam exhibuit, cujus ope statim cognosci potest, ad quemnam suavitatis gradum quilibet communis dividuus perducatur sit.

Hic igitur Harmoniæ principii declaratis, de Musica in genere, idque eleganter, disseritur, sicque ad plenam ejus pertractationem acceditur. Musicam igitur Vir Cel. definit per scientiam varios sonos ita conjungendi, ut auditui gratam exhibeant harmoniam. Sermo hic autem de theoretica solum est; practica, quæ sonos præscriptos voce vel instrumentis edere docet, non attingitur, sed inter postulata refertur. Dæ autem præcipue partes sunt, quæ Musicæ gratiam & leporem conciliant; quarum altera discrimini inter acumen & gravitatem sonorum, altera autem sonorum durationi, innititur. Id autem jucunditatis, quod ex intentione & remissione sonorum, nec non ex ipsâ instrumenti musici natura, redundat, licet non

exigui sit momenti, regulis coercendum non est; variat enim pro genio canentis, & instrumenti. In hoc vero Opere ad eam præcipue suavitatem attenditur, quæ ex differentia gravitatis & acuminis oritur; alterum enim suavitatis genus tractatu non est difficile, sed ex priori rite perspecto conficitur. Quodsi soni exponantur per numeros durationibus proportionales, ad sonos duratione differentes accommodari poterunt, quæ de gradibus perceptionum in sonis acumine & gravitate diversis antea fuere tractata. Ab intentione igitur & remissione sonorum si animum abstraxeris, triplici adhuc modo in sonorum systemate suavitas inesse poterit. Aut enim a solo acuminis & gravitatis discrimine, aut a sola duratione, aut ab utraque junctim, proficiscetur. Posterior hæc species perfectissimum suavitatis gradum constituit, quo hodierna Musica maxime præcellit; non tamen nulli sunt casus, in quibus duæ priores usû veniant. Primæ quidem exemplum subministrant Musica, quæ choralis audit, hymnique ecclesiastici; posterioris autem tympana, quorum soni cum gravitate & acumine parum aut nihil differant, omnis eorum suavitas a pulsuum celeritate, atque adeo a sola durationis varietate, pendet. Exinde consequitur, ad plenam scientiæ musicæ pertractationem omnino requiri, ut quælibet harum trium specierum singulatim evolvatur, quam fieri potest, distincte, eaque methodo, qua Philosophi & Geometræ utuntur; id quod a nemine eorum, quî de Musica scripserunt, præstitum esse ad hunc diem constat.

Prima igitur Musicæ species, ad quam reliquæ duæ exigendæ sunt, eo absolvitur, ut, nulla durationis habita ratione, discrimen inter gravitatem & acumen sonorum duntaxat attendatur; itaque tota in successione varii tenoris sonorum consistit. Quodsi plures soni simul audiantur; habebis id, quod nomine Consonantiæ appellatur. De Consonantiis igitur tractatio jam instituitur. Cum vero hoc nomine nil, nisi soni simul editi, intelligatur; evidens est, hoc vocabulo Dissonantias quoque, quales vulgo audiunt, indigitari. Atque hac significatione simplex sonus ut infimus & simplicissimus consonantiarum gradus potest considerari, sicut inter numeros unitas collocari solet. Facile igitur Viro Doctissimo fuit, ex principiis suis harmoniciis

monicis indagare, quidnam ad suavem consonantiam constituendam requiratur, nec non ad quem suavitatis gradum quælibet revocanda sit. Ruminanda nimirum regula est, quam supra adduximus. Numerorum scilicet, sonos simplices exprimentium, & ad minimos terminos reductorum, opus est communi dividuo minimo, quem Autor vocat *Exponentem consonantiæ*; quo invento, si summa factorum simplicium, $a, b, c, d,$ &c. in quos resolvitur, sit $= s$, & numerus eorum $= n$, erit gradus suavitatis consonantiæ per superius adducta $= s - n + 1$. Possunt autem consonantiæ dividi secundum numerum sonorum simplicium, qui ipsas constituunt, v. g. in bifonas, trifonas, quadrifonas, &c. Gradus suavitatis, quæ in bifonis inest, ad decimum usque, Tabella complexus est Autor. Sed illæ consonantiæ, quæ dissonantiæ vulgo audiuntur, veluti septima, tritonus, &c. peculiarem postulant considerationem. Nam e. g. tonus major, qui est $= 8:9$, dissonantiis annumeratur, cum tamen ad eundem suavitatis gradum, qui est octavus, etiam pertineant $5:6$ & $5:8$, hoc est, tertia minor & sexta minor, quæ inter consonantias referuntur. Enimvero in consonantiis & dissonantiis non sola perceptionis facilitas, sed tota componendi ratio, spectanda est. Omnis adeo consonantia dissonantiæ nomine veniet, quæ in concentu minus commode adhibetur, etsi forsitan facilius percipiatur, quam alia, quæ inter consonantias refertur. Veteres aliis omnino methodis usi sunt in judicandis consonantiis & dissonantiis, quæ naturæ rerum minus erant congruæ, & ex principiis precariis deductæ. Dux autem potissimum sectæ celebrantur: altera *Pythagoræorum*, eorum altera, qui *Aristoxenum* secuti sunt. Priores equidem omnem sonorum suavitatem ex numeris & proportionibus repetendam duxerunt; sed, ignoratis veræ harmoniæ principiis, defecerunt in ipsa doctrinæ applicatione. Correxerunt errores aliquos *Ptolemaeus* in Harmonicis, nec tamen principiis usus est firmis satis & fœcundis, ut progredi ulterius ei licuisset. *Aristoxenus* autem acie prorsus opposita pugnat, dum numerorum & rationum vim omnem e Musica eliminare est annisus, & iudicium de consonantiis dissonantiisque solis auribus relinquendum statuit. Verum his opus non est diutius immorari. Apposite etiam

consonantia a Cel. Autore dividuntur in completas & incompletas. Consonantia incompleta est, ad quam unum pluresve sonos adijcere licet, idque citra Exponentis multiplicationem; completa, ad quam non licet. Ita v. g. consonantia 1: 2: 3 exponens non fit major, licet sonus 6 addatur; quare incompleta est. Quodsi exponentis consonantia omnes divisores accipiantur, iisque totidem soni simplices exprimantur, prodibit consonantia completa illius exponentis; v. g. si exponens consonantia sit 12, consonantia completa constabit sonis 1: 2: 3: 4: 6: 12; & sic in aliis. Generatim, si exponens fuerit $= a^m b^n p$, continebit consonantia completa $(m + 1)(n + 1)(p + 1)$ sonos, & pertinebit ad gradum suavitatis, cujus index est, $ma + nb + pc - m - n - p + 1$. Non piguit Autorem, Tabulam completarum consonantiarum omnium, quæ in duodecim primis gradibus continentur, adornare; ex qua ingentem illarum numerum videre est, utpote qui ad 84 alligat. Licet autem completarum consonantiarum ea prerogativa sit, ut auditui multo distinctius sese offerant, quam incompletarum; ad utrum tamen, nisi admodum sint simplices, non adhibentur. Ingens enim sonorum numerus, e quibus consonantia conflatur, confuso potius strepitu, quam distincta harmonia, aures obrunderet, nisi instrumenta musica, quod fieri tamen nunquam potest, sint accuratissime coarctata. Plurimi quoque soni, gravitatis acuminisve limites cum excedant, ne audiri quidem amplius possunt. Quoties enim consonantia soni extremi majorem inter se rationem habent, quam 250: 1, auditus eos non amplius percipere valet, vi eorum, quæ supra adduximus.

Defunctus jam generali de Consonantiis tractatione Cel. Autor, ad successione consonantiarum explicandam pedem profert. Quodsi consonantia, sibimet invicem succedentes, aurem demulcere debeant, non solum, ut quælibet seorsim placeat, opus est, sed ut peculiarem quælibet ad alias affectionem mutuamque relationem habeat. Considerande nimirum sunt duæ consonantia succedentes tanquam simul editæ, hujusque compositæ consonantia exponentis, id est, minimis communis dividuus omnium numerorum, consonantiam constituentium,

tium, erit quoque successione exponens, & gradum suavita-
tis, ad quem pertinet, indicabit. Sed aliud quidpiam in hoc
negotio adhuc est attendendum. Una quidem eademque con-
sonantia infinitis modis potest exhiberi; e. g. intervalum dia-
pente exprimitur per 3:2, per 6:4, per 9:6, per 15:10,
& in genere per $3a:2a$; sed in successione consonantiarum
non tam ad exponentem consonantie, quam ad tenorem sono-
rum est respiciendum est. Unus enim sonus pro basi reliquo-
rum est assumendus. Igitur, si consonantiam $a:2a$, quæ est
diapason, & exponentem habet 2, sequatur $2b:3b$, quæ est
diapente, & exponentem habet 6, ex solis exponentibus 2 & 6
successione Exponens non potest deduci, sed ratio quoque ha-
benda est sonorum a & b , qui consonantiarum bases sunt, cum
successione exponens sit minimus dividuus numerorum a , $2a$,
 $2b$, $3b$. Igitur, si consonantia, quæ constat numeris rationem
inter se habentibus 1:2:3:6, debet conjungi cum alia, cujus
basis est 2, ea exprimenda est numeris 2:4:6:12. Cumque
exponens consonantie propositæ sit 6, poterit illa, respectu ha-
bito ad sequentem, exprimi per 6 (2). Pariter consonantie
30 (3) designatio ostendit, ejus in se spectate exponentem esse
30, & basin alterius consonantie, cum qua conjungitur, esse 3.
In genere $A(a)$ designabit consonantiam, cujus exponens est
 A , & (a) basis alterius consonantie, quæcum conjungitur. Igi-
tur, si consonantiarum $A(a)$ & $B(b)$ indices (a) & (b) sint
numeri inter se primi, per maximum nempe communem di-
visorem, si quem habent, reducti; successione harum conso-
nantiarum exponens erit minimus communis dividuus numero-
rum Aa & Bb . Quodsi D sit maximus communis divisor ho-
rum numerorum, erit $ABab$ divisus per D , minimus com-
munis dividuus numerorum Aa & Bb , simulque successione
consonantiarum exponens. De successione vero ordinibus
quoque constituendis cogitavit Vir ingeniosus. Scilicet, si
numerorum A & B minimus communis dividuus sit M , suavissi-
ma erit successio, adeoque ordinis primi, si $ABab: D = M$;
secundi, si $ABab: D = 2M$, tertii, si $ABab: D = 3M$ &c.
Cavendum autem sedulo, ne ordines successionum cum gradi-
bus suavitatis confundantur; successio enim ordinis primi est,

D 3 qua

qua simplicior dari nequit, manentibus nimirum iisdem consonantiarum exponentibus, etiamsi successio ipsa ad multo ulteriorem suavitatis gradum referatur. Tabulam confecit Auctor, ex qua uno velut obtutu ordines successionum præcipuos cognoscere licet, inde ab exponentibus consonantiarum A & A , usque ad 16 A & A . Exinde perspicuum est, quomodo, data quadam consonantia, alia datæ speciei assignanda sit, quæ illam sequens constituat successione[m] dati ordinis. His ita enarratis, ulterius ad integras consonantiarum series evolendas acceditur. Duabus enim consonantiis sibi invicem succedentibus, opus musicum non confit; sed pluribus, iisque certa quadam lege inter se conjunctis & temperatis, opus est, ut suavi harmonia aures demulceant; temere enim conjunctæ incondito potius strepitu eas læcerarent. Ea Musicæ pars, quæ consonantias ita jungere docet, ut suavem concentum producant, vulgo dicitur Compositio simplex, quæ reliquarum omnium fundamentum est; in ea igitur penitus perspicienda ante omnia laborandum est Musico. Methodus autem, qua ad cognitionem suavitatis integræ consonantiarum series perveniendum, eadem omnino est cum ea, quæ circa unam duasve solum consonantias versatur. Inquirendum scilicet est in totius consonantiarum seriei Exponentem, qui est minimus communis dividuus numerorum, sonos repræsentantium. Totum vero opus musicum perfectè cogniturus, primo singularum consonantiarum Exponentes debet percipere; secundo, binarum sibi invicem succedentium; tertio, singularum periodorum; quarto, periodorum binarum, sese insequentium; quinto denique, omnium periodorum, hoc est, totius operis musici Exponentem, qui est minimus numerorum, totius operis sonos exprimentium, communis dividuus. Perdifficilis utique & ultra limites intellectus humani posita videri possit musici operis plena ejusmodi cognitio. Exponens enim operis musici plerumque numerus est perquam compositus, & tantum non infinitus. Omne igitur intellectus humani præsidium in eo est positum, ut cognitionem hanc per gradus acquirere studeat, neque de felici successu desperandum esse judicabunt, qui regulas, quas hunc in finem proponit Vir Clarissimus, attente pensitaverint. Unum asserre
 exem-

exemplum liceat, quomodo exponens datæ consonantiarum seriei sit investigandus. Sint propositæ consonantiæ sequentes :

8 : 12 : 16 : 24 : 32 : 48 ;

8 : 12 : 20 : 24 : 40 : 60 ;

9 : 12 : 18 : 27 : 36 : 54 ;

10 : 15 : 20 : 30 : 45 : 60 ;

9 : 15 : 30 : 36 : 45 : 60 ;

Cujuslibet soni dividantur per maximum communem divisorem, & quorum minimus queratur dividuus, qui erit, per jam dicta, Exponens consonantiæ, maximus vero divisor communis, Index. Quo factò, hæ consonantiæ exprimentur per 24 (4); 30 (4); 36 (3); 36 (5); 60 (3). Jam productorum 24×4 , 30×4 , 36×5 , 36×5 , 60×3 , queratur communis dividuus minimus, qui est 4320, hincque est Exponens seriei consonantiarum, & ad gradum suavitatis 16 pertinet. Sed de his satis.

Ad doctrinam de Consonantiis ea præcipue referenda est, quæ de sonorum intervallis agit. Ad hanc jam progressurus Cel. Eulerus, eorum non solum definitiones genuinas, rerumque naturæ congruas, tradit, sed eorum quoque veras mensuras exhibet. Intervallum concipitur esse distantia inter duos sonos gravitate aut acumine diversos. Sed aptius definitur per mensuram discriminis inter sonum acutiorem & graviorem. Exinde non difficulter perspicitur, intervalla exprimenda esse per mensuras rationum, quas soni tenent, hoc est, per eorum logarithmos. Nam e.g. sonus 8 : 1 triplo acutior est, quam 2 : 1, item 4 : 1 duplo; igitur, sonis ipsis in progressionem geometricam progredientibus, eorum discrimina gravitatis & acuminis, hoc est, intervalla, tenebunt progressionem arithmeticam. Logarithmis igitur ad intervalla metienda opus esse, certum & a longo jam tempore cognitum est. Ita intervallum, quod Octava dicitur, vel Diapason, mensurabitur per $\log. 2$; intervallum diapente per $\log. \frac{3}{2} = \log. 3 - \log. 2$; diatessaron per $\log. \frac{4}{3} = \log. 4 - \log. 3$. & sic porro. Ubi obiter notandum, intervalla diapason & diapente, ut plerorumque aliorum, esse inter se incommensurabilia. In metiendis igitur intervallis vulgari systemate Logarithmorum uti poterat Autor; sed magis

expe-

expedire judicavit, logarithmos ejusmodi adhibere, in quibus logarithmus binarii statuitur unitas, cum in designandis consonantiis binarius frequentissime occurrat. In hoc igitur systemate est $\log. 1 = 0,000000$; $\log. 2 = 1,000000$; $\log. 3 = 1,584962$; $\log. 4 = 2,000000$; $\log. 5 = 2,321928$; $\log. 6 = 2,584962$; $\log. 7 = 2,807356$; $\log. 8 = 3,000000$. &c. quæ Tabula quomodo sit continuanda, nemò est Mathematicorum, qui nesciat. En igitur Tabulam Intervallorum, hæc transcriptam, & in quatuor laterculos distinctam, quorum primus receptas intervalloꝝ appellationes (sunt autem ex diatonico potius genere, quam ex ipsa rei natura, derivatæ,) exhibet; secundus rationes sonorum in numeris; tertius eorum mensuras, logarithmicis, quos diximus, expressas; quartus denique gradum suavitatís, ad quem unumquodque pertinet.

Nomina Intervall.	Rationes sonorum	Mensuræ	Grad. Suavit.
Diatesilina . . .	2048:2025	0,016295	XXVIII.
Comma . . .	81:80	0,017920	XVII.
Diæsis . . .	128:125	0,034215	XX.
Hemiton. minus . . .	25:24	0,058894	XIV.
Limma minus . . .	135:128	0,076814	XVIII.
Hemiton. majus . . .	16:15	0,093109	XI.
Limma majus . . .	27:25	0,111029	XV.
Tonus minor . . .	10:9	0,152004	X.
Tonus major . . .	9:8	0,169924	VIII.
Tertia minor . . .	6:5	0,263034	VIII.
Tertia major . . .	5:4	0,321928	VII.
Quarta . . .	4:3	0,415037	V.
Tritonus . . .	25:18	0,473931	XIV.
	45:32	0,491851	XIV.
	64:45	0,508148	XV.
Quinta . . .	36:25	0,526068	XV.
	3:2	0,584962	IV.
Sexta minor . . .	8:5	0,678071	VIII.
Sexta major . . .	5:3	0,736965	VII.
Septima minor . . .	16:9	0,830075	IX.
	9:5	0,847995	IX.
	50:27	0,888970	XVI.
Septima major . . .	15:8	0,906890	X.
	250:135	0,923185	XIX.
Octava . . .	48:25	0,941105	XV.
	2:1	1,000000	II.

Inter-

Intervalla ergo ratione suavitatis ita progrediuntur: Octava, Quinta, Quarta, Tertia, & Sexta, majores; Tonus major; Tertia, Sexta, & utraque Septimarum, minores; Tonus minor & una Septimarum majorum, quæ ab Octava hemitonio majore deficit; hemitonia denique, & reliquæ Septimæ majores.

Reliqua hujus recensitionis in *Mensem* proximum differuntur.

CONSTRUCTION D'UN TELESCOPE

par reflexion &c.

id est,

CONSTRUCTIO NEWTONIANI TELESCOPII
per reflexionem, decem & sex digitos longi, & parem præstantis effectum cum tubo octo pedum vulgari; itemque complurium aliorum istiusmodi Telescopiorum, a septem digitis usque ad sex pedes & dimidium; una cum arte parandi & poliendi specula & vitra, cum majora, tum minora, &c.

Amstelodami, apud P. Mortier, 1741, 8.

Plag. 14, cum Tabula majori ænea.



Quantum Telescopiis vulgaribus *Newtonianis* præsent, in quibus pro vitris objectivis specula adhibentur, nemo hodie nescit. Parva, vel certe mediocria, cum radiorum aberrationi parum loci relinquunt, plus valent, quam alia ingentis molis; unde non exigua in Astronomiam præcisiorem & Geographiam redundare commoda necesse est. Cum vero utilissimarum harum machinarum constructio perquam difficilis huc usque visa fuerit; magnopere certe commendandus est labor Auctoris nostri, a quo totum artificium nunc adeo læviter expositum est, ut non ipsi modo Telescopiorum artifices, sed & alii curiosi, propriis manibus, & parare istas res, & ubi opus fuerit, reparare, possint. Singulas ille partes & particulas, earumque proportionem, præparationes, & insertiones, minutatim & exacte persequitur, oculisque, ope complurium schematicorum, subjicit. Distribuit autem Tractatum suum, qui, post

Parisiensem editionem, mox Amstelodami, forma minore, recusatus est, in *Partes tres, quindecim Capita* conficientes. *Prima Pars* constructionem Telescopii demonstrat decem & sex digitos longi, & tubo vulgari octopedali non deterioris, docetque, quo pacto specula tum confici ex materia conveniente & poliri, tum etiam applicari, debeant. In *altera Parte* de Telescopio agitur septem digitorum, cujus effectus non minor esse praedicatur, quam tubi ordinarii quatuor pedum; porroque de aliis Telescopiis, duorum, trium, quatuor, & sex pedum, cum dimidio, cujus postremi effectus cum effectu tubi comparatur, centum & quinquaginta pedes in longitudinem extensi. In *tertia Parte* tractationem adjecit Autor, de arte elaborandi vitra cujuslibet magnitudinis, non pro Telescopiis modo, sed & pro Microscopiis. Omisissis plerisque rebus, praecclare in hoc libello pertractatis, duo saltem exempla afferemus, de compositione Telescopii sedecim pedum, & de miscenda fundendaque materia speculorum. Telescopii formam adjecta Figura exhibet. Tubus major longitudinem habet digitorum tredecim, & diametrum duorum; apertura 20 lineas non excedit. In fundo hujus tubi speculum concavum collocatum est, diametrum duorum, & focum novem pedum, in ipso autem medio foramen habens sex linearum. Applicatus hoc loco tubus minor 2 digitos longus, cujus diameter est 8 linearum, duo complectitur vitra ocularia, quorum alterum plano-convexum, pro loco trium digitorum, partem convexam speculo obvertit, alterum convexo-concavum, pro foco decem linearum, cava sua facie extrorsum spectat. Hunc tubum alius circumplectitur, cujus excavata ad oculum recipiendum extremitas parvum foramen habet, quartam lineae partem non superans, & octo circiter linearum spatio a vitro proximo remotum. Circa medium officium tubi majoris, cujus apertura 20 linearum definita est, exiguum haeret speculum cavum, diametrum habens 8, & focum 18 linearum, cujus cava & polita superficies majori speculo obversa est, spatio intercedente digitorum decem & dimidii. Hoc speculum eo artificio in loco suo firmatum est, ut, ope virgae ferreae versatilis, 10, extrinsecus ad dextrum tubi la-

cus

TAB. I.

MA Biao Nov. 14. Erud. A. 1742 Mens. Januar. p. 3



cus applicata, (cujus pars extrema formam cochleæ nacta, per matricem metallicam, *m*, transit, cui speculum adhæret,) adduci ab observatore versus speculum majus, vel inde etiam removeri aliquatenus, pro varia distantia rerum visarum, possit. De iis, quæ restant, ex inspecta Figura legentes judicabunt. Jam, quod ad materiam speculorum attinet, præcepta Autoris sunt hujusmodi: Crucibulo sensim excandefacto injiciuntur, pro speculo majore, 20 uncie cupri optimi comminuti; quibus liquefactis, & ope cochlearis ferrei igniti despumatis, affunduntur 9 uncie stanni Anglicani, separatim scilicet fusi, & antea in grana formati. Ubi satis hæc materia agitata & mixta est, octo uncie arsenici albi, in duas vel etiam tres partes divisa, & totidem schedulis involuta, sigillatim adduntur, obrecto postquamque injectionem crucibulo, ad tempus circiter duorum scrupulorum. Postea, cum non amplius materia fumat, despumatur rursus & agitur, ope cochlearis, de quo dictum est; interjectoque tempore 3 vel 4 scrupulorum, ab igne removeatur, ac denuo despumata & agitata, in formam infunditur, inclinato situ firmatam, nec prius aperiendam, quam omnia per se satis refrigerata fuerint. De cetero, ne quid frigidi vel humidum in metalla fusa illabatur, neu pernicioso arsenici fumo homines assentur, sedulo cavendum. Diximus, specula majora perforari, quo scilicet per ea, atque adeo per ipsos tubos, directus oculo transpectus pateat; sed exponit etiam præclarus Autor ejusmodi Telescopia, quæ integris speculis a latere inspicuntur. Denique nec specula minora plana, eorumque usum, silet, neque illud docere intermittit, quo pacto rerum quarundam proportionem & dispositionem, ad molem tuborum adhuc magis minuendam, satis commode variari possint.

AN HISTORICAL, CRITICAL, AND PRACTICAL
Treatise of the Gout, &c.

hoc est,

TRACTATUS HISTORICUS, CRITICUS, PRACTICUS, de Podagra, sistens non tantum lubricum fundamentum,

tum, sed etiam periculum & præconceptas sententias, omnium systematum philosophicorum & hypotheseum medicarum, ad hæc necessitatem eorum, quæ Medicus scire debet, quod morbos attinet, qui Podagram præcedunt, eandem concomitantur, & in quos tandem Podagra, incongruo remedio persanata, desinit, cum sermone, quo libellus dedicatur, de præsentè statu Medicinæ per Europam. Autore THOMA THOMPSON, Med. D. quondam Pro-syndico Universitatis Patavinæ.

Londini, sumptibus & typis Joannis Hughes, 1740, 4.

Alph. 1 plag. 7.

Quamvis Medicinæ noxam intulerit nimius hypotheseum amor, & studium secundum præconceptas opiniones morborum curationes instituendi, docetur in Præfatione, nec tantum nocuisse pristinæ Medicinæ arbitrarías sententias de qualitatibus, de temperamentis, quantum nunc noceant mathematicæ declarationes rerum, quæ experientia, non ratione, constant. Quapropter fatius esse ducitur, historias morborum rite nosse, & varios morborum status dijudicasse, & secum reputare, in quo corpore fuerit ægrotudo, cum pauciores sint morbi, quos non sexus, ætas, corporum habitus, in diversis ægrotis diversos reddat. Comprobatur amplissima oratio illustri exemplo Podagræ. Hanc media latinitas guttam appellavit. Sic habet Pseudo-Ovidius Lib. II. de Vecula: *Tussiat æternum, juncturas gutta fatiget.* A parte corporis, quæ patitur, morbus dicitur Podagra. Græci ab impedimento vel retentione pedum nominant. Arthritis cunctorum articularum, seu multorum, dolor est, sub qua Podagra est, generis sui species. Quodsi in pedibus & articulis dolor simul sit, Hamartriticem, dolorem articularum & pedum simultaneum, compellant Græci. Arthritis genuum Gonagra, manuum Chiragra, tendinum Tenontagra, audit. Arthritidem, si ve quæ pedum est, si ve quæ omnium articularum, salutarem esse, non tantum Medicorum scholæ, sed & plebeji, dicunt, nec desunt, qui eandem in optatis habeant, quo graviore morbo solvantur.

titur. Respondet opinioni experientia. Videas, quibus vertigo, nausea, vomitus, asthma, capitis dolor, cessat, superveniente articulorum dolore; id quod ideo evenit, quod magna pars hominum ad inflammatorios affectus proclivis, a causa eadem, in diversis tamen corporis locis, quiescentem & inflammatum abhinc cum dolore sanguinem concipiat. Quare mirum non est, in pedum articulis id evenire, quod paulo ante in variorum viscerum membranis evenerat, quorum sanguis tandem aliquando secundum circuli leges transfertur & quiescit in extremis, cum vitalium levamine. Hinc certum est, non tantum morbum inflammatorium esse podagram, omnesque affectus arthriticos, sed & febrem inflammatoriam podagræ indivisibilem esse comitem, cujus eadem sint, quæ omnium, phænomena, signa, eventus, curatio. Inde consequitur, inflammationis arthriticæ gradus varios vario modo evenire posse, ut adeoque tantum ablit, omnes podagricos dolores bene cedere, ut potius multi in præsens vitæ discrimen ægrum inducant, si scilicet summum inflammationis gradum acquisiverint, qui omnibus partibus corporis humani lethalis plerumque esse solet. Tales sunt illi dolores podagrici, qui, præter articulum pedis inflammatum, aliorum viscerum inflammationes, id est, inflammatorium dispositionem totius, secum ferunt, ut sint, qui junctim habeant colicam podagricam, asthma podagricum, deliria podagrica, affectiones hystericas & podagricas. Qui morbi complicati raro bene cedunt. Est aliquid, quod dici nequit in morborum omnium permutationibus, ut superveniens quadam ægrotudo priorem solvat, quod quotidiano rerum medicarum utu comprobatur. Propterea varii morbi, qui arthritide curantur, arthritide suppressa redeunt & increbrescunt. Qua ratione hæmorrhoidum anomalia podagram excitare possit, Autor erudite exponit. Hinc & aliorum exemplorum robore ad obsirmandam sententiam uritur. Non tamen una eademque est affectuum arthriticorum facies. Videas, qui parum inflammati, quin potius ad affectus lentos torpidosque proclives, non minus podagram habeant. Quidam toto corpore tument, quidam icterico colore flavent; alii stupent, & affectibus comatosi afficiuntur, hinc, superveniente pedum dolore, melius sese habent; sicut etiam symptomata variant,

riant, deliria, somnolentia, spasmi, asthma, vertigines, vomitus, alia. Præstantissimum est, si salutaris sit, typum fervare podagram, statimque solvi sudore, urina turbida. Ast, erraticæ si qua est podagra, sæpe recurrens, diuturna, tandem nodosa vel suppurata, cui urinae albescent, aut lixivium referunt, partes extenuantur, nullam sane salutis spem agro facere potest. Illis observationum diversitatibus ducti Auctores, temperare sibi haud potuerunt, quia in varias sententias abierunt. *Hippocrates* bilem & pituitam acculat; *Diocles* humores calidos & emaciantes affert; *Themison*, *Theffalus*, & alii dogmaticæ sectæ professores, laxum corporis habitum; *Celsus Aurelianus*, methodicus, fibræ stricturam, habet; *Galenus* de pituitosi humoris defluxu ad articulos cogitat; *Trallianus* sanguinis in articulo stillicidium allegat; Arabes bilem criminantur; *Paracelsus* salia; nec eandem recentiores de difficili hoc argumento sententiam amplectuntur, dum suæ quilibet hypothesei famulatur. Sanguinem inflammari docet Auctor; cui sententiæ curam ferocissimi morbi superstruit. Acculat temeritatis summo jure, quotquot in morbis inflammatoriis omnibus, variolis, pleuritide, nimium confidunt bezoardicis, alexipharmacis sudorificis acrioribus, quorum usu inflammatio ad summum caloris gradum, id est, sphacelum, perducitur. Hinc & parum prodessè, imo nocere, docet podagricis efficaciora remedia, quorum usu corpora intente calent. Contrario regimine utitur, & dietam ordinat; hinc accommodata uniuscujusque aegri conditionibus suadet remedia. Nec tamen omnino dissuadet aromatica sudorifica, quæ tonum fibræ roborant, siquidem corpora fuerint cachectica cacochymica, tumida, icterica, quorum viscera internæ substantiæ vitio laborant; laudatque inter alia remedium caryocostinum. In omnibus experientiam uberrimam, ratione confirmatam, demonstrat.

FRANCISCI RONCALLO - PAROLINI, ACADE-
miae Instituti Scientiarum, quæ Bononiæ est, Socii,
Dissertationes quatuor.

Brixia, ex typographia Marci Vendrameni, 1740, 4 maj.

Plag. 19.

Quatuor

Quatuor hæ Dissertationes argumenta explicatu perdifficilia doctè satis accurateque exponunt, atque, præter has internas dotes, chartæ etiam magnitudine atque densitate, typorumque grandiorum nitore, oculos oblectant. Haud dubie ea quoque ex causâ aliquid ipsis dignitatis accedit, quod Bononiensi Scientiarum atque Artium Academiæ a Cel. Autore dedicata fuerunt. *Prima* doctrinam Medicinæ pragmaticæ *de usu Purgantium in aere Brixiano* pertractat. Doctiss. Autor usus remedium catharticorum non admodum patrocinatur, multo autem magis in frequentem ejusmodi medicamentorum apud Brixienfes abusum, nec id immerito, invehitur, & præter alia consideratu maxime digna, præcipue etiam aeris externarumque rerum omnium indolem & modum, quo corpus afficere solent, probe expendi debere monet. Quamquam enim aer Brixienfis subtilis est, ætherius, atque elasticus, & particulis plerumque siccis, hoc est, sale quodam volatili acidiusculo, abundat, qualis a *Lancifio* maxime salubris prædicatur; neutiquam tamen regnante aquilone, nec hiemis, nec æstatis, tempore, alvum purgare conducit. Ad noscendum hunc statum horoscopicas natalitias divinationes commendat, quæ desumantur ab eodem momento, quo cœli pars ab oriente, homo autem catharticum sumitur ab utero, ortum traserunt. Futura quoque aeris conditio, gravitas, vis elastica, humiditas, calor, & frigus, instrumentis idoneis exploretur. Deinde vero usu catharticorum vehementiorum, quippe in agro Brixienfi perquam noxiorum, interdicit, atque ob eandem rationem emeticis rarissime uti permittit, præcipue vero etiam ab omni generis medicinis, ex antimonio paratis, ut infidis, sibi cavere jubet cives suos, & quæ tuta præ aliis atque innocentia prædicantur, cautissime tamen adhibenda esse inculcat. Denique, die isto, quo capitur catharticum, ante omnia in accuratiorem venti observationem, qualis scilicet, & a quibus plagis profectus, aerem tunc agitet, incumbendum esse contendit, ne forte huius etiam interventu purgatio magis in detrimentum corporis, quam salutem, convertatur. Atque profecto ita cautionibus suis catharticorum usum circumferibit, ut vix commodum his sumendis tempus fore videatur.

deatur. Altera Dissertatio *de homine invulnerabili, Italice Fataione, vulgo Ingermadura*, disceptat. Perſuaſio ea omnibus motuum legibus repugnat. Ex cauſis quidem naturalibus fieri identidem ſolet, ut corpus obiectum non violetur. Aliquando enim culpa ſclopeteri, tum ratione inſinuationis & amplitudinis ſpiraculi, tum ratione proportionis & inſinuationis ferrei tubi, impetus exploſionis redditur debilis, ut irritus debilisque icſus ab hiſce cauſis conjunctis, *per accidens*, ut vocant, eveniat. Neque minus ratione pulveris pyriti, atque aeris ipſius, ſubinde exploſionum impetus impeditur. Ratione etiam corporis humani nonnunquam difficultates trajectioni glandis plumbeæ obſciantur. Ipſa enim integumenta corporis conſtat mollia eſſe atque elatica, ita, ut ab impetu vindicentur, atque in priſtinum redeant ſtatum, ac proinde glans, cujus impetus jam alia ex cauſa fuit infirmatus, arte non penetrat. Huc etiam pertinent veſtimenta varii generis, quæ compreſſionem patiuntur, præcipue ſi variis plicis, aliquatenus a ſe invicem remotis, conſuantur. Irreritur quoque impetus plumbei globi a ceſſione & receptu, quoties vulnerandus, icſum videns, fuga aut caſu aliquantum recedit, idque eodem momento, quo glans plumbea induſium aut thoracem attingit. Præterea etiam prope tormentum plumbea glans facili adeo negotio a laneorum aut ſtupeorum obturaculorum amplexibus ſe extricare nequit. Interdum & peculiaris corporis poſitio, e. g. obliqua, ut plumbum, indumenti ſuperficiem lambens, prolabatur, item carnes magis firmæ & conſiſtentes, globi efficaciam impedire valent. Denique & *per accidens* ſingularis occurrere poteſt indumentorum cum carnis ſtramentis conjunctio, ita, ut ſubtilioris veluti anaclinterii, farturæ, aut tomenti, vices gerentibus, glandis plumbeæ impetus e veſtigio extinguitur. Præter hæc vero vix quidquam eſt in rerum natura, quod eo valere videatur. Quanquam enim alias aſtrorum influxui multum tribuit Autor, ab eodem tamen ſiderum atque planetarum influxu pariter atque a ſigillis, faſcinis, atque characteribus, fieri poſſe negat, ut corpus a vulncrationibus liberum atque immune conſervetur. Neque etiam
in

in rebus naturalibus quidquam esse existimat, quod idem præster, quamvis pro summo arcano vendiderit; quin imo nec a malis infernalis genii artibus id expectandum esse, sed, si quando contigit, ut corpus a plumbeæ glandis ictu evaserit liberum, id vel ex mechanicis rationibus, superius expositis, vel favente permittenteque Deo, evenisse. *Dissertatio tertia de ferreis multisque acubus anatomica inspectione repertis* dilquirit. Initio Cl. Autor historiam morbi, longi & gravis, cum multis symptomatibus acerbis & inter se implicitis conjuncti, accurate enarrat, quo virgo sacra misere confecta fuit, in cujus corpore subobscuras aliquando, hinc inde sub extrema cute apparentes, lineolas casu observavit, & digitorum pressione demum ferreas acus in externis præcipue coxarum lateribus infixas fuisse comperit, quibus varie conspersa caro distinguebatur. Vidit eandem post obitum quoque notas, & instituta, quam fusius refert, sectione, incisa capitæ cuticula & cute, vixque deprehensa superficitis pinguedinis vestigio, inter ejusdem filamenta & intercapedines, reperit incarcerationes delitescere ferreas acus, supra pericranium stratas, quæ interventu viscosi atque acris glutinis coagulantis, ex sero, in adiposis membranis hydropicorum alias etiam observato, & ferrugine, orti, adeo continentibus membranis solidata connectebantur, ut post inceptam sectionem licet vassella apprehenderentur, sine laceratione tamen, aut profundiori repetita incisione, separari vix possent. Ex triginta, quæ probabiliter aderant, quatuor tantummodo extrahere ipsi licuit, unamquamque ferream, in crassiori extremitate perforatam, exiguos duos digitos transversales longam, ex earum numero, quibus vestes farciuntur, sanguine & rubigine tinctam, & capillorum radicibus, atque testis exillium ligamentorum propaginibus & fibellarum villis, asperam adeo, ut, licet circumcirca fricaretur, nihil tamen ferrei in ea eluceret. Atque ejus generis plures acus ferreas, in variis aliis corporis partibus externis & musculosis, integrum quoque in musculis abdominis acicularum fasciculum, invenit. Tum vero de acicularum ortu, & quibus viis in ea loca venerit, nihil quidem disputat, difficile tamen fieri posse ostendit, ut ferrea in corpore animato acus sine cutis & solidorum vitio exitat. Quoniam

enim omnes atque singulæ corporis nostri partes inter se conspirant, evenire solet, ut sanguis, in perpetuum orbem discurrens, vario laticum, ad fermentandum pronorum, concursu auctus & agitur, ab aliqua licet miliari glandula, ab exiguo principio quandam infectionem recipiat, quæ neque in repetitis circuitibus subacta, neque per vias excretioni destinatas eliminata, totam liquidorum massam e vestigio inquinare valet, præsertim si acris quædam, aut quocunque alio modo elastica, accedat vis virulenta, quæ fermenti instar omnes succos conspurcet. Quod quidem non modo in majoribus nervorum fibrarumque læsionibus, verum in levissimis etiam & externis eorundem offensionibus, est pertimescendum. Difficilem proinde putat acuum existentiam, plana sanaque superstante cute, ut quæ subindicet, jam pridem eas fuisse introductas. Exquisitissimorum vero cruciatuum, omniumque symptomatum, rationes patent ex centenis & amplius inflictiis vulneribus, quibus taceffita natura balsamico destituitur rore, non minus, quam ex ratione specificæ molis, scilicet ex tot morulis extraneorum corporum. Cum enim certo liquidorum circuitum impediunt, nervorum appendices comprimant, acque rubros non minus, quam albos, valorum ramos intercipient, fieri aliter nequit, quin circumeuntes interliti humores alio deriventur & influant, aut secus per aperta oscula diffundantur. Quod vel chirurgorum cautiones condocent, qui non curationi vulnerum, fistulæ, atque ulceris, manum admovent, quin confestim etiam peregrina corpora extrahant. Accedunt ad augenda symptomata peculiaris acuum figura, ex una parte in acutam cuspidem, ex altera in obtusam quidem, ad feriendum tamen idoneam, desinens, ferrugo earum contracta, ejusmodi vulnusculis perquam inimica, nervearum productionum læsiones, agrotantis corpus tenerum, adstrictum, & exquisitissimo sensu præditum, stratum perdurum & incommodum, perpetua corporis commotio, totumque vitæ genus asperum, & ab omni mollitie ac quiete alienum. Dissertatio denique quarta de *Egagropilis* Epistolam sistit, qua mentem suam de hoc medicamento genere nonnemi Auctor declarat. Queritur, incertum esse illorum ortum, ex quibus vegetabilibus præcipue in ventriculis suorum anima-

animalium generentur, & cum imprimis ex Draconico nasci ferantur, hujus autem vires ab aliis venenatae & mortiferae, ab aliis autem medicamentosae & salubres, praedicentur, plantas Doronici cum Aconicis & imprimis Pardalianche conferendas esse monet, ut diversitas utriusque eruatur. Neque minus de dubiis incertisque, quae nonnulli his *Agagropilis* tribuunt, effectis queritur, atque agere admodum fert, Medicos adhuc in extollendis plerarumque rerum naturalium viribus medicamentosis nimium fuisse liberales. Quanquam initio statim elegantiae & de trinae laudem his Commentationibus suo jure tribuimus, atque in ipso Cl. Autore exquisitam amplificandae Medicinae industriam, pro eo ac decet, extulimus; non tamen in ipsum nos credimus fore injurios, si & hoc ad extremum adjiciamus, nonnulla ab ipso praetermitti momenta, quae ad argumentum, quod tractat, omnino pertinere nobis videntur, ordinem quoque interdum negligi, & scribendi genus verbosum nimis & circumductum, atque ejusmodi, esse, ut sensus persaepe implicetur, & obscurus evadat.

PETRI D'ORVILLII, JCTI, POEMATATA.

Amstelodami, apud Aed. Wor et haeredes Gerardi Ouder de Linden, 1740, 8.
Plag. 20.

Petrus Dorvillius, Jctus praestantissimus, frater *Jacobi Philippi* illius fuit, qui nunc vel maxime apud Batavos bonas literas ornat. Is praeter ceteras ingenii dotes egregias habuit etiam hanc, cujus velut radicibus poetica facultas sustentatur. Quod cum ille sensit, dignam se rem tanto tamque raro naturae bono facturum existimavit, si, quicquid ad eam ingenii vim alendam valere putaretur, id omne studiose sibi diligenterque faciendum statueret. Itaque totus ad legendos imitandosque veteres Poetas conversus, perfecit, ut in praestantissimis nostri temporis, & dignis antiquo saeculo, Poetis & haberetur & esset. Neque in uno tantum genere Poeseos excelluit, sed varia & diversa genera pari felicitate usurpavit. Nam neque in Elegiis ejus facilitas, neque in Odis vis, neque in Hendecasyllabis lepos & venustas, neque in Eclogis grata simplicitas, desideratur. Hic cum

eum immatura morte obiisset, non dignum minus, quam ju-
 cundum eruditis, monumentum pietatis suæ in fratrem fore pu-
 tavit *Jacobus*, si, quicquid ab eo in omni genere carminis scri-
 ptum haberet, uno volumine comprehensum eaderet. Atque
 hoc ille ita fieri curavit, ut ingenii fraterni splendori ipsius mo-
 numenti splendor respondeat. Operis descriptio hæc est.
 Primum locum occupant *Libri quinque Elegiarum*, in qui-
 bus agmen ducit elegantissimum Poema ad *Petrum Bur-*
mannum, quod *Criticen* inscripsit. In eo per ingeniosam
 fabulam Criticæ artis leges & natura & fata, Criticorum-
 que vitia & virtutes, explicantur. *Critice* Nympha fuit, sive
Mercurii, sive *Jovis*, & *Mnemosyne* filia, cujus non procul
 Pindo sedes fuit. Ea invocata ab aliquo, qui ejus sa-
 ceris initiari cupiebat, apparet, & ei leges sacrorum suorum
 commemorat. Inde redeuntem cum conspexisset *Apollo*, magno
 ejus amore incensus, primo æquitatis illius & acuminis peri-
 culum facit, modo recte canens, modo, data opera, vitiose.
 Perspecta ejus in judicando & subtilitate & æquitate, multo ma-
 gis amare, suosque amores ipse canere, incipit: in quo cum ab
 Nympha laudatur, se reclamari, suumque amorem probari, pu-
 tat. Itaque non dubitat ei amorem suum confiteri. Sed Nym-
 pha fugam capit. Frustra. Nam *Apollo* eam insecutus pre-
 hendit, & bonis verbis mitigare studet. Nympha timens simu-
 lat se jam *Apollinem* amare, eaque simulatione efficit, ut *Apol-*
lo per *Styga* juret, eam primam Musarum fore. Sed, animad-
 versa fraude & fastidio ejus, etsi mutare, quod jurato promiserat,
 non potest, tamen eam ipse cum ceteris Musis relinquit, & con-
 temtu pari ulciscitur. Eo contemptu Nympha incensa, animos
 suorum incitat, ut, quicquid ab *Apolline* & Musis profectum
 est, acerbè & inique reprehendant, mutent, corrumpant. Ea-
 res facit, ut poenitentia subeat *Apollinem*, & *Criticen* placet.
 Quo facto, ipsam quoque cepit poenitere facti. Itaque, quan-
 tum potest, reparare malefacta studet, benefaciendo per *Scali-*
geros, *Valesios*, *Casaubonos*, *Salmasios*, *Victorios*, *Ursinos*,
Faernos, *Erasmos*, *Gronovios*, *Grotios*, *Heinsios*, *Grævios*, alios-
 que. Reliquæ Elegiæ maximam partem amicorum sive lætis, sive
 tristibus, temporibus sunt tributæ. Liber quintus vero habet.

Anacreonticarum Odarum quarundam interpretationes, & *Odas Horatianas* quasdam elegiaco genere expressas. Sequitur deinde *Liber Carminum*, qui capit initium a bene longo Carmine, e *Jo. Vollenhovii* Belgico eleganter expresso, sub titulo *Christi triumphantis in cruce*. Ibi reperies etiam Eclogam & Hendecasyllabos ad *Franc. Oudendorpium*, oppido venustos & elegantes. His *Petri Dorvillii* Carminibus duo Libri Carminum subjecti sunt, quorum alter, qui *Adeptivorum Liber* inscribitur, continet Carmina, ad ipsum *Petrum Dorvillum* scripta, in quibus multa sunt egregia Virorum clarissimorum, *Hoogstratani*, *Sibersma*, *Oudendorpii*, *Jac. Snakenburgii*, sed plurima *Phil. Dorvillii*, Carmina, cujus insignis & par fraternæ facultas poetica jam aliunde nota est. Ultimum locum tenet *Liber Epicediorum*, in obitum *Petri Dorvillii* scriptorum a viris doctis, ex quo sane intelligitur, bonam adhuc in Batavis virorum doctorum copiam esse, qui Latinos versus, & eos quidem probabiles atque elegantes, possint scribere; quod sane bonum bonis literis signum putandum est, cum usu docti sciamus, cum Poetis bonis literas effloruisse & occidisse.

PHILOSOPHICA CHRISTIANI WOLFFII, MATHEM. ac Philos. in Acad. Marburg. P. P. aliorumque recentiorum, DU-VIGIERII præsertim & LEIBNIZII, de origine & præexistentia animarum, theologicè discussa atque excussa, sententia.

Verone, 1738, 8.

Plag. 22 dimidiata.

Occasionem scribendi hunc Tractatum Auctori doctissimo, *F. Tb. Gundisatvo Cavattini O. P.* nova dedit *Wolfiana* Philosophiæ editio, quæ cepta est *Verone*, typis *Dionysii Ramazzini*. Cum enim prior *Theologia naturalis Tomus*, antequam prelo subderetur, illi committus esset examinandus, hoc potissimum dogma, de præexistentia tum corporum humanorum, tum ipsarum etiam animarum, in primis parentibus, spongia dignum, & catholicis scholis minime invehendum, censuit. Quod licet ægre ferri intelligeret a nonnullis Celeberrimo *Wolffio* ad-

dictis, quibus aut minus aptus, aut certe morosus, censor videretur, qui ea probare nolle, quæ & alii censores catholici approbassent, & catholici quoque scriptores, velut *Du Vigierius*, statuissent, non tamen eo se adduci passus est, ut sententiam mutaret; sed hoc promisit, se, quibus de causis isto modo censuerit, quamprimum ostensurum. Ita natus libellus est, quem nunc in manibus habemus; in quo studiosissime collegit Auctor omne genus argumentorum, quibus uti possit Theologus catholicus, ad sententiam illam de præexistentia hominum refellendam. Primum ex sacris literis & ex *Mosæica* creationis historia illud urget, non homines universos ab initio creatos esse, sed duos, per veras generationes deinceps multiplicandos. Ea etiam loca excitat, ubi de sterilitate piarum quarundam sceminarum sermo est; itemque ea, ubi in utero divinitus formari homo dicitur; diemque suum natalem execrantem *Jobum* ita affatur: *Quamobrem tam sero tempore maledicis, o bone Jobe, si ab ipso mundi exordio esformatus es?* Post divinorum auctoritatem oraculorum, auctoritate quoque Ecclesiæ universæ, Concilii Lateranensis V, Pontificum Romanorum, Patrum, Doctorum Scholasticorum, & Juris Pontificii peritorum, ipsorumque Philosophorum, contra adversarios suos pugnat. Docere deinde conatur, nullam rationem naturalem novo systemati suffragari, planeque enormia & absurda esse, quæ inde sequantur. Addit de virginitatis & continentię voto, de matrimonii insolubilitate, & de monogamię lege, quas res haudquaquam patri arbitratur, ut singulos homines in mundi exordio creatos cum *Adamo* statuamus. Denique & dogma peccati originalis obscurari potius in adversariorum novo systemate, quam dilucidari, contendit. Afferemus pauca quædam, ipsis Auctoris verbis, ex *Capite X* libri, ubi de ratione naturali agitur. *Principium*, inquit, *illud, cui Philosophi recentiores, Poliporum ad instar, super hac questione adhaerescunt, est generationis substantialis impossibilitas. Quod principium adeo verum putant, ut ejus probationem otiosi hominis esse velint, & in oppositum misitare Peripateticorum delirium. Ex hoc principio, ipsis inconcusso, inferunt statim, sapientissimum Numen creasse in mundi exordiis, quotquot sunt, fuerunt olim, & erunt deinceps, homines.*

mines. Quæ argumentatio utroque pede claudicat. Primo enim, quamvis demus, impossibilem prorsus esse novarum substantiarum genesis, quid inde? Ergone Deus initio mundi omnia & singula corpora efformavit, omnes & singulas animas creavit? Hanc conclusionem centum juga boum, si ducerentur, non traherent; nam & Cartesiani & Gassendistæ eque novas gigni substantias inficiantur, & tamen nec somniantur quidem id inferre. Deinde, cur nova corpora fieri non possunt? &c. De Medicorum quorundam & Philosophorum observationibus, ope microscopiorum, circa vermiculos in semine animalium, factis, hæc apud Autorem nostrum leguntur: Quoniam cum Medicis, qui vitæ & mortis nostræ arbitri sunt, contendere nolumus, quæcumque hi se vidisse narrant, pro visis habemus. At quid inde? Num animalcula, quæ observantur, ab initio mundi creata sunt? Num adeo gnari archeismi sunt, ut omnes antiquitatis characteres, canos crines, corrugatamque frontem, deprehenderint? aut, quæcumque deinceps nascituda sunt, ipsis inclusa observarunt? Minime gentium; etiamsi centum aut mille conspiciantur naso imponant. Sub finem Capitis, unum e multis se allaturum experimentum, contra animantium mundo coævorum patronos, profitetur doctissimus Autor, quod ut quis videat, nec microscopio opus sit, nec conspiciantur, de asino videlicet, ex equa mulum generante. Quod si enim, inquit, in primo asino Deus posuit omnes asinos, qui seminarum utero excepti in ea postea, quam a Deo habuerunt, forma nascerentur, profecto ex asino non nisi asinus nasci debet, sive asina, sive equa, sit femina, quæ parit: cur mulus equæ similior, quam asino? Muli, cui non est intellectus, quotidianum semperque uniforme experimentum satis docet, Deum non posuisse in primis animantibus cuncta animantia, nec proinde in primo homine omnes & singulos homines. Hæc Autor hujus libelli, qui de cetero ipsum Wolfium nostrum, quod ultro deleri ex editione Philosophiæ suæ Veronensi iussit, quæ Censoribus displicuissent, magnis extollit laudibus, eique, una cum Nestoreis annis, veram in Deum fidem applicatur.

*EXCERPTA EX LITERIS JACOBI MERRICK,
Oxonienfis, ad F. O. M., quibus Nova quædam li-
teraria continentur.*

Frisch-

Frischliniana Tryphiodori editione, cujus usum mihi concessisti, me in Græco *Tryphiodori* contextu emaculando haud leviter adju- tum, libens profiteor. Tota autem hujus mei Opusculi ratio hæc est. Primum locum obtinet Dissertatio, sermone Anglico scripta, in quam contuli, quicquid de *Tryphiodoro*, ejusque scriptis, hinc inde potui col- ligere. Huic succedit Versio Anglica, cum perpetuo Commentario, in quo e scriptoribus sacris & profanis ea congeffi, quæ aut *Tryphio- dorum* illustrare, aut ex eo illustrari, posse videbantur. Una cum his in lucem prodibit ipsum *Tryphiodori* Poema, variis Codicis MSci le- ctionibus & selectis Virorum doctorum notis emendatum, quibus meas qualescunque conjecturas adjunxi. Græco denique contextui metricam *Frischlini* Versionem, erroribus typographicis (quibus pess- ime conturpata est) repurgatam, subjeci. Longe quidem abest, ut mul- tum utilitatis aut ornamenti ex his meis nugis Reipublicæ literariæ accessurum esse existimem; nec tamen operis suscepti prorsus pœni- tet, dum mecum reputo, quot Viri ingenii & doctrinæ laude cele- berrimi conatus meos adjuverint, & me favore suo honestarint. Cum autem me tibi significare velis, quid novi in re literaria apud nos geratur, visum est pauca hæc tibi, quæ votis tuis aliquatenus satisfactura spero, indicare. Prelo propediem subjicietur Liber *Jobi*, in versiculos metricè divisus, cum versione Latina Cl. *Alberti Schul- tens*, notisque, ex ejus Commentario excerptis; quibus suas etiam An- notationes, ad metrum præcipue spectantes, adjecit *Richardus Grey*, S. T. P. Idem Vir doctus A. 1738 Novarq linguæ Hebrai- cæ methodum, Anglico sermone scriptam, evulgavit; cui ad- junxit Proverbiorum librum, metricè divisum, & Notis criticis illu- stratum. Libri præcipue notandi, qui sub prelo Oxoniensi jam labo- rant, hi sunt: 1) *Historia Muscorum*, generibus XX absoluta, in qua species ad genera, varietates ad suas species, referuntur, & ge- nera methodo naturali, a simplicioribus ad perfectiora progrediendo, disponuntur; ipsæ etiam species methodo quadam dispositæ sunt. Ac- cedunt multæ noviter detectæ species, & ad finem Plantæ quædam aquaticæ rariorés, muscis affines, describuntur. Cum Iconibus, ad viva naturæ exemplaria exacte factis, opera *Jo. Jac. Dillenii*, M. D. in Universitate Oxoniensi Botanices Professoris. 2) *Francisci Junii*, F. F. Etymologicum Anglicanum, studio & opera Viri Rev. *Edu- ardi Lye* auctum & expolitum. 3) *Scriptorum Ecclesiasticorum Hi- storia literaria*, Autore *Guilielmo Cave*. Editio novissima, ab Autore ipso ante obitum recognita & auctior facta. Prius hujus Operis Volu- men jam in lucem prodit, alterum prelo nuper commissum est. An- no fere abhinc literas accepi a Celeberrimo *Bernardo de Montfaucon*, quibus mihi significavit, se *Eudociæ Macrembolitissæ* Opus ineditum, quod *IONIA* inscribitur, in Lexico suo novo, quod sub finem hujus annitypis daturus erat, editurum. Huic Lexico se ab annis plus LV manum admovisse scribit Vir eruditissimus, & quater mille voces reperisse, quæ in Lexicis Græcis omnibus desiderantur.

* * *

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXLII.

RERUM MECLEBURGICARUM LIBRI OCTO, quibus, post brevem antiqui provincie sub Vandalis status expositionem, ea, quæ sub Divo Carolo Magno, ac ejus successoribus, domi forisque usque ad obitum Adolphi Federici, primi Ducis Mecleburgici, gesta sunt, præterea origo, status, & forma Serenissime familie Mecleburgicæ, ejusque ditioes, jura sublimia, territorialia, decora, Regalia, &c. tam ex Historia antiqua, quam recentiori, ex pactis hereditariis Serenissimorum Ducum inter se & cum Ordinibus, ex Jure Saxonico veteri, Statutis & Ordinationibus Provincie, &c. summa, qua fieri potuit, fide recensentur & illustrantur a MATTHIA JOANNE BEEHR, Equite Mecleburgico. Ex MSro edidit, & Præfationem de ratione, qua Germani merita sua in studium historicum in posterum amplificare possunt, vitamque Autoris, præmisit, JOANNES ERHARDUS KAPPIUS, Eloquentiæ in Academia Lipsiensi Professor.

Lipsiæ, impensis Joannis Christiani Martini, 1741, fol.

Alph. II plag. 4.

Si qua laus eis, qui aliorum populorum rebus pervestigandis se totos dederunt, tribuitur; multo eum sane magis de nobis bene meritum esse existimare debemus, qui in explicandis patriis rebus accurate versatur. Horum autem in numero Illustrem Beerium, Equitem Mecleburgicum, merito ponimus, qui suafu Illustriss. Domini a Pleffen, amici Regis Daniæ, & Ill. Baronis de Bernsdorff, Angliæ Regis a Consiliis, Historiam patriam a Taciti temporibus usque ad Adolphum Fridericum, primum Ducem Mecleburgicum, scribere est aggressus. Quo

minus autem Operis, finiti jam, natales videre potuit Autor, morte impeditus, eo plus Celeberrimo *Kappio*, Prof. Eloquentiæ in Acad. Lipsi Publico, debemus; qui posthumum illud, ab *M. Christ. Aug. de Berkezbien*, cui Autor id commendaverat moriens, per *Kortbottum*, Concionatorem Legationis Daniæ Vindobonensem, acceptum, in lucem edidit. Præfatus est Cel. *Kappius* de ratione, qua Germani sua merita in studium patriæ historiæ amplificare possint; ubi, Autoribus ejusvis ætatis optimis adductis, primum subsidia commemorat, quibus adhibendis Historia Germaniæ magis excoli possit; in quibus primo loco cognitionem scriptorum numerat. Et, quoniam vix sufficere ad justam eorum cognitionem putat, quæ jam in manibus sunt, *Eccardi, Heubeli, Struvii, Fabricii*, aliorumque, Bibliothecas; ut ad modum Bibliothecæ Gallicæ *Longianæ* perscribatur Scriptorum Germaniæ thesaurus, vehementer optat. Deinde Principes maxime rerum patriarum cognitioni consulturos existimat, si alendo præmiisque majoribus afficiendo Historiæ studiosos, eisque codices, documenta, actaque publica, subministrando, ceteris studium atque æmulationem incendant. Et, ut utilissimum patriæ historiæ censet fore, si consuetudines atque antiquitates Germaniæ, nec non Historia ecclesiastica, & literaria, majore studio coleretur, ita imitandos in ea re esse veteres docet, & quæ *Polybius, Livius, ac Lucianus*, de utilitate Historiæ in vita civili, & republica administranda, disseruere, maximopere commendat. Pleraque commemorat veterum scripta, in Theotiscam linguam conversa; optatque, ut & in hoc genere diligentius laboretur. Harum rerum omnium ut utilitatem, ita etiam obstacula atque difficultates, & quomodo sint ea tollendæ, explicat. Fontes denique, ex quibus sua hauserat *Beerius, & Habneri* Catalogum Scriptorum Meceleburgicorum, subjunxit.

Jam supra monuimus, ipsum *Beerium* Commentariorum a *Taciti* tempore initium facere. Hæc itaque tempora usque ad *Prebistaum II primo Libro* ita persequitur, ut de veteribus Meceleburgicæ terræ populis, locis, moribusque, exponat. Res gestas Ducum a *Prebista* ad *Henricum X Libro II* complexus est, addito *tertio* de Herulorum Venedorumque Ducum serie, & *quarto* de statu harum regionum publico. Ad *Henricum X* redit

redit sub initium *Libri V*, quo ceteros, qui eum secuti sunt, ad obitum *Ulrici IV* comprehendit, continuatque hanc enarrationem *sexto & septimo Libro* usque ad *Adolphi I* mortem, totumque Opus absolvit *octavo Libro*, in quo status provinciarum, qui nunc est, post pacem Westphalicam, accurate traditur. Hæc est totius Operis descriptio. Sed, ut melius, quid præstitum sit ab Autore, judicari queat, age, paulo plenius argumentum ejus commemorabimus.

Romani nihil certi de his regionibus, quas mare Balticum alluit, propterea habebant, quod Albim nunquam transgressi, peregrina semper nitebantur autoritate, sed, quæ exercitus victores non cognoverant loca, ea cognita Romanis fecit simul & luxuria & avaritia, postquam succinum, quod ante in Pannoniam deferrebat, & per Venetos Romæ immenso pretio venibat, in illo littore legi per equitem Romanum *Neronis* tempore cognitum est; idque Romam navibus deferri coeptum. *Tacitus* itaque gentes, quæ hac littora incolebant, scire, eorumque jam nomina commemorare, poterat. Hi populi coluerunt *Herthum*, cujus in quadam insula, autore *Tacito*, nemus fuit. Eam noster *Rugiam* potius cum *Cluverio*, quam *Helgenland* cum *Pontano*, interpretatur. Vandali deinde, a *Stilicone* exciti, cum ob multitudinem veteres sedes relinquere cogentur, has occupant terras. Quibus in Africam profectis, ductu *Gizerichi* (qui agros occupatos militibus divisit, & millenis equitibus Comitum præficiendo, originem domaniis atque Comitibus dedit,) sedes eorum vacuas Heruli Venedique invaserunt, Slavica gens, cujus mores veramque rerum gestarum narrationem, refutatis *Annii Viterbiensis* anilibus fabulis, tradit nobis Autor. Geographiam deinde subjungens, limites australium atque occidentalium Slavorum definivit, & *Adamum Bremensem*, obscure hos limites ponentem, illustravit. Ad orientalem Slaviam referebantur *Wagrii*, quorum metropolis *Altenburg* erat; *Polabingi*, quorum metropolis fuit *Racisburg*; *Obotriti*, quorum Deus *Radegast* in urbe *Gadebusch* colebatur, & in quorum ditione *Magnopolis* erat; *Warnabi*, *Linguones*, *Chizini*, *Circipani*, *Tholosantes*, & *Rbedarii*. Occidentalem *Heruli* incolebant multique alii populi, quorum nomina

Pag. 5.

9.

13.

39.

41.

- mina in Historia vix celebrantur. Apud Slavos nullum erat æs signatum, sed permutatione rerum utebantur, signatam vero pecuniam si quis inter prædam fortitus erat, Diis vovebat. Inter ceteras animi dotes eorum pietas erga parentes, & liberalitas in excipiendis hospitibus, quæ legibus etiam eis commendabatur, apud Autores veteres celebratur. Obotritis perpetua cum *Carolo M.* pax atque concordia erat, ipsique sub ductu *Witzani* atque *Thrasiconis* suppeticas tulere; in cujus beneficii memoriam *Carolus* eis *Nordalbingorum, Holfatorum, Stormarchorum, & Thetmarchorum*, quos antea expulerat, incolendas tradidit terras. Varia deinde Slavorum fata. Sub *Carolo M. & Ludovico Pio* in Danorum veniunt potestatem, nec ita multo post a Normannis vincuntur. *Henricus Auceps* eis, quod auxilium Hunnis tulerant, victis Hunnis, annum tributum imposuit. Danorum atque Obotritorum Reges eo tempore fidem Christianam primum amplectuntur. Slavi ab *Hermanno & Thiaderico*, legatis *Ottonis I.* victi, certam obsequii formulam accepere *Ottonis II & III* tempore. Turbis in his gentibus ortis, pleræque ad pristina sacra rediere: Sed, Ducum Slavorum usque ad *Prebistaum I* gestis recentitis, ad regiminis formam Autor transit. Fuere Slavi præcis temporibus liberi, & quamvis pleræque gentes suos haberent Reges, legum tamen vi potius, quam Regum infinita potestate, regebantur. Quilibet autem Rex IV Duces, totidemque Comites, Barones, & Castellanos, sub se habuit. Obotritis sub *Carolo M.* Duces fuere, ut & post ea tempora universis Slavis. Horum imperium & Senatus, & optimatum atque nobilium, auctoritate coercebatur, crebraque ipsis erant de re communi comitia. Rerum ecclesiasticarum brevibus mentio fit, addunturque de Clericorum disciplina quædam. Postea, cum contendit, Duces *Mecleburgicos* in Saxonum fuisse clientela, de tribus ordinibus *Mecleburgici Ducatus* differit, primoque loco Comites fuere, quibus belli gerendi, jurisque dicundi, cura erat deman data. His secundus suberat ordo militum, quorum unusquisque quatuor jugera agri (mansos appellant) possidebat. Servorum tertia & infima quidem classis, qui, ut *Helmoldus* explicat, *Schildknappen* dicti, commeatus militibus afferebant.

His

His traditis, ad Ducum historiam *Libro secundo* redit *Beerius*, ubi primus *Prebistans II* se offert. Alter ponitur *Henricus II*, qui, pace cum *Henrico Leone*, Saxonum Duce, adversus quem arma sumferat, inrita, patriam, civilibus bellis dilaceratam, in ordinem redigere studet. Revocatis exulibus, extructis, sive instauratis, urbibus, Senatui pristinam auctoritatem restituit. Plures præterea Teutonicos in Slavorum civitates assumit, & equitibus oppidi Parchim tutelam dedit, quos ab omni tributo & judicio municipali (*Marckgeding*) immunes fecit, & proprium Pag. 180. ipsis judicium constituit. Reliqui Duces operam imprimis in extirpandis prædonibus navarunt. *Henricus Leo*, Dux Mecleburgicus, adversus Rugiam Insulam arma tulit, vastata omni Insula, pluribus captis urbibus, pacem iniit cum Rugiæ Principibus, ut 35000 marcarum argenti contentus, juri suo in hanc Insulam renuntiaret. Qui *Leonem* secutus est *Albertus II*, varias irruptiones in Rugiam tentavit, sed irrito semper conatu domum rediit. Regem Sueciæ *Albertum III* ex suis Ducibus Mecleburgenses videre, infelicem tamen, captum a *Margaretha*, Daniæ Regina. Abalienatis deinde Suecorum animis, juri suo in Borealia regna renuntiat. Academia Rostochiensis natales *Joanni* & *Alberto* Ducibus debent, quorum literæ publicæ, quæ de Academia institutione scripserant, ab Autore adducuntur, simulque solennia inaugurationis recensentur. *Henricus X*, quem prodigum fuisse Autores tradunt, omnes Principatus, qui post *Henricum I* suis Ducibus gaudebant, mascula deficiente stirpe, cum Mecleburgicis Ducibus conjunxit. Horum Ducum genus *tertio Libro* lectoribus sistit *Beerius*. Autorem 422. Principum Herulorum *Nicolaum V*, *Henrici II* nepotem, atque hujus stirpis ultimum *Guilielmum*, nuncupat. Dein ad Rostochiensem transit stirpem, cujus conditor *Burvinus*, ultimus 424. autem *Utricus*, fuit. Adjuncta *Libro tertio* Sucrinesium Comitum Genealogia, ad rempublicam Mecleburgicam *Libro quarto* illustrandam pergît. Hic non modo regiminis formam atque ecclesiasticam continet disciplinam, sed & de equestri ordine, de maritimis civitatibus, & rustica plebe, agit. Mecleburgicos Principes in Brandenburgicorum fide fuisse negat, nec id ex eo 502.

concludi posse contendit, quod *Nicolaus V* apud Brandenburgicos Marchiones & aulica & castrensia meruerit stipendia. Nam, si hæc ratio valeret, consequi, ut etiam *Rudolphus Habsburgicus*, *Ostocari* aulæ præfectus, in Bohemiæ clientela fuerit. Jam tum Episcopi Academici, omnisque Clericorum ordo sæcularis, fori jurisdictioni non suberat, sed exceptionem privilegiati habebant. In tradendis Suerinensium Comitum insignibus *Spenerum* reprehendit, qui brachium, e nube porrectum, annulumque tenens, insigne Suerinense fuisse dicit, cum potius ad Stargardensem pertineat. Juribus deinde Mecleburgensium explicatis, quomodo cum Saxonis vel conveniant, vel ab iis discrepent, monstrat Cel. Autor, & equitum virtute laudata, eorum etiam jura circa prædia ex tabulis emtionis prædiorum *Struve* & *Gustekowe*, quæ fratres *de Plessen* Episcopo Lubecensi vendiderunt, docet. In explicandis Hanseaticarum civitatum juribus *Jo. Ang. Werdenbagen* & *Joach. Hagemaiorum* secutus est, omnesque earum leges ex *Korneri* Chronico novello explicavit. Multas immunitates, a Regibus iis concessas, brevemque rerum ab his urbibus gestarum enarrationem, annectit, & posteros *Henrici X Libro quinto* narrat. Eo tempore plerumque hoc servatum est, ut, si plures in Mecleburgensi Ducatu essent fratres, communem inter se haberent rei publicæ administrationem. Horum Ducum ab *Alberto VII, Magno III, & Bathasare, Henrici X* filiis, usque ad *Ulricum IV* res gestæ cum ex fide dignis scriptoribus explicantur, tum præsertim documentis literisque publicis illustrantur. Primordia repurgatorum sacrorum in his terris in Episcopatu Suerinensi ac Rostochiensi sub *Magno II* fuere, quæ postea latius propagabantur, cum Dux *Albertus VIII*, quanvis Romano-Catholicis addictus sacris, Lutheranis tamen partibus faveret. *Joannis Alberti I* maxima tunc erat cura, ut, antiquatis Pontificiorum sacris, Augustanæ Confessionis formulæ omnis se Ducatus addiceret. Plura Cænobiorum bona silco addixit, cetera piis causis sacravit. Ceterum Cel. Autor equestris ordinis conditionem atque privilegia, & imprimis de jure braxandi inter hunc & oppidanum ordinem, sub hujus *Libri* finem exponit, & sexto ad res ab *Adolpho, Fride-*

Friderico I, & Jo. Alberto II, usque ad pacem Westphalicam gestas pergit. Nondum adulti Principes *Adolphus & Albertus II* a tutore *Carolo I* Lipsiam studiorum causa mittuntur, ubi *Adolpho* Academiæ Rectoratus desertur. Domum cum reversi essent Principes, in Comitibus Sternbergensibus A. 1602 equites & oppidani de immensis tributis & teloniis, huc usque a Ducibus ipsis impositis, & de injuriis Principum ac Præfectorum, qui nimis morosi operarum redituumque exactores fuerant, vehementer querebantur. *Adolphus Fridericus*, etsi tributorum magnitudini detrahere quidquam studeret, impedire nullo modo poterat, quo minus A. 1620 alius adhuc querelas, præsertim de sacris mutandis, proferrent. Præcipuæ erant de Ecclesia Cathedrali Gultroviensi controversiæ, ne ea Duci *Alberto* traderetur. Tandem sub iisdem Principibus pax consecuta, dataque utrinque literæ reverales. Divisio deinde Meeleburgensium terrarum in Suerinensem, quem *Adolphus II* sortitus erat, & Gultroviensem, quem *Albertus II* acceperat, Ducatum, eo tempore orta est. Utriusque dittonis urbes atque jura ab Autore desiniuntur. Interim bellum illud tricennale oritur, in quo varia perpeffi sunt Duces Meeleburgici fata. Cum enim *Christianus IV*, Daniæ Rex, ab Ordinibus inferioris Saxonix ea lege dux belli deligeretur, ut pacem publicam in his terris sustentaret; *Adolphus & Albertus*, celebratis Rostochiensibus comitiis, subsidia eidem Regi subministrarunt. Quamvis itaque *Ferdinandus* Imperator Duces Meeleburgenses, missò ad eos *Henrico* *Musano*, ut a societate cum Rege inita desisterent, enixe hortaretur, a proposito tamen nunquam recessere, eorumque verba, quibus hanc societatem excusant, a Cel. Autore relata legimus. Interim omnia ad bellum parantur. *Christianus* Rex *Tyllo* cum suo & Saxonix inferioris exercitu occurrit, manum cum Cæsareanis apud Lutheram conficit, ubi, Danicis copiis fugatis, *Wallensteinius* in Meeleburgicas terras copias ducit, Ducibusque *Adolpho I* atque *Alberto* a Cæsare proscriptis, hunc Ducatum occupat, & in clientelam a *Ferdinando* accipit. Duces legitimi suas dittones non prius recuperare poterant, quam cum *Gustavus Adolphus*, Suociæ Rex, victo Cæsaris exercitu A. 1631, eos civibus suis

Pag. 982.

1014.

1068.

1070.

suis restitueret. Ea, quæ ab his temporibus ad obitum usque *Adolphi* Ducis gesta sunt, *septimo Libro* includit, &, cum omne bellum tricennale, ceterasque in Germania res gestas, cum patria historia *quatuor primis Capitibus* conjunxisset, *quinto* ad ipsas pacis condiciones pergit. *Abrab. Kayserus* ad hos conventus mittebatur, qui *Adolphi* nomine peteret, ut *Lowenburgensis Ducatus*, extincta stirpe Saxonica, & *Commendæ Ordinis Melitensis Mirow & Nemerow*, ad se pervenirent, eaque de re tabulæ publicæ fierent. Magnæ inde oriebantur disceptationes, sed tandem *Articulo duodecimo* pacis cautum, ut *Ducibus Suerinensis & Rzeburgensis Episcopatus & Commendæ* supra nominatæ ea lege concederentur, ut *Mirow Suerinensi, Nemerow* vero *Gustroviensi*, adscriberetur Ducatui. *Ottavo Libro*, cum de hodierna reipublicæ *Mecleburgensis* forma constituerit dicere, primum de situ, moribus, titulo, ac insignibus, disserit; deinde de juribus Ducum, cum privatis, tum publicis, nec non de suffragiis eorum in Imperii Germanici comitiis explicat. Tria enim eorum numerat suffragia, ob *Gustroviensem & Suerinensem Ducatum*, ac denique *Suerinensem Episcopatum*. Inde ad eorum jurisdictionem, & in rebus sacris & politicis, pergit, additque de eorum curiis & redditibus fisci quædam. Equestrium familiarum non tantum nomina, sed & jura, tam realia, quam personalia, attulit, deque eorum subjectis, & liberis, & glebæ additis, agit. Porro, expositis juribus civitatis *Rostochiensis*, rationem litium in foro agendarum narrat, ultimoque loco de concordia & unione *Ordinum Mecleburgensium* exponens, Opus suum absolvit.

1450.

1537.

DISQUISITIO CHRONOLOGICA DE SUCCESSIONE antiquissima Episcoporum Romanorum inde a Petro usque ad Victorem; ubi, occasione data, de pluribus aliis, ad Historiam ecclesiasticam spectantibus, agitur. Accedunt quatuor Dissertationes: duæ de Constitutionibus, Apostolicis dictis, una de scriptis Dionysii Pseud-Areopagitæ, & una de annis Agrippæ junioris, Judæorum Regis. Autore
 JO.

JO. PHILIPPO BARATTERIO, A. M. & Reg.
Pruss. Societatis Sodali.

Ultrajecti, apud Stephanum Neaulme, 1740, 4.

Alph. 1 plag. 19.

Ultimum foetum Juvenis, ad miraculum docti, sed in ipso adolescentiæ primordiis immaturo fato oppressi, mœrentes nuntiamus, quem divini ingenii beneficio, ac singulari doctrina, qua puer adhuc edum efflorescere cœperat, ad omnis generis literas promovendas amplificandasque plurimum collaturum esse, omnino confidebamus. Inerat ipsi mens prorsus egregia, quæ incredibili celeritate in abditos artium arque scientiarum recessus se immittebat; insatiabili quodam sciendi desiderio rapiebatur; paucis, sed justis, conformatus præceptis, ad omnem eruditionem grassabatur. At enim debili utebatur corpore, quod cum tantæ contentioni sustinendæ par non esset, præcipitatum fatum, non sine ingenti rei literariæ damno, ipsum oppressit. Patriam nactus erat Suobacum, urbem Franconiæ haud incelebrem, ubi loci tum temporis parens ipse, Vir plurimum Reverendus, *Franciscus Baratterius*, unicus, idemque felicissimus, eruditi hujus juvenis studiorum moderator, Pastorem cæcus Gallicani agebat, editus in hanc lucem d. 19 Jan. A. 1721. Admirabilis ingenii alacritate id consecutus est, ut anno ætatis quarto Gallicam, Germanicam, Latinamque linguas expedite satis loqueretur. Anno quinto ad Græcas literas se accinxit, inde ad Hebræicam, Rabbinicam, Talmudicam, Syriacam, & Arabicam, linguas atque dialectos se convertit, ac in illis tantum profecit, ut *Benjaminis Tudelensis Itinerarium* in sermonem Gallicum transferret, doctis annotationibus passim illustraret, ac Dissertationes, multa eruditione refertas, subjungeret; quod Opus vulgatum est Amstelodani A. 1734, 8. Ab illo tempore doctorum Christianorum, quos Patres appellare consuevimus, scripta, tum Græco, tum Latino, sermone consignata, diligenti manu volvere ac revolvere est aggressus, hujusque tunc industris luculentum specimen existere voluit, edito *Anti-Artemonio*, directo contra *Samuelem Crellium*, typis exscripto Norimbergæ A. 1735, 8. Contigit interea

temporis, ut ipso hoc anno parens, jussu Augustissimi Borussiae Regis, *Friderici Wilhelmi*, accitus, Suobaco exiret, Sedinum, ut ibidem sacro ministerio fungeretur, petiturus. Hic igitur, filium unicum secum ducens, salutatis in itinere Academiis Jenensi ac Lipsiensi, ad Fridericianam Halensem accessit. Ibi loci cum juvenis *Baratterius* ad Virum Perillustrem *de Ludewig*, Universitatis Cancellarium, deduceretur, is, ut est ingeniorum acerrimus cognitor & justus aestimator, perspecta stupenda ipsius in tanta aetate doctrina, effecit, ut, cum ante eruditionem suam Philosophorum ordini comprobasset, ac Theses aliquot varii generis in confertissima Academiae concione publico cum plausu propugnasset, 14 vix emensus annos, Philosophiae Magister gratis renunciaretur. Hoc facto, Berolinum cum utroque parente perrexit, tantaque ipsum Rex, pariterque Regina, gratia sunt dignati, ut aliquoties aditum ipsi fecerint, cum eo sermones miscerint, jussissentque eum, praesentibus ipsis, cum viris summis eruditissimisque super variis argumentis sermonem instituere. Regina amore tanti ingenii adeo est capta, ut per pictorem suum imaginem illius accuratissime effigendam curaverit, repositam postea inter effigies illorum, quos Augustissima Princeps magni facit & aestimat. Ne autem occasio decederet *Baratterio*, doctrinam suam ad summum provehendi fastigium, Rex parentem Halam remisit, ut sacris publicis ceteris Gallicani praesset; filio praecepit, ut vel maxime Jurium disciplinae, qua late patet, ac Historiae animum adjiceret, decreto ipsi annuo stipendio, eundemque Academiae majorem in modum commendavit. Halam redux, assidua industria coluit Viros summos, *de Ludewig*, *Babmerum*, *Heineccium*, *Gassivum*, in Philosophia naturali ducent fecurus *Jo. Joach. Langium*. Nec tamen vel sic quidem ab amore Historiae praesae, Chronologiae, Matheseos, ac Astronomiae, se abstrahi est passus, ut non subinde ad illas diverteret, ex iisdemque aliquid in communem usum proferret. At vero malum, quocum a decimo aetatis anno conflictabatur, ita tandem invaluit, ut, viciata omni sanguinis temperie, in languorem incidere, qui tandem d. 5 Oct. A. 1740 vitae finem ipsi fecit, cujus exuvias, quo publice constaret omnibus, quanti ipsum faceret, suo

suo monumento inferri curavit Perillustris de Ludewig. Dole-
 -ndum sane est, virum juvenem tantæ eruditionis fama floren-
 -tem, summamque de se spem ac expectationem concitantem,
 illa tempestate decessisse, qua alii Academia spatia demum in-
 -grediuntur, certe illa nondum sunt emensi, unaque spem tot
 aliorum insignium, quæ moliebatur, operum intercidisse, v. c.
*Heresiologie, Historie tricennalis belli, Examini Dynasti-
 arum Aegypti, &c.* quem ad modum etiam sententia ipsi stabat, præ-
 -sentem, quam in manibus habemus, Disquisitionem prosequi, &
 eadem via ad reliquos Ecclesiæ Romanæ Præfules progredi.

Huic, quam B. Autor, annos 18 natus, prelo paravit, obste-
 -ricantes manus præbuit Vir Rev. Jo. Henr. le Maître, qui eam
Phil. Pelissonio, cœtus Gallicani apud Bremenses Pastori, inscrip-
 -psit, rationem studiorum, scripta jamdum edita, &, quæ ad-
 -huc molitur, enarrans. In Præfatione *Baratterius* noster
 indicat, se potissimum, ut manum huic argumento expedien-
 -do admovent, inflammatum eo fuisse, quod Chronologia pri-
 -morum Episcoporum Romanorum admodum sit turbata, nisi
 quod rectiora hic præceperit *Jo. Pearsonius, Cestriensis, & Dod-*
wellus, quos secutus est fere, ita tamen, ut passim quædam nova in-
 -fereret. Opus ipsum absolvitur consideratione temporis ac ordi-
 -nis, quo primi Episcopi Romani munus suum sunt auspicati, idem-
 -que illud morte sua vacuum reddiderunt, *Capitibus XVII*; cui ad-
 -hærent Dissertationes IV argumenti historici. Singula breviter
 percurramus. *Cap. I* disserit Autor de itinere *Petri Romano*, quem
 Romæ fuisse, testimoniis, si non æqualium, saltem ætati illius pro-
 -ximorum, scriptorum scilicet *Sec. I, II, III*, illorum nullo contra-
 -rium asseverante, via demonstrationis, quæ ad *ἀπὸ τῆς* quam pro-
 -xime accedit, evincit. Quod autem vulgo dentur ipsi anni 25,
 quos Romæ sedisse dicitur, illius fontem inde repetit, quoniam Pag. 13.
Eusebius mortem Christi cum anno ætatis illius 32 conjungat,
 mortem *Petri* conjiciat in annum Christi 69, hinc intermedios an-
 -nos 37 ita partiatur, ut illorum annos 12 assignet sæcli Antiochenæ,
 quos secundum antiquam traditionem ex jussu Christi Hierosoly-
 -mis intraque Judæam internuntii Domini commorari debuerint, re-
 -liquos 25 annos det prædicationi inter gentiles, & quidem in urbe

- principe Roma. Romam venisse *Petrum*, docet, sub initiis imperii *Neronis*, quod ex *Lactantio*, *Leone M.*, aliis, it demonstratum. Ibi autem non diu substitisse, sed, antequam eo veniret *Paulus*, inde discessisse, qui ad urbem accesserit A. 56 circa Martium, vel Aprilium, cum *Petrus* eo concesserit A. 54 Octobri forte, ibidemque manserit per annum ac dimidium, ad ver usque A. 56. *Petrum* Romæ non fuisse, cum *Paulus* ad Romanos scriberet, inde probat, quia illum in Epistola sua non salutet, quæ exarata fuerit illo temporis articulo, quo iter in Judæam meditabatur.
39. *Cap. II* probat, *Petrum*, Roma abeuntem, sacrorum summum antistitem constituisse *Linum*, testibus *Irenæo*, *Tertulliano*, *Epiphano*, *Optato*, *Augustino*, ac huic surrogatum esse *Cletum*, sive *Anacletum*, sive *Anenclum*, ex quibus non duo distincti homines faciendi; a qua recensione cum discedat Catalogus Romanus, qui *Lino Clementem* dat successorem, variis primorum Episcoporum Romanorum Catalogis invicem compositis, illum, 31. Romanum scilicet, corruptum esse, pronuntiat. *Cap. III* docet, *Cleto* successisse *Clementem*, quem a *Petro* initiatum fuisse, ex *Recognitionibus Clementinis*, quas *Sec. II* medio priores fuisse arbitratur, *Constitutionibus*, sic dictis, *Apostolicis*, *Rufino*, *Catalogo Romano*, ipsa *Epistola Clementis Romani*, quam A. 68 consignatam esse tuetur, *Herma Pastore*, ipsaque *Chronologia* consecutione, probat, &, per tempus aliquod *Linum* atque *Cletum* simul Ecclesiam Romanam rexisse, contendit. Quam suam sententiam adversus 44. *Dodwelli* ac *Pearsonii* objectiones *Cap. IV* vindicat. Inde ad singulorum Episcoporum annos strictius determinandos *Cap. V* progreditur. Docet autem, *Petrum* Ecclesiæ Romanæ tantum per annum unum & aliquot menses præfuisse, ipsi autem in Catalogo Romano duos tribui annos, quod fractiones in *Chronologia* fere negligantur. *Petrum* & *Paulum* A. 68 Romæ violenta morte peremptos fuisse, cum *Pearsonio* statuit. *Linus* sedem Romanam tenuit annos 11 completos. Annos 12, quos alii ipsi adscribant, de inchoatis esse intelligendos, ab anno Christi 56 ineunte ad annum 65. utique 67, & quidem circa illius medium. Hoc fato functo, *Clemens* ipso illo anno sacrum munus iniit, idemque illud ad A. utique 76 administravit, cui in omnibus Catalogis dantur anni 9; adeoque

ideoque *Dodwellus*, qui ipsi tribuit annos 14, & *Pearsonius*, qui fere 6 vel 7, audiendi non sunt. *Anencletus* ex aliorum sententia ad clavum ecclesiae sedit annos 12, ex aliorum relatione annos 2, quae diversitas ita tolli potest, ut 2 annos una cum *Lino*, ecclesiae Judaicae Episcopo, praefuerit, 10 annos ecclesiae gentilium, quarum illa fundata a *Petro*, haec a *Paulo*. *Cap. VI* inquit in tempus mortis *Jacobi* justii, quam intentatam quidem existimat ab *Anano* Pontifice, ipso opere autem non longe ante excidium Hierosolymitanum effectui datam esse. *Joannes*, quem *Papianus* audivisse testatur *Eusebius Hist. Eccl. Lib. III Cap. ult.* non est *Joannes* Apostolus, sed Presbyter aliquis, quo nomine tantum venit, & quia cum *Aristione* conjungitur, imo huic postponitur. Autor Epistolae ad *Diognetum*, quae inter Opera *Justinii Martyris* habetur, est *Clemens Romanus*, quod ex convenientia stili, ac aliis internis argumentis, demonstratur. *Cap. VII* ad Romanorum Episcoporum seriem regreditur. In *Evaristi*, *Clementis* successoris, annis definiendis dissentiant admodum Auctores. Nostro videtur in episcopali dignitate exegisse annos 9, ab A. 76 ad 85. *Alexander*, proximus ab illo, praefectum Ecclesiae egit annos 11, ab A. 85 exeunte ad A. 97 ineuntem; *Xystus*, vel *Sixtus*, annos 10 completos, ab A. 97 inchoato ad initium usque anni 107, quo generalis persecutio sub *Trajano* est grassata. Per reliquum anni tempus sedem Romanam vacasse, ex *Ignatii* Epistolis adstruit. In quem ipsum annum mors *Ignatii*, non autem 115, quod *Pearsonio* placuit, incidit. Occasione hac in initium belli, a *Trajano* in Armenos moti, & item tempus terrae motus Antiocheni, inquit. *Telesphorus* Episcopi munere fultus per annos 11, ab A. 108 incipiente ad A. 118, quo ipso, jussu *Hadriani* Augusti, martyrii corona est donatus. *Hyginus* 4 annos in Episcopali sede traduxit, ab A. 118 ad A. 121, vel primordium anni 122. In nonnullis Catalogis ex confusione annorum ipsius & successoris *Aniceti* ipsi anni 12 adscribuntur. Cui anno cum res admodum illustres innectantur; *Cap. VIII* tempus scripturarum Apologiarum *Justinii Martyris* determinat. *Urbicus*, autor persecutionis in Christianos, fuit Praefectus praetorio. Nomen, quod ipsi datur, est proprium. Munus suum est sortitus

Pag. 67.

69.

78.

94.

- titus A. 159 labente, vel 160 inchoato. *Justini* martyrium
 Pag. 110. locat in A. 161, *M. Aurelio* imperante. *Cap. X* disserit de tem-
 pore ortæ hæreseos *Marcionitarum*, quorum conditor *Marcion*
 statim post mortem *Hygini* A. 121 Romam venerit, ibidem-
 que tandem circa A. 161 fato cesserit. *Ev παρὰ* difficul-
 tatem, quæ apud *Clementem Alexandrinum Strom. Lib. VII Cap. 17*,
 itemque *Tertullianum adv. Marcion. Lib. I Cap. 19*, occurrit, expedit.
Valentinum, *Hygino* Episcopatum tenente, A. 120 Ro-
 mam venisse affirmat, ante tamen jamdum hæresin suam disse-
 minasse. Ante hunc, adeoque ante *Hygini* Episcopatum, quem
 adiit A. 118, ortus est *Basilides*, qua ipsa ætate in vivis fuit
 131. *Carpocrates*, quo mortuo, in scenam prodiit *Marcellina*, *Car-*
pocratiana sectæ addicta. De hæreticis generatim monet, ad
 Sec. III usque non illico ecclesiæ societate ejectos fuisse, sed in
 illa diu perstitisse, donec, cum tandem de ipsorum opinionibus
 ultro citroque disputatum esset, succumberent, sicque eccle-
 134. siæ confortio exturbarentur. *Cap. XI* occupatus est, ut ini-
 tium hæreseos *Montanistarum* in apicem proferat, qui non sta-
 tim errores suos propalarint, sed in apertum demum prodie-
 150. rint A. 136, sedente *Pio*. *Cap. XII* redit ad Antistites Roma-
 nos. *Pio*, *Hygini* successori, dat annos 19, ab anno Christi 122,
 sede per aliquot menses a morte *Hygini* vacante, ad A. 141;
 163. cujus successor *Anicetus* munere suo est functus annos 12, ab A.
 141 ad 152. Quare non accedit sententiæ *Pearsonii*, qui huic lar-
 gitur annos 18. Et, quoniam *Pearsonius* ex tempore *Aniceti* ra-
 tionem sibi reperisse visus est, qua martyrii tempus *Polycarpi* de-
 terminare posset, de eo anquirat a *Cap. XIII* ad *XVI*, demonstrans,
 illud non A. 147, sed potius A. 161, innectendum esse, quo
 203. ipso *Antoninus Pius* & *M. Aurelius* edictum in gratiam Christia-
 norum promulgarunt. Hinc, ubi in viam redierat, seriem Epi-
 scoporum Romanorum *Cap. XVII* pertexit. *Sotero* communi fere
 consensu tribuantur anni 9. Liber pontificalis, qui habet annos
 19, manifesto errore se prodit. Præfuit ab A. 152 ad A. 161. De
Eleuthero successore pariter consentiunt, in Episcopatu vixisse an-
 nos 15, ab A. 161 ad A. 176. Qua occasione in tempus motuum
Alexandrinorum in Judæos, item perlecutionis Lugdunensis, in-
 quirat,

quirit, quam A. 171 evenisse coniectat. *Cap. XVIII* agit de annis *Victoris*, cui in plerisque Catalogis assignantur anni 10, ut sic Pag. 218. ecclesiam rexerit ab A. 176 ad A. 186. Sub hujus nomine circumferuntur Epistolæ duæ, ex Bibliotheca Floriacensi a *Jo. a Bosco & Baronio* publicatæ, conscriptæ de celebratione Paschatos, quæ nonnullis suspectæ videntur. Contra ea Cl. Auctor pertendit, Epistolæ has omnes simplicitatis ac integritatis notas præ se ferre. 227.

Sequuntur *Dissertationes*, quæ adherent, *quatuor*; quarum *prima de Constitutionibus Apostolicis* agit, quas, tanquam ab Arianis corruptas, Synodus Trullana, habita A. 691, notavit. Sed ab hac labe illas immunes præstat Auctor testimonio *Epiphaniæ Hæres. 70 n. 10*. Igitur, qua corruptio eisdem supervenerit, dicendum esse, illam illatam esse a tempore *Epiphaniæ*, post id tempus fieri non potuisse, quoniam, *Valente* Imp. mortuo, res Arianorum insigniter fuerint labefactatæ, quin edicto *Gratiani* prorsus prostratæ, & si quidem Arianæ tale quid tentassent, fraus facile animadverti potuisset. Simile fatum cum Epistolæ *Ignatiane* expertæ fuisse dicantur, quæstionis hujus discussionem instituit, ac illas ab interpolatione immunes præstat. Quod illarum aliæ sint longiores, breviores aliæ, inde repetit: *Policarpum* rogasse *Ignatium*, ut Epistolæ suas secum communicaret, quas, cum integras non haberet, vel ex memoria reperiverit, vel ex primo quodam, eoque nondum digesto, conceptu a suorum aliquo describi curaverit. Quare vero breviores IV & V Seculis sint citatæ, longiores contra neglectæ, inde provenisse, quod longiores Arianis favere crederentur. Sequentibus Seculis, cum novis quibusdam opinionibus usibusve firmandis longiores illæ magis idoneæ viderentur, ad illas rediisse, brevioribus præteritis. Qui, Constitutiones labem aliquam passas fuisse, contendunt, excitant loca quædam duriora. Quare profert loca Patrum Ante-Nicænorum æque dura, qui tamen orthodoxi ab omnibus habeantur. Objectionem, ab *Epiphaniæ* ætate corruptionem aliquam illatam esse, cum rursus quidam injungantur *Epiphaniæ* tempore posteriores, & quod apud illum quædam aliter legantur, ac hodie in illis deprehendantur, ita diluit: Si mutatio aliqua suscepta fuisset, procul dubio etiam mutata fuissent.

230.

233.

fuisſent, quæ recentiori praxi adverſabantur. In lectione, quod ad diem *Epiphaniæ*, quem ad 5 Jan. refert *Epiphanius*, cum contra in Conſtitutionibus dies 6 Jan. celebrandus præcipiatur, obſervat mendum aliquod, quod inde probat, quoniam per 8 iduum Januarii explicatur, hunc autem non quinto, ſed ſexto, Januarii reſpondere. Porro nominat 2 Tybi Ægyptiorum & 6 Auldynæi Syrorum & Græcorum, ſed & hunc convenire diei 6 Jan. Tandem idem *Epiphanius* n. 16 *Hæref.* a baptiſimo Chriſti, d. 8 Nov. peracto, ad *Epiphaniæ* 60 dies plenos putat, quorum terminus in 6 Jan. incidat. Quod *Epiphanius* in Conſtitutionibus reperit, paſcha cum Judæis celebrandum eſſe, quod in *Conſtit. Lib. V Cap. 16* prorsus negatur, id ita ſolvit: diverſitatem quidem exemplarium non corruptionem inferre, quæ inde profecta, quoniam Conſtitutiones Sec. II ex variis Apoſtolorum vel ſcriptis, vel pſeudepigraphis, vel traditionibus, ſint conſarcinata. Conſtitutiones a Sec. IV notiſſimas fuiſſe, ex illisque aliqua vel verbo tenus, vel quod ad ſentium, prolata eſſe, testimoniis præſtantiorum Eccleſiæ doctorum probat. Si igitur factus recentioris inventionis fuiſſent, non ita ſubito tantam autoritatem conſequi potuiſſe. *Differtatione ſecunda* ætas vera Conſtitutionibus his aſſeritur. Primum Autor examinat loca, quæ, Sec. IV inferius ſcriptas eſſe, indicare queant. Sec. III jamdum exſtituiſſe probat, 1) quoniam ritus memorentur, qui Seculo illo vigerunt, ſed quarto in uſu eſſe deſierunt, v. c. obſervatio Sabbathi cum die Dominico conjungenda; 2) ex doctrina e. c. Trinitatis, quæ eodem in illis modo proponitur, quo ante Nicæni Patres ſolebant; 3) ex ordinatione Episcoporum a duobus tribusve, ac hujus generis aliis; 4) quia ad illas reſpiciant ſcriptores Seculi III. Quin imo Seculo II, eoque ineunte, jamdum exſtituiſſe probat, quoniam Episcopi a Presbyteris non æque diſtinguantur, ex precum formulis, antiquiſſimis precibus conformibus, quotidianis conventibus matutinis ac vespertinis, obſervatione Sabbathi injuncta, adminiſtratione Baptiſmi ac Cœnæ, quæ nihil differat ab illa, quam *Juſtinus Martyr* ac *Plinius* deſcribant. Citari, ſaltem ad illas reſpici, a *Clemente Alexandrino*, *Irenæo*, Autore Recognitionum, *Luciano* in *Philoparride*, in *Epistolis Ignatii*

Pag. 243.

258.

281.

iii minoribus. De compositione harum Constitutionum hoc sentit: Apostolos omnino quædam scripto consignata reliquisse de externa forma atque regimine ecclesiæ, quæ omnia in his Constitutionibus collecta sint, a compilatore vero multa connexionis ergo, vel etiam ut major autoritas Apostolis conciliaretur, ficta scilicet miracula, addita esse, ut, si quis curate singula ponderare velit, spuria a genuinis facile distinguere possit. Quæ, Pag. 284. quoniam mera nituntur conjectura, non omnibus probabuntur. In *Diff. III* Autorem librorum, qui nomen *Dionysii Areopagite* mentiuntur, ex tenebris in lucem protrahere conatur. Illorum *Dionysium* aliquem, sed *Alexandrinum*, parentem eise conjeclat, quod ex stilo, doctrina, aliisque criteriis, confici posse opinatur. Sub illius finem monet, *Illustrem la Croze* fictionem horum Operum conjicere in Seculum IV, ac illorum conditorem allegare *Synesium*, *Prolemaidis* Episcopum, judicium vero suum non interponit. *Dissertatio IV* destinata est inquisitioni anni emortualis *Herodis Agrippæ*, quem cum plerique imperante *Vespasiano* fato functum esse velint, ipse potius demonstrat, A. 91, imperante *Domitiano*, in vivis esse desisse, ejusque regna inde in provinciarum Romanarum formam redacta esse. Subjungit tabulam chronologicam, annorum potissimum *Herodis*, ex *Josepho* atque numis confectam. 296. 314.

LUDOVICI CASPARI VALCKENAER SPECIMINA Academica: 1) *Dissertatio de Byrsa, Phœnicio arcis Carthaginienfium nomine, &c.* 2) *Schediasma de Herodotea urbe Cadyti, quo asseritur, diversas urbes ab Herodoto binis in locis fuisse designatas;* 3) *Glossæ sacræ, ex Hesychio decerptæ.*

Franequeræ, apud Martinum van der Veen, 1737, 4.

Plag. 16 $\frac{1}{2}$.

Non ingratum, speramus, accidet rerum philologicarum studiosis, Virum Clarissimum, qui non ita dudum ad Academiam Franequeranam fuit evocatus, eruditas hæc lucubrationes,

nes, quæ ante, separatim editæ, paucorum usibus cedebant, conjunctim typis iteratas exhibere voluisse, quo illæ plurimorum manibus tererentur. *Dissertationi I de Byrsa* consignandæ occasionem præbuit Abbatis *Pinartii* Commentatio de hoc ipso argumento, inserta *Historiæ Academia Inscriptionum Tom. I pag. 191-194 edit. Hag.* inde Latine repetita in *Obs. miscell. in Aut. vet. & recent. Vol. I Tom. III pag. 306 seq. Capite I* vulgarem relationem de agro, a *Didone* redempto, eodemque corio bubulo connecto, in medium affert, quam & ipse & omnes eruditi rejiciunt, uno *Petavio* excepto, cum Syriacum **באצא** *Βυρσῆς* *Ag. IX, 43*, & Chaldæicum **בורסי** ex Græco sermone ferioribus temporibus in linguam Phœniciam immigrasse videatur. *Mosen* a Græcis *Alpha* fuisse dictum, non ob *vigiliginem*, sed ab **ארוך**, *dux, doctor*, quod *Huetium* *Demonstr. evang. Propos. IV Cap. 2 §. 50* non observasse miratur. *Caput V Palaphati* de *Orione* non ab ipsius manu profectum, sed vel ex *Euphorione*, vel vetere explanatore *Homeri*, translinitum esse observat, quod ipsum tamen jamdum monuit eruditissimus *Galeus*. *Ottonis Sperlingii* sententiam de agro, numis, ex corio paratis, acquisito, a *Pinartio* refutatam esse indicat, ipsum autem minus recte pro illa allegare *Donatum*, addit. *Cap. II* inquit in illorum opinionem, qui nomen *Byrsa* a **בצרה**, *arx*, accessunt, quæ vox de munimento Moabitarum *Jer. XLVIII, 24*, & Idumæorum *Jes. XXXIV, 6*, *Amos I, 12*, sumitur; inde transpositis literis *Byrsam* enatam esse, cum Græci concursum literarum *r* & *s* evitent; viri illi eruditi contendunt. Sed contrarium probat Eruditiss. Auctor exemplis, docens, **Ἰερσῆ** pro **יצרי** *Chron. XXV, 11*, pro **חצרון** *legi Ἰερσῶν Gen. XLVI, 9*, **Ἰερσῶν** *v. 12*, **Ἰερσῶμ** *Chron. II, 9, 18*, **Ἰερσῶμ** *Chron. V, 3*; nomen certæ urbis **בצרה** a Græcis non *Βύρσας*, sed *Βύρσας*, fuisse enuntiatum. Adhæc Ebræos nomen **בצרה** dare certæ urbi sive regioni, *Jer. XLIX, 3*, regionem Idumæorum hac ipsa indicari, metropolin Idumæorum *Jes. XXXIV, 6*, *LXIII, 1*, *Amos I, 12*, urbem Moabitarum *Jer. XLVIII, 24*, *Mich. II, 12*, arcem designare vocibus **בצרה**, **ארמון**, **טירה**. Voci **בצרה** notionem *rubedinis* adhzrere ex *Jes. LXIII, 1*, quoniam Idumæa uvis dives fuerit, quæ calcatæ vestes tinxerint.

obser-

observaverat *Hobeifelius* in *Obs. in Jes. pag. 329*, *Jacobus* item *Ha-*
feus in *Bibl. Brem. Class. III Fasc. 2*; sed, illius radicis primarium
 significatum fuisse *demendi, praecidendi, detrahendi*, unde postea
vindemiandi notio fluxerit, Noster arbitratur, quia, iudice
Varrone de L. L. Lib. IV col. 7, 17, *vindemia* sit quasi *vini de-*
mia, vindemiator, quod *de vite demat*; quoniam autem vineæ
 contra prædones fuerint septæ *Pf. LXXX, 14, Matth. XXI, 33*,
 muniendi significatum huic ipsi datum esse. Vult igitur, vocem
 Byria ortum traxisse ex בירה, *palatium, arx*, quod Chaldaei &
 Syri כיריא pronuntiant, / infero, quod Græcis in vocibus pere-
 grinis non infolens putandum, quandoquidem ex ἄσρα, *28.*
 ex אשתרה *Σέστραχος*, annis Cypri nomen, iudice *Bocharto*, di-
 manavit. *Cap. III* de voce בירה differit, quam, licet alicui videri
 possit Chaldaeis propria, quoniam in scriptis, post exilium Baby-
 lonicum exaratis, tantum reperiatur, Ebraeis tamen usu tritam
 fuisse, probabile habet. Hanc non repetit אביר, quæ vox *puteum*
 notat, nec, cum *Lud. de Dieu Crit. sacr. pag. 199*, a בִּירָא,
 significante non solum *palatium, arcem*, verum etiam *terram in-*
cultam ac ferendis frugibus ineptam, sed cum *Bocharto* ab אביר,
validus, N excidente. Descendit illud ab אביר, quod validitatem
 ac robur suo significatu involvit, unde אביר alam denotat, quæ
 avium robur est, אביר autem de bove adhibetur, *Jes. X, 13*, & pro-
 babiliter pro arce ac munimento sumitur; quoniam autem in hoc
 loco א circulo critico notatur, adeoque forsitan abundat, ex illo
 nihil effici potest. *Altitudinis* porro notionem eidem inesse
 ostendit; hinc אבירי לב *Pf. LXXXVI, 6*, ὑψηλοὶ τῶν κορυ-
 θῶν, uti *Symmachus* interpretatur, turres in altum extructæ
 Chaldaeis dicuntur אבירין, vox *Abila*, sive *Abyla*, non, uti
Bochartus hariolatur, ex אבירא, sed ex אביר, fluxisse con-
 jectat, א & ל locum permutantibus; א radicale autem in lin-
 guis etiam orientalibus aliquando abjici, *Cl. Vivianet de Seli-*
lob Cap. 1 probatum dedit. Idem in aliis linguis obtinet. Sic
 Ἀπυρῶς, notante *Stephano*, dicitur etiam πυρῶς; *Scura* pronun-
 tiatur quoque *Astura*; quibus alia exempla subjiciuntur. Hanc
 ipsam vim voci אביר inesse Autor iudicat, unde nomen Τύρμεδος
 apud *Stephanum*, quod sit ex אביר מרה, *arx tributi*, forsitan
 I 2 etiam

Pag. 28.

25.

34.

68 NOVA ACTA ERUDITORUM

- etiam latere in $\Delta\delta\gamma\alpha\varsigma$, urbis Mesopotamiæ nomine. Altitudinis significatum eidem adscribi debere, inde apparere, quia Chaldaeis & Syris mons dicatur $\tau\alpha\upsilon\upsilon\varsigma$, unde *Taurus*, observante Fullero *Miscell. sacr. Lib. II Cap. 1*, nomen sortitus, & mons Atlas indigenis *Dyris* appellatus est. Igitur בִּירָה vi vocis denotat locum validum ac munitam arcem, quæ ipsa significatio etiam voci *arx* apud scriptores Latinos tribuitur. Veteribus quippe in more positum erat, arces in excelsis excitare locis, tum quo ipsi ab hostium impetu tuti essent, tum quo eo, si quando aquæ depressiora loca inundarent, confugere possent. Hinc concludit, vocem בִּירָה ab אֲבִיר apte repeti posse, indeque etiam natales suos trahere nomen $\beta\acute{o}\rho\iota\varsigma$, speciatim montem Armeniæ $\beta\acute{o}\rho\iota\varsigma$, ad quem, memorante *Josepho Ant. Jud. Lib. I Cap. 4* arca *Noachi* appulit. Quoniam autem vocis בִּירָה in libello *Esther* aliquoties mentio injicitur, & $\text{הַבִּירָה שׁוּשַׁן}$ nominatur, *Esth. I, 2, II, 8, III, 15, VIII, 9, IX, 6, 11, 12*, de illa quarit *Cap. IV*. Per $\text{שׁוּשַׁן הַבִּירָה}$ ex interpretum sententia urbem Susâ propterea intelligi non posse putat, quia הָעִיר שׁוּשַׁן a $\text{הַבִּירָה שׁוּשַׁן}$ *Cap. III v. 15* distinguatur. Judæorum interpretes *Aben-Efra* & *R. Sal. Isacides* hic de arce cogitant, cui sententiæ ipse pollicem premit, observans, urbem Susâ in duas divisam fuisse partes, quas ab invicem disjunxerit Choaspes, (vid. *Herodotus Lib. I Cap. 188*) ut hinc dici possit, aliam partem urbem, aliam $\text{הַבִּירָה שׁוּשַׁן \alpha\epsilon\gamma\epsilon\sigma\pi\omicron\varsigma\alpha\iota\tau\eta}$, constituisse. Eadem intelligenda *Dan. VIII, 2*, & *Neb. I, 1*. Ubi autem apud *Danielem* arx sita fuisse dicitur $\text{כַּעֲרִינָה הַמְּרִינָה}$, de urbe Susâ accipiendum esse judicat, cum, quod ex *Benjaminæ Tudelenfi* notat *Drusus Animadv. Lib. II Cap. 54*, Elam, latiori sensu sumpta, & urbem Susâ, & palatium *Affueri*, includerit. Vox מְרִינָה accipi potest de civitate pariter ac regione. Syris certe ܫܘܫܢܐ & Arabibus مدينه urbem significat. Porro vocem בִּירָה significatu arceis venire *1 Chron. XXIX, 1, 18*, & *Neb. II, 8*, בִּירָנוֹת arces distingui ab urbibus munitis *2 Chron. XVII, 12*, quod formatum a בִּירָה , cujus singularis בִּירְנָה . Inde, vel potius ex Syriaco ܩܘܘܪܝܐ , urbi Πρωτέρα , iudice *Bochartus*, nomen impositum, pariterque *Perinthus*, urbs ad Propontidem sita, ex Nostri sententia, nomen tulit. Per חַמְמַתָּא *Esr. VI, 2*, non

non *arcam*, sive *cistam*, sed urbem *Ecbatanam*, intelligendam esse, evincit. Vox *Birta* Chaldaica superest in *Virra* apud *Am-
 mianum Marcellinum Lib. XX Cap. 7*, & in *Βιρθα* *Ptolemai*; Ara-
 bes hoc ipso nomine arces insigniunt; Judæi בירתא & בירתא
 per בירתא interpretantur. *Cap. V* originem vocis βάρης in-
 vestigat. Ex Oriente deducendam esse, Viri docti censent; igitur
Phavorinus non audiendus, qui ex Græco βάρης derivat. Rectius
 Scholiastes ad *Amos I, 12*, sentit, vocabulum Syriacum esse,
 ac notare *μεγαλήν οἰκίαν*. Interpretes Græci vertunt *domum am-
 plam, arcem, palatium*; *Hesychius* & *Suidas* *murum, porticum,
 turrim, palatium, munimentum, urbem*. Primarium illius signi-
 ficatum pressius sequi existimat *Ephorum* ac *Posidippum*, quo-
 rum hic per *domum*, ille *plures domos* in unum collectas, reddit.
 Urbem Italiae *Ὀυερίτων* olim *Barin* dictam esse, testantur Geo-
 graphi. *Festus* memorat *Barium*, quæ, ipso iudice, est *Barium*,
Horatio memoratum *Serm. Lib. I Satyr. V v. 97*. Adhæc signi-
 ficat aliquando *navem*, uti passim explicant *Suidas* ac *Hesychius*,
 cujus posterioris verba *βαρῆς, πύργος, περιμεῖο περὶ ἀμφοδῶν* ita
 legi posse suspicatur: *βάρης, πύργος, περιμεῖον παρ' Αἰγυπτί-
 ος*, quoniam, quod exemplis ex *Herodoto* confirmat, Ægy-
 ptii naves nuncupabantur *περιμεῖα*, naves Persicæ *Αἰθιόλο*
 appellantur *βαρῆδες*, cymba Charontis apud *Suidam* hac ipsa vo-
 ce venit. Quare, cum ita sit frequens nomen hoc apud orientales
 populos, illius rationem ex illorum idiomate reddere allabo-
 rarunt. Est, qui ad vocem ביר, *fovea, puteus, sepulcrum*, se re-
 cipiat. *Nic. Fullerus* ex בירה, *domo alta ac turrita*, ob simili-
 tudinem cum altis ædificiis, *Miscell. sacr. Lib. II Cap. 1* formatam
 esse pronuntiat. Apud *Hyginum Fab. 89* in verbis: *si Trojanorum
 virgines Ceto religatæ fuissent*, pro *ceto* vult legi *canti*, quia se-
 quitur, *cum complures - - - & petris religatæ esset*. Conf. *Ovi-
 dium Metam. IV, 671*. His tamen disceptatis, se vestigium vocis
 בירה in βάρης deprehendere non posse, fatetur, nec, *Phavo-
 rini* etiam opinioni aliqua opponi posse, negat; igitur nil quid-
 quam hic definit. Illius tamen aliquid superesse putat in *Μαριάβα*
 apud *Stephanum*, quam *Plinius Hist. Nat. Lib. VI Cap. 28* *Baramu-
 lacum* exponit, ex בירה כולכא, *palatium regium*. Idem as-
 firmat

Pag. 46.

48.

51.

52.

54.

58.

Armat de Μαριόμια, quæ, uti Stephanus habet, fuit πόλις Φοντέων, Ptolemao Μαριόμια dicta, quasi **מריה** **ביריה** *Biriam*, *Buriam*, arx vetusta & princeps, quo sensu vox **ب** apud Arabas, imo Ebræos 2 *Sam. XX, 12*, gaudeat, nec minus Epigrammate Theſſalonicenſis *Antipatri*, vulgari a *Boivinio* juniore in *Memoires de Litterature de l'Academie Roy. des Inſcript. Tom. II Part. I pag. 398*. Addit aliqua de arce Orientis munita, dicta *Barbaliffus* Stephano, Ptolemao βαρβαλιſſός. Ex numo nomen gentile βιβαλιſſαίων aſſertur, pro quo βαρβαλιſſαίων ſculptum fuiſſe conjecit *Hollſtenius*. Ex hiſce iuvicem collatis conficit, verum nomen fuiſſe βαρβαλιſſός, ſive potius βιβαλιſſός. Priorem leſionem eſſe poſſe ex **ביריה** **לזיה**, ſive *Burariſſa*, illiusque veram interpretationem ex mente *Stephani* eſſe Φόρειον τετειχιſμένον, arcem munitam, ex antiquo verbo **צד**, hodiecum apud Arabes ſuperſtite, quibus **ج** habet ſignificatum *compingendi, colligandi, ac firmandi*. Poſteriore eſſe quaſi **צד** **ביריה**, *burariſſa*, id eſt, arx munita. Poſterius horum verborum eſt ex **ב**, quod firmandi habet ſignificatum, cujus derivatum ſuperẽit in **ביריה**, *Piſſa*, Num. XXXIII, 21.

Pag. 60.

Altera Diſſertatio agit de *Herodotea* urbe *Cadyti*, & prælio *Jofie* Regis, in campo *Megiddo* cum *Ægyptiis* commiſſo. *Cadyti* urbis duobus locis mentionem facit *Herodotus*, *Lib. II Cap. 159*, & *Lib. III Cap. 5*. Per illam alii intellexerunt *Cadeſeb*, urbem *Palæſtinæ*, quos inter nomen ſuum profitentur *Jof. Scaliger*, *Jac. Palmerius* in *Exerc. in opt. Græc. pag. 13*, hiſque plures; alii *Hieroſolymum* intelledam volunt, quæ dicatur **הירוק**, quam ſententiam ſuam fecerunt *Petr. Weſſelingius*, & ante hunc *Comingius*, aliique. Qui in utroque loco *Hieroſolymam* ſibi deprehendiſſe viſi ſunt, illos multum errare judicat, quoniam, quæ in poſteriori loco dicuntur, eidem proſus applicari nequeant. Sed, num in priori *Hieroſolyma* indigiteretur, cum id nondum ad liquidum ſit perductum, de eo diſquiſitionem inſtituere conſultum duxit. Quam refert *Herodotus*, nihil diſſerre putat ab illa, quam deſcribunt ſcriptores ſacri 2 *Reg. XXIII, 29*, & 2 *Chron. XXXV, 20, 27*, quamque ipſam tangit Autor libri *Eſra Cap. I v. 25-31*, itemque *Patricius Alexandrinus Annal. Tom. I pag. 241*, qui tamen aliquantulum ab *Historia ſacra* alienus abit.

Nomina-

Nominatur idem Rex *Necho*, Syri sunt *Palestini* una cum rege *Josia*. Quoniam autem scriptores sacri appellant *Megiddo*, *Herodotus Magdolum*, inde diversæ eruditorum harriolationes emerferant. Cogitant hic alii de *Magdolo*, oppido in Ægypti finibus posito, quam sententiam tuitus est *Bochartus*; alii de urbe in finibus regni Judæ versus Ægyptum sita, quæ est sententia *Perizonii*; alii respiciunt ad urbem aliquam tribus *Manassitarum* in valle *Megiddo*, quod faciunt *Marshamus*, *Heinius*, *Jac. Palmerius*, *Hadr. Relandus*; alii aliter sentiunt. *Magdolos* in sacris dicitur מגדול *Ezech. XXX, 10*, quæ vi vocis fuisse videtur (מגדול quippe Ebræis arcem notat,) *arx munita*, & ad regionem tutandam loco opportuno structa. Igitur longissime absuit a *Megiddo*, quæ videtur in monte excitata fuisse; quare *Apoc. XVI, 16*, memoratur ἀγματοῦ πόλεως, quæ nihil differt a חר סגור; in hujus jam subjecta valle Ægyptii cum Israelitis arma contulisse dicuntur. Quare *Magdolos* Ægyptiaca hic intelligi nequit, 1) quia *Josias* eo temeritatis prolapsus fuisse non videtur, ut ipsam Ægyptum adire, ac *Nechonem* bello lacessere, voluerit; 2) quia probabile non est, *Manasse* Babylo-nem deportato, ejus nepotem tantas opes colligere potuisse, quibus Ægyptum impeteret; 3) scriptor sacer, *Nechoni* ascendenti *Josiam* obviam exivisse, testatur 2 *Chron. XXXVI, 20*; igitur ille *Magdolum* jamdum prætermiserat; adhuc Ægyptius rem omnem in pace ante transigere veluit v. 21; quod minus fecisset, si in ipsam Ægyptum *Josias* impressionem molitus esset; 4) credibile non est, scriptores sacros urbem מגדול, quam alibi nominant, hic מגדול appellare, sicque confusio-nem occasionem dare voluisse. Cogitatu autem perfacile esse putat Auctor, *Herodotum*, ubi in monumentis Ægyptiacis nomen מגדול reperiret, illud in *Megiddo* convertisse, sicque inde finxisse *Magdolos*. His constitutis, difficile haud esse conjectatu censet, quæ urbs per *Caldytm* intelligenda sit, modo desiniri possit, quam urbem, felici hoc prælio decertato, occupavit *Necho*. Illam autem *Hierosolymam* fuisse, ex 2 *Chron. XXXVI, 3, 4*, apparere judicat, ubi loci dicitur, *Etiakimum* loco *Joachasi Hierosolymis* constituisse Regem, quod suscipere minus potuisset, nisi urbe antea potius

Pag. 6.

7.

9.

12.

13.

- potitus fuisset: illud vero non illico post prælium evenisse, sed cum ex expeditione in Assyriam rediisset, & forte *Joachasus*, parentis mortem ulturus, obviam ipsi venisset. Hanc appellari Cadlytin a קדלית, atque ita, non adjecta voce רע, dici posse, contra *Relandum* & *Hednium* docet, variisque exemplis probat, ו in פ, more Syro - Chaldaeis usitato, converso.
21. In altero loco *Herodoti* non *Hierosolyman*, sed *Gath*, exhiberi; illi quippe insolens non esse, affinia sibi & incognita nomina confundere, nisi forte librarius aliquis ex *Καδύτιος* fecerit *Καδύτιος*, quam, quoniam Sarcibus magnitudine comparat, ab ipso visam fuisse, ex dictionis *Herodoteæ* παραλληλίας monstrat, *Hierosolyman* non æque, & hinc in utroque non eandem urbem representari.
24. *Tertio* loco compareat *Glossa sacra ex Hesychio*. Observaverat Eruditiss. *Valckenarius* cum aliis viris doctis, in *Hesychii* Lexicon ab hominibus Christianis plurima esse illata. Quod cum librorum culpa passim inquinatissimum sit factum, loca corrupta ope priscorum interpretum Græcorum divinatorum oraculorum emendare, illisque lucem inferre, multa industria & doctrina est aggressus. Hæc ex elegantissimis hæc *Exercitationibus* delibare est visum, in quibus licet aliqua sint, potissimum quæ primas vocum origines, earundemque genuinos natales, spectant, de quibus ex aliis fontibus eadem verisimilitudine disputari potest, ubique tamen Cl. Autoris intimior optimarum literarum, linguarum, doctrinæ antiquæ, cognitio, sagacitas, judicium criticum, elucent, ut res literaria, optimo Numine conatus ipsius fortunante, sibi ab illo haud parum subsidii ac præsidii in posterum promittere possit.

THEORIÆ MUSICES EULERIANÆ RECENSIO continuata & finita.

Vid. *Nova Acta A. 1742 Mens. Jan. pag. 18.*

Expositis itaque, quæ ad naturam sonorum, in se spectatam, & ad consonantias penitus perspicendas, pertinent, in eo jam est *Cel. Eulerus*, de Generibus musicis ut accuratius, quam vulgo fieri quidem solet, disserat. Generis autem musici vocabulo complexus indigitatur sonorum varioꝝ, qui ad producendam

cendam harmoniam idonei sunt. Paulo latior hic est vocis significatus eo, qui apud Musicos vulgo receptus est; id enim nominis tribuunt numero sonorum, in quos una Octava dispescitur. Strictiore igitur hoc significato uti convenit, ubi de divisione Octavæ sermo est. Cum soni omnes, qui harmoniam constituunt, vel viva voce, vel instrumentis musicis, edendi sint; facile perspicitur, instrumenta musica, modulique ea recte attemperandi, hic loci imprimis consideranda esse. Ad Exponentium vero contemplationem tota hæc res reducitur. Proposito enim Exponente operis musici, (quem, diximus supra, esse minimum communem dividuum numerorum, sonos operis musici exprimentium,) instrumenta musica ita sunt adaptanda, ut sonos, qui in exponente insunt, omnes contineant, iis exceptis, qui propter nimiam gravitatem vel acumen distincte percipi non amplius possunt. Hinc intelligitur, cuilibet quoque instrumento musico suum esse Exponentem, qui nimirum, ut hæcenus, est communis minimus dividuus sonorum, in instrumento contentorum. Ad majorem vero instrumenti perfectionem alios sonos uniformitatis gratia addere decet, ut soni, in singulis octavis contenti, fiant numeri æquales. Posito igitur Exponente instrumenti = A , cujus divisores sint $1, a, b, c, d, \&c.$ præter sonos, his divisoribus designatos, etiam soni $2, 2a, 2b, 2c, \&c.$ aut $4, 4a, 4b, 4c, \&c.$ quin etiam $\frac{1}{2}, \frac{1}{2}a, \frac{1}{2}b, \frac{1}{2}c, \&c.$ aut $\frac{1}{4}, \frac{1}{4}a, \frac{1}{4}b, \frac{1}{4}c, \&c.$ in instrumentum induci debebunt. Adeoque perspicitur, sonos in tali instrumento esse $2^m, 2^m a, 2^m b, 2^m c, 2^m d, \dots, 2^m A$, existente nimirum m numero quovis integro affirmativo aut negativo, tam magno aut parvo, quoad soni adhuc percipi possint. Instrumentum itaque accommodatum erit ad omnia opera musica edenda, quorum exponentes in $2^m A$ includuntur. Convenit autem, pro A numeros tantum impares assumere, ob binarios in 2^m jamjam contentos, ne labor superfluus suscipiendus sit. Quivis autem exponentis $2^m A$ valor peculiarem quoque octavæ divisionem, tam quoad sonorum numerum, quam quoad intervalla, suppeditat, hoc est, genus musicum, sensu nimirum, quem diximus, paulo arctiore. Tria potissimum ejusmodi genera jam inde ab antiquis temporibus celebrari constat, *Diatonicum* nempe, *Chromaticum*,

ticum, & Enharmonicum. Sed, ut methodus perspiciatur, quæ ex $2^m A$ divisio octavæ derivanda est, probe notandum, si gravissimus sonus octavæ, cujus divisio quæritur, sit e. g. = E , acutissimum fore = $2E$, omnes itaque sonos octavam constituentes, intra cancellos E & $2E$ coerceri. Ad eos igitur eliciendos, singuli divisores ipsius A per tales binarii potestates multiplicare oportet, ut facta majora sint, quam E , & minora, quam $2E$. Hinc patet, in octava tot contineri sonos, quot divisores habet A , cum quivis divisor hac ratione multiplicatus sonum aliquem in octavam inferat. Quare, si exponens instrumenti, (quem exponentem generis musici quoque nominare convenit, cum is statuatur $2^m A$;) sit = $2^m a^p$, existente a numero primo; in octava continebuntur soni numero $p + 1$. Sin fuerit exponens = $2^m a^p b^q$, numerus sonorum octavæ erit = $(p + 1)(q + 1)$; pariter, si exponens sit = $2^m a^p b^q c^r$, numerus sonorum octavæ erit = $(p + 1)(q + 1)(r + 1)$. Tot enim dantur ipsius A vel $a^p b^q c^r$ divisores, modo a, b, c , sint numeri primi, iique inæquales.

Hiscæ igitur præfidiis instructo Autori Clarissimo ad enumeranda ordine genera musica, inde a simplicissimo usque ad valde composita, pedem proferre licuit. Nos autem, quos singula libare brevitatis studium prohibet, ea solum exinde decerpemus, quæ peculiari præ reliquis attentione digna videntur. Illud Musices genus, quod inter hic enarrata quartum locum obtinet, nihil differt ab illo, quod a *Mercurio* inventum, & antiquissimis jam temporibus usu tritum fuisse, perhibetur. Est autem in eo $A = 3^2$, adeoque exponens hujus generis est $2^m. 3^2$. Cumque ipsius A vel 3^2 divisores sint 1, 3, 9; octava continet sonos 8 : 9 : 12 : 16, habetque intervalla, tonum majorem, & duas quartas. Hosce sonos cum totidem chordis expressisset *Mercurius*, instrumentum *Tetrachordi* nomen adeptum est. *Duodecimum* ordine genus, quod exponente $2^m. 3^3. 5$ determinatur, in octava continet sonos octo, nempe 128 : 135 : 144 : 160 : 180 : 192 : 216 : 240 : 256. Hocque proxime abest a genere veterum *Diatonico*. Omissio enim sono 135, apprime congruit cum genere *Diatonico syntono Ptole-*
mai,

mai, in quo octava in duo tetrachorda dividitur, quorum utrumque intervallum diatessaron complectitur, & in tria intervalla ita dividitur, ut infimum sit hemitonium majus, sequens, tonus major, & tertium, tonus minor. Addito igitur octavæ sono 135, genus habebitur, quod *Diatonicum correctum* jure dici possit.

Decimi tertii generis exponens est $2^m. 3^2. 5^2$, cujus octavam complent soni 128 : 144 : 150 : 160 : 180 : 192 : 200 : 225 : 240 : 256. Hocque genus suo jure *Chromaticum correctum* appellari potest.

Genus *decimum quartum* exponente gaudet $2^m. 3. 5^3$, & octavam complent soni 256 : 300 : 320 : 375 : 384 : 400 : 480 : 500 : 512. Potest vocari genus *enharmonicum correctum*, cum ad veterum genus *enharmonicum* accedere quodammodo videatur.

Decimum & octavum genus exponentem habet $2^m. 3^3. 5^2$, neque ab eo differt, quod *Diatonico-Chromaticum* appellatur. Exponens enim est minimus communis dividuus exponentium generis diatonici $2^m. 3^3. 5$, & chromatici, $2^m. 3^2. 5^2$, ideoque genera hæc conjunctim exhibet. Hoc autem genus, cum usque hodie adeo receptum sit, ut omnes in eo modulationes fiant, peculiari opera pertractandum sibi sumsit Autor. En igitur divisionem octavæ hujus generis veram & ex theoria correctam:

Nomina sonor.	Soni	Intervalla	Nomina Intervallorum	Genus Diatonico-Chromaticum hodiernum correctum.
C	$27. 3 = 384$			
Cs	$24. 5^2 = 400$	24 : 25	Hemitonium minus	
D	$24. 3^3 = 432$	25 : 27	Limma majus	
Ds	$2. 3^2. 5^2 = 450$	24 : 25	Hemitonium minus	
E	$2^5. 3. 5 = 480$	15 : 16	Hemitonium majus	
F	$29 = 512$	15 : 16	Hemitonium majus	
Fs	$2^2. 3^3. 5 = 540$	128 : 135	Limma minus	
G	$26. 3^2 = 576$	15 : 16	Hemitonium majus	
Gs	$2^3. 3. 5^2 = 600$	24 : 25	Hemitonium minus	
A	$27. 5 = 640$	15 : 16	Hemitonium majus	
B	$3^3. 5^2 = 675$	128 : 135	Limma minus	
H	$24. 3^2. 5 = 720$	15 : 16	Hemitonium majus	
c	$28. 3 = 768$	15 : 16	Hemitonium majus	

Quod autem notatu maxime dignum est, isthæc per theoriam inventa octavæ divisio adeo amice cum ea conspirat. quæ a Musicis recepta est, ut unico sono *B*, adeoque duobus tantum intervallis, scilicet *A:B* & *B:H*, ab ea dissideat, quantus quidem consensus a solo auditu & experientia vix sperari potuisset. In recepto enim genere intervallum *A:B* est Limma majus, & *B:H* Hemitonium minus; reliqua autem intervalla recte se habent omnia. Non igitur alia re opus est in correctione generis usitati, quam ut sonus *B* diei gravior efficiatur; quo facto, perfectissimus obtinebitur consensus, & musicum genus ad harmoniam producendam aptissimum. Explorari quoque ope numerorum adscriptorum quantitates quorumvis intervallorum possunt. E. g. sit determinandum intervallum *D:F*, cum sit $F = 29 = 5 \cdot 2^2$, & $D = 24 \cdot 3^3 = 432$, erit $D:F = 24 \cdot 3^3 : 29 = 33 : 25 = 27 : 32$. Cumque ratio $27 : 32$ deficiat a $5 : 6$ ratione $80 : 81$, quæ comma exprimit; perspicuum est, intervallum *D:F* esse tertiam minorem commate minutam, cum tertia minor perfecta sit $5 : 6$. Pariter examinatur intervallum *E:H* pro sonis substituendi sunt numeri, $25 \cdot 3 \cdot 5$ & $24 \cdot 3^2 \cdot 5$, ergo $E:H = 25 \cdot 3 \cdot 5 : 24 \cdot 3^2 \cdot 5 = 2 : 3$, ergo Quinta vel Diapente perfecta est. Ita quoque intervallum *Gs:e* est $= 2^3 \cdot 3 \cdot 5^2 : 2^8 \cdot 3 = 5^2 : 2^5 = 25 : 32$, cumque hæc ratio componatur ex rationibus, $2^2 : 5$ vel $4 : 5$, quæ tertiam majorem perfectam exprimit, & $27 : 5^2$ seu $128 : 125$, quæ diei exprimit, evidens est, intervallum *Gs:e* esse tertiam majorem diei audam. Et sic in ceteris. Examen vero commodissime per Logarithmos institui poterit.

Ex hisce autem non difficulter colligi quoque poterit, quid sentiendum sit de illo Musicorum quorundam molimine, quo genus quodpiam *æquabile*, hoc est, octavæ distributionem in partes æquales, introducere conati sunt, suavitatem Musicæ rati æqualitate potius, quam simplicitate, intervallorum metiendam esse. Rem ad examen & mensuras cum revocasset Cel. Autor, differentiam inter sonos ejusdem generis commate majorem esse passim, deprehendit. In Quintis error quidem vix percipi potest, sed eo magis excrescit in utraque tertiarum. Et, quod præci-

præcipuum est, omnia intervalla, si a sola octava discesseris, rationibus surdis vel incommensurabilibus exprimuntur; tale igitur genus harmoniæ tam contrarium est, quam quod maxime. Præstat igitur in temperandis instrumentis, qualia nunc quidem usu valent, veluti Clavecymbalis, genus diatonico-chromaticum presso pede sequi, quam de alia quadam temperationis specie, harmoniam turbatura potius, quam promotura, laborare, donec in ipsa instrumenta major perfectionis gradus fuerit illatus.

Hicce igitur omnibus doctè & copiose expositis, de aliis quibusdam generibus, magis adhuc compositis, differit Vir eximius. Ad examen ergo vocat illud, cujus exponens est $2^m. 3^n. 5^2$, quod jure suo *Chromatico-Euharmonicum* dici potest, cum exponens ejus sit minimus communis dividuus exponentium generum Chromatici & Euharmonici. Quodsi exponentes trium generum antiquorum in unum coalescere intelligantur, proveniet $2^m. 3^n. 5^2$, exponens nempe generis, quod *Diatonico-Chromatico-Euharmonicum*, idque correctum & genuinum, dici meretur. Hujus generis octava conflabitur ex 16 fonis, & quatuor novi erunt D^* inter C & D , F^* inter E & F , G^* inter F & G , & c^* inter H & c , qui a primariis D, F, G, c , diessi, vel intervallo $125 : 128$, dissiident, quod quidem inter minima maximum est. Quodsi autem error hic videatur justo major, convenit adhibere genera, quorum exponentes continentur in $2^m. 3^n. 5^2$, ubi n ternario major est. E. g. si $n = 7$ erit exponens generis $2^m. 3^7. 5^2$, in quo ad duodecim fonos generis diatonico-chromatici accedunt alii duodecim, qui vero a primariis non nisi commate aut diaschismate differunt, adeoque in instrumentis absque errore notabili omitti posse videntur. Quæ cum ita sint, & in substitutione loco n ultra septenarium progredi liceat, manifestum est, genus Diatonico-Chromaticum *in praxi* latissime patere, & inservire pro quovis exponente $2^m. 3^n. 5^2$, quantumvis magnus sit numerus n . Sed minus feliciter rem succedere comperit Cel. Autor, cum alias quoque quinari potestates in exponentem introduceret. Stricte tamen loquendo, foni recepti non sufficiunt,

fatente ipso peritiorum Musicorum choro; neminemque fugit, ad sollicitè observari in ipsa Musices *Semiotica*, ubi e. g. soni *Gs* & *bA*, vel *Cs* & *bD*, licet in Clavichordio unus idemque sint, sollicitè a se invicem distinguuntur. Nihil igitur magis est optandum, quam ut Clavichordia vel Clavecymbala, quæ in directione musici concentus primas fere tenent, ad eam perfectionem evehantur, ut intervalla ista minora, qualia sunt *Dieses Enharmonica*, contineant, & tamen tractatu non multo difficiliora sint consuetis. Nunquam sane error in sensus magis incurrit, quam ubi *Clavichordio* & *Violino* (venia sit vocibus minus Latinis) simul canitur, cum in posteriori instrumento intervalla etiam minima a perito artifice exacte possint exprimi. Licet autem dixerimus, si minora intervalla, qualia sunt *Dieses*, *Commata*, & *Diafchismata*, insuper habeantur, genus diatonico-chromaticum extendi ad exponentem generalem, $2^m. 3^m. 5^2$; in exponente tamen $2^m. 3^7. 5^2$ subsistendum, cum ipsæ harmoniæ leges opera musica conficere vetent, quorum exponens magis esset compositus. Igitur, cum omnium operum musicorum exponentes consentur ex numeris 2, 3, 5, eorumque dignitatibus, perspicitur veritas essati *Leibnitiani*, quo in Musica ultra quinarium numerari non solere, asseruit Vir illustris. Periculum tamen suæ methodi facturum Autor, numerum 7 quoque introduxit, & divisionem octavæ ejus generis, cujus exponens est $2^m. 3^3. 5^2. 7$, explicatus est. Talis autem octava sonis *quinque* & *viginti* constat, novis forsân & huc usque inauditis operibus musicis antam olim præbitura. Ex quo specimine, quantæ adhuc amplificationis capax sit Musica, luculenter colligi poterit.

Reversus jam Cel. Autor ad genus Diatonico-Chromaticum, ad ipsas Consonantias, quæ in eo locum habent, distincte enarrandas, accedit, & generalia præcepta, superius jam de Consonantiis data, ad usum applicat. Consonantiarum vero speciem vocat sonorum similium congeriem; sonosque similes, qui una pluribusve octavis a se invicem discrepant. Ita v. g. $2^m. 3. 5$ constituit speciem quandam consonantiarum, quarum singulæ determinantur, ubi *m* per numeros definitos explicat.

explicatur. Cum vero omnes ejusmodi Consonantia similes sint; gradu tamen suavitatis inter se differunt. Quo enim major numerus loco *m* substituatur reliquis omnibus salvis, eo magis composita fit & perceptu difficilis consonantia. Quis vero figendus sit ultimus suavitatis gradus, experientia Musicorum definiendum, qui consonantias, gradum XII transgredientes, rarissime usurpant. Hunc itaque gradum XII ceu limitem statuit Autor, omnesque Consonantias, eum excedentes, e Musica exterminandas pronuntiat. In genere igitur *Diatonico-Chromatico*, cujus exponens est $2^m. 3^3. 5^2$, habentur duodecim consonantiarum species, nimirum:

I. 2^m	V. $2^m. 3. 5$	IX. $2^m. 3. 5^2$
II. $2^m. 3$	VI. $2^m. 5^2$	X. $2^m. 3^3. 5$
III. $2^m. 5$	VII. $2^m. 3^3$	XI. $2^m. 3^2. 5^2$
IV. $2^m. 3^2$	VIII. $2^m. 3^2. 5$	XII. $2^m. 3^3. 5^2$

Quæ quidem consonantia, si adhuc Indices adjungantur, pluribus formis occurrere possunt; id quod autem hic loci negligitur, quoniam consonantia in se spectata solum considerantur, adeoque index earum communis est unitas. Cujusque igitur speciei consonantias secundum ordinem suavitatis, tam numeris, quam notis musicis, more consueto descripsit Vir Clarissimus, & qua ratione quælibet suavissime sit efferenda, ostendere contendit. Ubi notandum, specierum sextæ, nonæ, & decimæ, consonantias adeo duras & incomtas esse, ut non nisi rarissime, & summa circumspectione adhibita, iis uti conveniat; duarum vero reliquarum omnes gradum suavitatis XII transcendunt, dissonantiis igitur re vera talibus jure annumerandæ.

Nec minori diligentia circa modos generis *Diatonico-Chromatici* versatur Doctissimus *Eulerus*, quos in species & systemata divisit, eamque adeo doctrinam majori accuratatione, quam quidem factum est ad hunc diem, pertractat, qua ratione compositioni musicæ non parum lucis affudisse videtur. Modus autem musicus nihil aliud est, quam exponens seriei consonantiarum; igitur exponentes singularum consonantiarum amplitudine sua complectitur. Ad obtinendam vero majorem in consonantiis
varietate-

varietatem, modi exponentem non nimis simplicem esse oportet; a magis compositis igitur initio facto, sex modos in genere Diatonico-Chromatico numerat Auctor, quorum exponentes sunt

- | | |
|--------------------|---------------------|
| I. $2^m. 3^3$ | IV. $2^m. 3^3. 5$ |
| II. $2^m. 3^2. 5$ | V. $2^m. 3^2. 5^2$ |
| III. $2^m. 3. 5^2$ | VI. $2^m. 3^3. 5^2$ |

Quoniam vero in operibus musicis modi subinde mutantur, & ex uno in alium fit transitus, exponens integri operis magis esse compositus & ad $2^m. 3^7. 5^2$ exurgere poterit. Quamobrem pro operibus musicis conficiendis hanc legem stabilit Auctor, ut quisque modus in exponente $2^m. 3^3. 5^2$ contineatur, totius vero operis exponens non magis sit compositus, quam $2^m. 3^7. 5^2$. Tres quidem priores modorum adductorum ob simplicitatem in usu non sunt; in posterioribus autem universa Musica hodierna comprehenditur. Cumque transpositiones seu variationes modorum in Musica frequentissima sint; de iis quoque tractatio perquam accurata instituitur. Pendet autem variatio modi a solo indice, quippe qui, ceu in superioribus declaratum fuit, basin designat, ad quam modus refertur. Variationes dividuntur in puras & impuras. Puræ sunt, quando exponens modi cum Indice conjunctus adhuc in exponente generis Diatonico-Chromatici continetur; sin magis compositus sit, ita tamen, ut adhuc in $2^m. 3^7. 5^2$ contineatur, variationes impuræ prodeunt. Omnes ejusmodi modorum variationes in Tabula dispositæ sunt, uno quasi oculi obtutu deprehendendæ. Porro de systematis cujuslibet modorum speciei agitur. Est autem systema nihil aliud, quam congeries sonorum alicujus speciei intra limites fixos (e. g. quatuor octavas, ut in Clavichordiis usu venit,) inclusorum. Sæpenumero accidit, ut eadem species plura habeat systemata, quæ variis sonorum congeriebus constant. Hujusmodi autem systema idem est, quod *ambitum* dicere Musici consueverunt. Igitur, contra quam Musicis videtur, quilibet modus & quælibet modi species plura systemata, seu ambitus, admittit, quo ipso Musica rursus mirifice variari potest. Ad pleniorum vero modorum notitiam Tabulam luculentissimam

tissimam subdidit Autor, in qua non solum modi cujusvis omnes species, quæ quidem intra quatuor octavas locum habent, sed omnia quoque systemata, notis sonorum consuetis, designata sunt, numero omnino 229. Hisce igitur expositis, de ipsâ tandem compositionis ratione in dato modo & systemate, ac de modorum & systematum permutatione, disserit Vir acutissimus, ipsamque componendi artis theoriam & naturam intrinsicam ante oculos lectorum ponit; quibus tamen in compendium redigendis non amplius immorabimur, nimiam recensio- nis longitudinem evitaturi, cum quod ex illis, quæ attulimus, de his etiam aliqua ex parte existimari possit, tum quod adeo breviter ea exhibere non liceat, quin obscuri fiamus. Habes igitur conspectum & speciem quandam Operis *Euleriani*, novitate æque ac elegancia commendabilis, cujus præcepta si in dies magis excolantur perpolianturque, nullum est dubium, quin consummatissima aliquando Musices theoria concinnari, ipsaque proinde praxis etiam mirifice amplificari perficique, possit. Finem itaque recensio- nis facturi, vehementer optamus, ut peritissimi artifices, exquisito non minus gustu, quam dexteritate, in conficiendis edendisque operibus musicis pollentes, theoriam cum praxi consocient, & in numerorum rationumque natura, quam cachinnis non raro, dum usum ignorant, excipere sueverunt, penitus perspicienda, & ad perfectionem nobilissimæ scientiæ adhibenda, omni studio & contentione laborare occipiant.

THREE LECTURES ON THE ORGANS
of respiration, &c.

id est,

*PRÆLECTIONES TRES DE ORGANIS RESPI-
rationis, in Collegio medico Regio Londinensi, ex insti-
tuto Gulstoniano, habitæ a BENJAMINO HOADLY,
Med. D. Collegii Medicorum & Regiæ Socie-
tatis Socio.*

Londini, apud Jo. Roberts, 1740, 4.

Plag. 18, Tabb. æn. 3.

L

Ob

Ob evidentem respirationis, semel inchoatæ, ad conservandam vitam necessitatem, dignum censuit argumentum Cl. Autor, de quo *tribus Prælectionibus* copiosius dissereret, partiumque, ad respirationem exercendam destinatarum, mechanismum, usum, quem illa in œconomia animali præstat, denique morbos, quibus ea impeditur, curatius exponeret. In tradendo partium, respirationi servientium, mechanismo, copiosam fabricæ costarum, sterni, vertebrarum dorsi & diaphragmatis, quibus thoracis cavum circumscribitur, expositionem eo minus necessariam fore credidit, quo plenius illa ab aliis jamdum tradita fuit; alternantis vero dilatationis & angustationis, quas inspirationis & expirationis tempore se excipere, & a costarum sternique elevatione & depressione pendere, inter omnes constat, instrumenta silentio prætermittere non potuit, cum in illorum officio designando non omnes inter se consentiant. Varii quidem musculi costis inferuntur, qui in difficili respiratione ad illarum motum juvandum subinde concurrunt, quorum tamen auxilio in placida respiratione non indigere animalia, institutis experimentis perspectum est, ut solæ fere intercostales carnes ad motum costarum sufficere videantur. Bini sunt carnum in interstitiis quarumlibet costarum ordines: externus, cujus fibræ oblique descendunt, & a postica costarum parte versus anteriora pergunt, atque una ex parte inferiori & exteriori margini superioris, ex altera superiori & exteriori margini inferioris, costæ inferuntur, & internus, cujus fibræ contraria directione oblique ascendunt, ab anteriore cartilaginum sterni parte versus posteriora pergunt, atque uno extremo superiori & interno inferioris, altero inferiori & interno margini superioris, costæ infiguntur. Plurimi Autores cum *Borello* utrumque musculum elevandis costis conjunctim inservire censent; Clariss. tamen Autor ab eorum partibus stat, qui cum *Willisio* cuique peculiare officium assignant, atque, uno contracto, alterum relaxari, & sic alternatim costas elevari ac deprimi, censent. Priorem quidem sententiam veram credit, si binæ duntaxat costæ cum intermediis carnis considerentur; at contrarium apparere, si tres costas conjunctim intuoaris, ubi statim ex contraria directione musculorum, mediæ costæ inferorum, appareat, alterum contrahi non posse, nisi alter relaxetur, & si uterque agat, costam mediam immobilem

mobilem reddi; quæ si omnibus costis applicentur, intelligi externos musculos, conjunctim agentes, costas elevare, excepta prima, internos vero simul contractos easdem deprimere, præter inferiores, a serrato postico inferiore deorsum ducendas. Præter hunc costarum motum abdominis in inspiratione tumor, in expiratione versus interiora retractio, observatur, a diaphragmatis descensu & ascensu pendens. Dum enim costæ elevantur, fibræ diaphragmatis, illis insertæ, simul insurgunt, & concurrente propria actione, superficies ejus plana redditur, unde abdominis contenta versus exteriora urgentur, & cavitas thoracis ampliatur. Quamprimum vero costæ iterum descendunt, fibræ diaphragmatis denuo relaxantur; unde aer externus, cum musculis abdominis contractis, ejus contenta versus diaphragma, illudque in cavum thoracis, urgent, atque adeo illud insigniter immittitur. Ampliato thorace, aerem per asperam arteriam in bronchia irruere, totumque pulmonem expandere, extra dubium est; an vero in ipso thoracis cavo aer exterius pulmones ambiat, adhuc disceptatur. Plurimi, omnem aerem inde penitus excludi, censent, cum omnes aditus, per quos eo penetrare possit, sollicite ossibus, membranis, carnibus, obtecti sint; unde manifesto patere putant, quamprimum costæ cum sterno eleventur, sicque pressio in externam pulmonum superficiem minuatur, aerem proprio pondere in pulmones penetrare, eosque tam diu inflare, donec iterum pleuræ fiant contigui. At vero Cl. Autor aeris præsentiam in cavo thoracis omnino concedendam credit, eisdemque per ipsam pulmonum texturam, raram admodum, introitum patere putat, adeoque respirationis phænomena ita explicat: quamprimum costæ elevantur, aer, inter pleuram & pulmones hærens, expanditur & rarefcit, sicque, pressione in eorum superficiem internam imminuta, vis aeris externi major intrat asperam arteriam, pulmonesque replet, donec æquilibrium inter aerem, eos ambientem, & in bronchiis detentum, restitutum fuerit; costis vero iterum subsidentibus, aer, pulmones intra thoracem ambiens, condensatur, & majori vi eorundem superficiem premens, aerem, in bronchiis hærentem, per patulum laryngem expellit. Quam hypothesein variis experimentis, ab

Halesio in Hæmostatica allatis, aliisque, a se ipso in animalibus viventibus institutis, confirmare studet, quorum thoracem nunc amplo, nunc angustiore, vulnere aperuit, ubi, ab amplo vulnere brevi respirationem cessare, animalque mori, observatum est, quod aer, nimia copia irruens, omnem pulmonum expansionem impedit. Thoracis vero utroque etiam latere angusta apertura, qualis ab acu paracenthesi destinata fieri solet, patefacto, respirationem, etsi paulo difficiliorem, per notabile tempus continuatam vidit, quoniam hæc orificia, angustiora, quam laryngis apertura esse solet, viam quidem aeris transitui concedunt, sed non tanta copia, quanta per laryngem intrat et expellitur, ut adeo aliqua tamen mutatio æquilibrii inter acrem, pulmones ambientem, & internum fieri possit, quæ ad continuandam utunque respirationem sufficit, etsi illa necessario impeditior esse debet, quam si clauso undique thorace aer, in illo contentus, nullum cum externo commercium habet. In Appendice, his *Prælectionibus* annexa, alia *Houssoni* experimenta, e quibus contrarium colligendum videbatur, adducit, & cum suis conciliare studet, quæ brevitatis gratia omittimus, & lectoribus harum rerum curiosis in ipso libro indaganda relinquimus. *Alteræ Prælectio* usui, quem respiratio vitæ nostræ conservandæ præstat, explicando destinata est, quem in sanguinis circuitu conservando potissimum consistere, inter omnes convenit; qua vero ratione huic inserviat, diversa subinde ratione exponitur. Sanguis omnis, toto ex corpore reductus, antequam denuo ad partes deferatur, pulmones subit, & ex illis iterum profluens, demum aortæ redditur; sanguis, per venam cavam utramque ad dextrum ventriculum tendens, humorem maxime heterogeneum, inæqualiter mixtum, & serosis partibus abundantem, refert, quod cum a particularum maxime elasticarum jactura in variis visceribus, secretioni destinatis, omnibusque partibus, nutritias particulas retinentibus, tum a venarum laxiore textura, amplioreque diametro, sanguinem minus comprimente, & denique a novi chyli successiva in vena subclavia affusione, dependere videtur. Postquam vero pulmones transit, humorem magis homogeneum, elasticum, nutritiis particulis imprægnatum,

pur-

purpureo colore rutilantem, prodire animadvertimus; quam mutationem Cl. Autor neque a divisione sanguinis in minutissimos rivulos derivandam censet, utpote quæ in aliis pariter visceribus contingat, contrario tamen effectu in sanguine observato, neque a pressione ejus inter vesiculas pulmonales, modo expansas, modo subsidentes, deduci permittit, utpote quæ in placida respiratione admodum exigua sit, & in vehementissima etiam major esse nequeat, quam in vasis musculorum, valide contractorum, neque demum a majori impetu, qui cum sanguine in pulmonibus communicetur, pendere credit, utpote quem in visceribus a motu eorum peristaltico eundem fore appareat. Insignem igitur hanc mutationem produci demonstrat partim a copioso particularum aquosarum abundantium per vesiculas pulmonales transitu, & sub specie vaporis, cum aere ex corpore exhalatione, partim a nutritiarum partium cum reliquis unione, dum chylus in minimis vasculis cum sanguine subigitur, & frequentibus anastomosibus denique in homogeneum liquorem mutatur, partim etiam ab aeris admistione, qui, cum aqueis intra vesiculas unitus, poros vasorum subeat, & ad condensandum sanguinem symbolam conferat, adeoque demum a mutua partium aeris, sanguinis, & chyli, actione in se invicem, ad perfectionem humoris vitalis summe necessaria. Qua occasione erudite de summa necessitate aerem recentem perpetuo hauriendi disserit; siquidem experimentis constat, non solum aerem, crassioribus, acidis, atisque, corpori infestis, exhalationibus repletum, suffocationem minari, sed eundem etiam effectum metuendum esse, si per aliquot tantum minuta idem aer, quem animal sub initium commode recepit, & expiratione reddidit, sine recentis accessione hauriri debeat, prout id experimentis, ab *Halesio* institutis, evincitur; quod ipsum non spiritui cuiquam vivificanti, in aere reperiundo, cum aliis tribuit, sed elasticis ejus particulis, quæ a copiosis pulmonum exhalationibus brevi destruantur, unde, si his jam repletus aer sæpius intra pulmones recipi debeat, vesiculis expandendis minus sufficiat, hæque brevi collabuntur, adeoque sanguinis per pulmones circuitum sistant; quamdiu vero recens aer in inspiratione per laryngem & bronchia recipiatur,

piatur, illum, qui antea in vesiculis hæserat, & vaporibus im-
 pregnatus, sicque minus elasticus, fuerat, a calore rarefactum, ad-
 scendere, sicque recenti intra ipsas vesiculas aditum concedere,
 ostendit. *Tertia* denique *Prælectione* morbos, respirationem im-
 pedientes, considerat Cl. Autor, qui nunc exteriores tantum
 partes, motui thoracis inservientes, nunc pleuram & diaphra-
 gma, afficiunt, interdum vero ipsos pulmones lædunt. Si vel
 intercostales carnes, vel abdominis muscoli, debilitati, tumore
 affecti, aut quacunque ex causa ad contrahendum nunc in uno,
 nunc in altero, latere inepti fuerint facti, semper motum a re-
 liquis integris tantum majori molimine continuari videmus, ut,
 dextro latere morbito, motus fere in sinistro tantum percipiatur,
 intercostalibus læsis, ille in abdominalibus solum vigeat, his con-
 tra ab officio remittentibus, carnes, costas moventes, tanto vali-
 dius agant; ex quibus signis sedem propriam mali judicari debe-
 re, Autor ostendit. Si pleura, interius thoracem investiens, inflam-
 mata fuerit, motum costarum non minus, quam diaphragmatis,
 cujus superiorem superficiem pariter obducit, summo cum do-
 lore fieri, aut penitus sisti, necesse est, quod & de peritonæi, al-
 terum diaphragmatis latus, abdomen respiciens, cingentis, inflam-
 matione intelligendum. Pulmones subinde pleuræ coherere, in
 cadaverum sectionibus sæpius reperitur; quæ, si levior sit, & pau-
 cis tantum in locis, pulmonibus, ceteroquin sanis, vix aliquod re-
 spirationis impedimentum afferet, sin vero alia ex causa pulmo-
 nes laborent, graviolem statim morbum reddet. Quo latius ve-
 ro illa cohesio expanditur, eo magis respirationem sufflaminari
 necesse est, ita, ut, si undique cum pleura coaluerint pulmones, spi-
 ritum penitus intercipi, sit necesse, quod potissimum ab aere, sic
 ex cavo thoracis excluso, Autor deducit, utpote cujus præsen-
 tiam ad expandendos contrahendosque pulmones necessariam
 esse, *priore Prælectione* fusius exposuerat. Quam in rem bina exem-
 pla notatu dignæ ex cohesione pulmonum perfecta defunctorum,
 cum historia morbi, & phænomenis, in sectione deprehensis, co-
 piose commemorat. Si ipsi vero pulmones inflammati suppu-
 rati, scirrhusi, aut spasmo affecti, fuerint, motum pulmonum, &
 sanguinis per eos circuitum, potissimum turbari, luculenter osten-
 dit,

dit, hac occasione docens, has affectiones necessario febrim sequi debere, uti etiam a febre quacunq[ue] ipsam respirationem lædi necesse sit, cum sanguis omnis, febrili motu agitated, per pulmones majori celeritate & impetu transeat; ubi signa ostendit, ex quibus Medicus intelligere possit, utrum febris ejusmodi inflammatoria a pulmonibus primario affectis dependeat, an vero pulmones symptomatice solum patiantur, ut inde indicationes convenientes formare liceat, siquidem e. g. venæsectio, quæ in febre inflammatoria pulmonum primaria iterata etiam vice instituta maxime conveniat, subinde ab alterius febris indole, venæsectionem non admittente, prohibeatur, aliamque his medendi methodum, ex instituto a Cl. Auctore expositam, desideret.

LA METAPHYSIQUE DE NEUTON, OU PARALLELE
des sentimens de Neuton & de Leibnitz, &c.

hoc est,

*METAPHYSICA NEUTONI, SEU COLLATIO
sententiarum Neutoni ac Leibnitii, opera Do-
mini DE VOLTAIRE.*

Amstelodami apud Stephanum Ledet & Societatem, 1740, 8.

Plag. 5 1/2.

*Vergleichung der Leibnitischen und Neutonischen Meta-
physik, wie auch verschiedener anderer philosophischer und
mathematischer Lehren beyder Weltweisen, &c.*


id est,

*COMPARATIO LEIBNITIANÆ ET NEUTO-
nianæ Metaphysicæ, nec non diversarum aliarum philo-
sophicarum atque mathematicarum doctrinarum Phi-
losophi utriusque, instituta, ac Domino DE VOLTAIRE
opposita a LUD. MART. KAHLEN, P. P. O. &
Decano Ordinis philosophici Gotingensis.*


Gotingæ, impensis officinæ librarix Academicæ, 1740, 8.

Plag. 11.

Edidit



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1742

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 K 4⁰

Edidit Cel. *Volterius Elementa Philosophiæ Newtonianæ*, æque ibi immemor veritatum ac doctrinarum metaphysicarum, ac *Newtonus* olim in adornandis scriptis mathematicis atque physicis. Ne quid tamen præcipui tribuendum videretur *G. G. Leibnitio*, Germaniæ quondam sideri lucidissimo, providere voluit hoc scripto *Volterius*, telæ subtilioris elementa, seu subtegmen metaphysicum, hic moliens, quod nomini *Newtoniano* supponat. Cupiditate flagramus videndi testimonia ac ipsa verba *Newtoni*, viri sane magni, quibus hoc Compendium metaphysicum, ejusque propositiones, reddi possint *Newtono*. Ea enim antequam proferantur, *Metaphysicam* hic nobis suppeditatam esse non tam *Newtoni*, quam ipsius *Volterii*, existimabimus constanter. Opportune autem in manus nostras incidit Cel. *Kablii* Opusculum, quo *Volterii* pronuntiata examinantur. Una fidelia hic lubet parietes duos dealbare. Dabimus *Volterii* scita sic, ut simul annotationum *Kablianarum* eis adjungamus stricturas. In Præfatione *Kablius* illico negat, *Newtonum* disciplinis ex reformatâ *Metaphysica* lucem ivisse accensum; ipsum scripsisse *Metaphysicam*; ipsius in hanc merita insigniora exstare; *Newtonum* ac *Leibnitium* respectu scientiæ metaphysiçæ in contentionem adduci posse. *Volterium* Poetam esse patriæ suæ præstantissimum, lubenter ipse largitur, & nos cum eo. Quantæ autem ipsi insint vires, ad excolendam *Metaphysicam* & *Philosophiæ* reliquam partem accommodatæ, id non ex hac Collatione, sed ex opere limatiori, atque ordinem apodicticum servante magis, discernimus. Monet *Kablius* in ipso limine, doctrinas, quas *Volterius Newtono* tribuit, esse tritissimas, jamque ab ævo *Evandri* notissimas maximam partem. *Metaphysicam Newtoni* hic inchoat, perhibens, *Newtonum* in eo semper fuisse, ut, Deum existere, rerum creatarum curatorem, doceret, quasi is confestim appellandus sit *Metaphysicus*, qui, Deum existere, haud negat. *Volterius* credit, virtuti eum haud studere, qui, Deum dari, inficietur. Respondet *Kablius*, dari virtutem ex moralitate actionum interna, quam & illi vix adhibeant, qui religiosos maxime sese fingant, Deique plenissimos, ut patronis imponere, bonis insidiari, sibi que commoda creare possint ad votum. Rari quippe sunt

sunt illi, qui cognitionem de Deo adhibent in invitamenta per-
 petua bene agendi, legique naturæ convenienter vivendi. Dan-
 tur nempe gradus virtutis pro diversitate invitamenti, quo ipsius
 exercitium nititur. Virtus perfecta est illa, quam viva de Deo
 cognitio gignit ac conservat. Hæc sola reddit beatos. Ut, De-
 um mundo originem dedisse, doceat *Volterius*, doctrinam
 de vacuo in medium affert. Vacuum enim extramundanum,
 si quod datur, indicio est, mundum esse finitum, materiam
 haud necessario existere, ideoque dari Deum. Nexus in hisce
 haud pellucet: *Datur vacuum, ergo materia necessario haud ex-*
istit. Ostendatur, necesse est, vacuum illud & finitudinem
 mundi aliter aliterque contingere & fieri potuisse, antequam
 nexus ille reddatur illustris. Vis cogitandi in anima est finita.
 At ideo illa non potest ab ea abesse. Vacuum sane est nihi-
 lum. Qui vero inde comprobari potest mundi contingentia? Si
 datur substantia, a materia discrepans, tum quoque Deus datur.
 Sic *Volterius*. At admittunt quoque Atheorum nonnulli prius
 illud, licet hoc posterius haud largiantur. *Volterius* ita argumen-
 tatur: Materiam per sese haud inest vis gravitandi, ergo hæc
 a Deo insita illi fuit. At onnittit demonstrare, cur vim gravi-
 tandi ab essentia materiam separet, cur eam non ab alia re, ac a
 Deo, derivet. Ex complexu dogmatum philosophicorum *Car-*
tesij enatum fuisse systema *Spinoza*, *Volterius* contendit. *Sp-*
inoza secus sensit, falsus, se illud ex Cabbala Judæorum hausisse.
 Mundum carere terminis, probabile putat *Kablius*, eo quod
 mundus ejusmodi est Deo dignus, & fieri potuit. Infinitus est
 Deus, quia vires quascunque compossibiles supra gradus o-
 mnes tenet. Hoc sensu mundus nequit esse infinitus. Causæ
 finales suppeditant argumentum optimum, quo, Deum existe-
 re, patescit, iudice *Volterio*. At posuit ipse, fines dari mundo
 propositos, a substantia cogitante, satisque potente, sciente, &
 sapiente, intentos, antequam demonstravit, existere Deum. Ut
 doceat, existere Deum, ponit aliquid, in quo id jam inest &
 præmittitur, quod postea demum erat ostensurus. Circulatur
 hic *Volterius*. Per inductionem sane haud ostendi potest, mun-
 dum universum, ratione & spatii & temporis consideratum, fina-
 libus causis esse fecundum. *Kablius* subjungit argumentum,
 a contingentia ductum, quo, Deum dari, solet evinci, accu-
 rate

- Pag. 18. rate docens, progressum, nec rectilincum, nec circularcm, in infinitum dari posse. *Volterius* porro, Deum existere, eo contendit, quod datur in mundi complexu suus ordo. At ipse fuisse, prius demonstrare, ordinem hunc esse contingentem.
21. Ordinum enim necessariorum theorias cogitari posse, norunt & illi, qui primoribus tantum labris Philosophiam attigerunt. Addit eorum argumenta Censor, qui in ordine mundi multa capiunt notantque. Monet, neminem mortalium omnem mundi compagem perspicere, ideoque ineptos nos esse, ut de ordine totius mundi ex experientia iudicium feramus. Ipse *Volterius* queritur, nos mundi vix particulam cognoscere. Unde scilicet ipsi erat colligendum, ex parte de toto non esse iudicandum.
27. Theologiam naturalem, qualem *Volterius* *Newtono* supposuit, mancarn esse, defectibusque laborare, Censor demonstrare haud omittit. Idem, notiones *Newtoni* de spatio, duratione, & tempore, recenset, expendit, ac refellit. In notione *Newtoni* spatium est sibi quaquaverlus aequale & simile, nec cum principio rationis sufficientis stare, vel in concordiam redigi, potest. Consensionem inter *Spinozae* doctrinam de spatio & *Newtoni* illam affert Censor. Insulsam omnino est, cum *Newtono* spatium habere pro Dei attributo. *Sam. Clarkius* tribuit spatio partes, at quae dividi haud possint. Cum vero inde patescit, Deum ipsum ex partibus consistere, notio illa non potest non esse minus solida,
37. quia spatium existimat esse compositum ex partibus similaribus, quae sententia principio indiscernibilium obstat. Compositio abest a perfectionibus & essentia Dei, quippe qui est simplicissimus. Sententia de spatio, Dei sensorio, peccat in Dei omniscientiam. Praesentiam Censor exponit per exactissimam relationem rei existentis unius ad alteram, & omnipraesentiam per statum, per quem Deus sibi omnes res repraesentat, & concursu suo eas conformat, regit, & ad bonum dirigit. Spatium, si est aliquid re vera existens, a Deo creatum sit oportet.
42. *Leibnizii* ideam, de spatio conceptam, Censor laudat & firmat, negans, dari spatium extra mundum reale. Tempus esse ordinem successivorum in serie continua, demonstrat. Durationem exponit per existentiae continuationem. *Volterius* putat, *Cartesium*, quia, dari vacuum, negaverit, per systema suum docere haud potuisse, existere Deum. Grande postulatam! Censor elidit

elidit merito illam ratiocinationem. Libertatem Dei ut vindicet *Volterrius*, ipse principium rationis sufficientis it eversum, Deumque, quia vult, velle, largitur. Monet Censor, male eos de Metaphysica mereri, qui putent, libertatem esse facultatem agendi citra ullam rationem. Hæc enim notio erronea efficit, ut corporibus & brutis, ratione vacuis, tribui possit libertas. Quin potius libertas in sese spectata est facultas eligendi cum ratione ex pluribus æque possibilibus hoc vel illud, quod melius apparet. Qui cognitionem & sapientiam Dei summam venerantur, ii nunquam pronuntiabunt, Deum ideo libertate gaudere, quod vult, quia velit. Facultas agendi pro arbitrio, id est, cæco & mechanico impetu, nunquam libertatis nomine fuit digna, nec in Deum cadit, cui tamen nemo libertatem detrahet, nisi male quis in sacri Codicis veritatem & sapientiam, cognitionemque Dei summam, peccare. Negat Censor, dari in mundo æqualia extra imaginationem, rationesque pro *Leibnitio* tuendo, æqualia ii, improbante, profert. Dari *in abstracto* posse æqualia, ideoque ea a Deo cognosci, negat nemo. At *in concreto* illa nec existunt, nec existere queunt. Argumenta Censoris expendant, si qui hærent & fluctuantur. Voluntatem, invitamenta & rationes sequentem, a necessitate esse immunem, ostendit Censor, exploditque, ut par est, libertatem indifferentiæ, seu cæcum impetum mentis, quantum ad applicationem attinet, immo indifferentiam æquilibrii. Æqualitas certe circumstantiarum, quæ animam afficiunt, haud datur re ipsa. Voluntas certe est facultas, naturaliter ad bonum, sive verum, sive apparens, ferri solita. De spontaneitate *Volterrium* notionem fovere minus distinctam, demonstrat Censor, solide monens, Deum haud addiscere in dies. Vires in mundo perire nonnullas, negat idem, licet quantitas motus haud semper maneat eadem. Vires ideo imminui, quia substantia aliunde dependet, nemo cum *Newtono* facile affirmabit, siquidem hac ratione spirituum finitorum quoque vires in dies decreverunt, quod sanus nemo predicare ausit. In nihilum per se recidit nihil. Cum vero elementa mundi prima vim contineant semper constantem & fixam & determinatam, vires mundi omnino nunquam hoc pacto imminuuntur. Per destructionem partium machinæ non intereunt ipsæ partes, novis conflandis machinis

Pag. 58.
60.
62.
64.
72.
76.
80.
potius

- Pag. 84. potius aptæ. Mundum in nihil esse recasurum per Dei potentiam, negat Censor, pronuntians, sapientia Dei digniorem esse mundum illum, in quo vires haud ullæ fatiscunt pereuntve. *Newtoni & Lockii* opinionem, qui, universa mentis phænomena extrinsecus inferri in eam, statuerunt, expendit Censor, viresque animis innatas vindicat. Mentium vis ut hac vel illa ratione finiatur & determinetur, repræsentatio rerum in organo sensorio obvia efficit; vis vero cogitandi, ac ideas producendi, inest naturæ & essentiæ mentis. Qui eadem sensibus usurparunt, non eadem cogitant. Unde fit planum, sensationes externas non esse effectrices idearum mentis. *Volterius, Lockium & Newtonum*, ait, tribuisse animalibus brutis mensuram & idem, quod nobis, iudicandi præsidium. At vage hic disseruit Poeta Philosophus, nec definivit, qualis & quanta illa sit facultas sentiendi, & ideas formandi. *Lockius & Newtonus* crediderunt, Deum corporibus materiæve potuisse attribuere vim cogitandi. Censor e contrario it demonstratum, in essentia materiæ nihil inesse, unde cogitatio possit existere, immo facultatem cogitandi repugnare corporum essentiæ, eamque ob rationem nec Deum vim cogitandi corporibus impertisse, nec conferre potuisse. Et cur, obsecramus, anima corpori est iuncta, si corpus ipsum potest cogitare? Ea, quæ respectu essentiæ sunt necessaria, simul a nemine amplius pendere, existimavit *Volterius*, haud perpendens, quantum inter sit inter essentiam & existentiam. Essentias ipse admittit per posticum, quas dudum Philosophi foras eiecerunt. Itane malefacta induere possunt essentiam virtutum? An triangulum induere potest essentiam quadranguli? Nihilo minus *Cel. Volterius* moralitatem internam & essentias æternas defendit, totus a se ipse dissidens. Quæ pro harmonia præstabilita Censor attulit, legi sunt digna. Principia materiæ prima & individua idem vindicat adversus antagonistas. De vi actuosa solidissime disserit. Primo ostendit, dari vim inertæ, provocans ad experientiam. Materiam vi motrice esse præditam, deinde demonstrat. Perpetuo eandem vim inesse naturæ, porro exponit, usus demonstratione dynamica, quæ solet in Mechanica algebraica adhiberi, atque tum ab Ill. *Christiano Wolffio* in *Commentariis Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae Tom. I pag. 217 seq.* tum a *B. Hermanno* ibidem pag. 1 seq. allata fuit.

Monuit

Monuit jam Ill. *Wolffius* Tomo V *Elementorum Mathematicos univ-* Pag. 158.
sa Cap. 9 pag. 474, & Cap. 5 pag. 417 seq., quid de Philosophia
Newtoniana sit pronuntiandum. Nostrum fuit, compendiariam
 exhibere ex libello utroque epitomen, orantes quemcunque,
 ut, si Philosophiam *Leibnitianam* evertendi pruritu laborat, eam
 prius curate intelligat discatque, quam ei noctem & nubem ob-
 jicere annitatur. Si *Kablius Volterium* paulo honorificentius
 habuisset, ac ejus verba transtulisset in Germanicum, fautoribus
 quoque illius plusculum indulgisset, magis certe sese approbasset.

JO. FRIDERICI ZUGLIERI, ART. LIB. MAG.
Ἀνδραποδοκαπηλείον, sive de Nundinatione servorum apud
veteres Liber singularis historico-juridicus, ex quo lucem
capere possunt Auctorum loca complura. Accedit Medicus
Romanus servus, sexaginta solidis aestimatus, varissi-
imum nostris in oris Opusculum.

Lipsiæ, apud Jo. Georg. Lœwium, 1741, 8.

Plag. 11 ½.

Ad ritum vendendi servos & emendi passim respiciunt Græ-
 cæ pariter Latineque veteris scriptores. Movit hoc Auctorem
 doctissimum, ut variis ista loca observationibus illustraret, quas
 presenti libello cum harum rerum amatoribus communicavit. Ex-
 emplo inductus *Guilielmi a Loon*, qui cultissimis *de Manumissione*
servorum libris τῆς ἀλευθέριας vocabulum præfixit, Græca usus
 est in titulo voce: Ἀνδραποδοκαπηλείον. Præter Proœmium in de-
 cem Capita dispersit hunc suum laborem. Primo quæstio-
 nem paucis examinat, an homo jure naturali sit in commercio.
 Respondet hoc neganti *Casp. Zieglero*, & qui plenum in servos
 dominium reddere dubium voluerat olim, *Samueli a Pufendorf*.
 Caput alterum de nundinatione servorum apud *Ebræos* inscriptum
 est. Monet hic Auctor, servos apud *Ebræos* duplicis generis, singu-
 laria tamen servorum, *Ebræorum* natione, jura, fuisse; tribus mo-
 dis illorum esse venditionem peractam; fœminas *Ebræas*, ex insti-
 tuto gentis, nec emi, nec vendi, potuisse; nec licuisse his ipsis
 comparate sibi servos: cujus ritus indicat rationem. Subjungit
 deinceps, servos, qui gentibus erant oriundi, longe fuisse dete-
 rioris conditionis, & eorum in pretium inquirat. Tertio Capite
 Cl. Auctor de venditione servorum apud *Græcos* disserit. Illi, qui

mancipiorum negotiationi erant intenti, dicebantur *ἀνδραπεδοκώπηλαι*, & Athenarum præcipue, urbis Ephesi, iniularumque Sami & Cypri, nundinas frequentabant. Apud Athenienses servi in Circo, seu Κόκλω, venum expositi, & voce præconis, lapidi, cui *πρᾶτῆρ λιθός* nomen erat, insistentis, proclamati fuerunt. Hunc etiam lapidem, qui locum reddebat editiorem, concendere venalium quilibet debebat, quod *Aristophanes* *πρόπρᾶτον* dixit. Mangonum autem calliditas incredibilis erat, quandoquidem e. g. servis, ut speciosiores apparerent, vel novas dabant vestes, vel inter formosos per se servos maxime collocabant deformem, ut pulchritudo citius in oculos incurreret, quod Cl. Autor exemplo illustrat *Ἄσπρι*, cui quippe insignem *Plaudes* tribuit deformitatem, nondum argumentis sole meridiano clarioribus a Viris quibusdam eruditissimis in re confutatus. Emtores igitur cauti, ne deciperentur facile, sedulo interrogabant mancipium, quænam illi patria; quid didicerit; in quam potissimum familia fuerit; an satis salvus. Quam quidem ob rem, detractis vestibus, inspiciebant membra, & nonnunquam etiam ire, redire viam, servos jubebant. Antiquissimis temporibus servorum emptio venditio mera fuit permutatio. Primi servos pecunia emissæ perhibentur Chii. Quod autem commune fuerit servorum apud Græcos pretium, haud adeo liquet. Suspiciatur Autor, mancipium deforme, vel nullius pæne utilitatis, ad obolos vix centum accessisse, quingentas contra drachmas frequens admodum servorum fuisse pretium, si essent vel literati, vel musici, vel palæstrici doctores, vel arte quadam alia, virtuteve, conspicui. Soli eunuchi æstimari longe pluris solebant. Iudices atque inspectores, servorum nundinationi præfectos, Græci *ἀγορανόμοι* vocabant. Quod sequitur *Caput quartum, venditiones mancipiorum apud Romanos in genere, & homines, qui illis sunt negotiati*, exponit. Assidua & quotidiana servorum comparatio erat in republica Romana. Qui negotiari consueverant iisdem, hos variis insignitis nominibus intelligimus. Frequentissime vocati *mangones*. Nec tamen incognite etiam sunt voces *venalitiis*, *venalitiarius*, & *mancipiorum negotiator*. Quæ vox ultima, tantum abest, ut mercatorem hic significet, ut certum exploratumque sit, his longe inferiores habitos esse mangones. Imo vilis erant conditionis, & ad omnem

omnem fraudem compositi æternas existimationi suæ maculas inurebant. Ab his differebant nonnihil lenones, Jure Romano infamia notati, quorum turpissimo negotio primus obicem *Hadrianus* posuerat. Lanistæ quoque servos cœmebant, & bene in arte gladiatoria exercitatos ad spectaculum triste populo exhibendum vendebant, donec *Hadrianus* & huic malo injiceret frenum, tandemque *Constantinus M.* ludos gladiatorios plane prohiberet. *Capite quinto* disquirat Cl. Aator, ubi, quot modis, & quo ritu, hæc sit venditio instituta. Multa hic disputata leguntur de Catasta, veroque sensu verborum *Petronii Cap. 29: venalitium titulis pictum*; de præconibus, qui vendiderunt mancipia; de servis nudis, vel gyplatis, pedibus adstantibus; de titulis, a servorum collo pendulis; de servorum denudatione, modisque explorandi eorum valetudinem, de venditione sub corona, & sub hasta; de servis pileatis; de servo sua pecunia emto. *Sexti Capitis* summa est de iis, quæ jure observanda erant in venditione servorum. Agitur in hoc de portorio atque vectigali mancipiorum causa solvendo; de publicanis, pœna commissi, atque *ειρονημα*; de autore & quantitate vectigalis; emtorne, an venditor, solverit; de natione servi indicanda; de servis novitiis & veteratoribus; de commendatione mancipiorum; de præcipuis corporis vitiis emtori significandis, pariterque de vitiis animi, &c. In *septimo Capite*, de pretio servorum, docet Aator præstantissimus, servos varii generis atque conditionis, ideoque varii etiam fuisse pretii. Meliora mancipia sepe reliquum viliores gregem reddere vendibiliorem debebant. Inde ortum est proverbium, *familiam ducere*. Nonnunquam etiam rejicula mancipia, quasi appendix, pretiosioribus accedebant. Erant autem Romani in servis emendis haud raro ultra modum prodigi. Maximi faciebant eunuchos, de quibus Aator complura tradidit. His subjungebantur Medici, & deinceps Grammatici, literas Græcas docti, Poetæ, librarii, Bibliothecarii, pedagogi, notarii, anagnostæ. Inter artium illiberalium peritos multum statuebatur pretii pictoribus, comædis, musicis, gladiatoribus, funambulis, palæstritis, negotiatoribus, calculatoribus, topiariis, pocillatoribus, & coquis. Denique mentiones etiam, pueri formosi, servi bonæ frugis, novitii, & peculio instructi, itemque puella formosæ, vel teneræ ætatis, obstetrices, puella fides doctæ, lanificiæ, telæ, texturæque, pectæ, secundæ gravidæque, & ornatrix, sæ grandi æris summa vendi sæpius solebant. *Ultimum Caput* recenset varias conditiones, venditioni servorum applicatas. Fieri hoc & a venditore, & ab emtore, poterat. Debebant tamen conditiones esse bonæ, ideoque prohibita erat venditio mancipii, ut cum bellis pugnaret, vel ad ludum gladiatorium adhiberetur, idque ex Con-

stitutione

Situatione Hadriani. Prioribus enim temporibus id licuisse omnino, *Suetonius in Vitell. Cap. 12* confirmat, qui locus occasionem suppeditavit Cl. Auctori, ut quæstionem, celebrem satis, excuteret nonnihil, an liberti reciderint in servitutem. Ad illicitarum conditionum classem non pertinebant illæ: ne mancipium plane manumittatur; ne aliquo loco moretur, neve intra certum tempus ad libertatem perveniat; ut intra certum tempus manumittatur; ut uni tantum serviat domino, eoque mortuo liberum sit; ut exportetur; ut in perpetuis vinculis maneat; ne prostituatur, & si hoc factum, ut liberum esset, vel manus inestio locum haberet, vel emtor certam aureorum summam daret; ut suo periculo emeret mancipium emtor; ut, nili placeret mancipium, intra præfinitum tempus redhiberetur; ut nihil exciperetur. *Caput nonum est de actionibus, propter mundinationem mancipiorum constitutis, deque magistratu, huic negotio præfecto.* Binæ sunt actiones, quibus emtor contra venditorem poterat experiri. Uni redhibitoria nomen est, altera quanti minoris, seu æstimatoria, dicitur. Utraque qua ratione inter se differat, quando locum habuerit, quo tempore exspiraverit, an integra manserit mortuo mancipio, an & variare his actionibus licuerit, quid in evictione juris fuerit, cur *Ædiles*, legitimi harum rerum iudices, *Edictum de mancipiis venalibus* proposuerint, & quæ *Thomasi* de hoc ipso sententia sit, luculenter exponere studuit Auctor. *Decimi Capitis* inscriptio est *de venditione servorum apud Germanos, usque hodierno.* Fuerunt etiam apud Germanos servi, quorum alii lautioris, alii vilioris, erant conditionis. Hi comparari commode cum servis Romanis possunt. Duplex autem apud Germanos veteres erat servorum venditio, scilicet cum prædiis, vel sine iisdem. Neque tamen servi extra regni fines, neque pagani Judæisve, debebant vendi. Non perfecta habebatur venditio, nisi, eam in testium conspectu, vel interveniente scriptura, fuisse peractam, probari posset. Urque omnes cessarent discordiæ, ex moribus Francorum obstrictus erat venditor ad indicandum emtori, si fur, vel fugitivus, vel cadivus, forsitan servus esset. Quibus traditis, Auctori nostro sermo est ac disputatio de redhibitione mancipii; quid juris fuerit, si aufugisset servus ex domo emtoris; de pretio servorum; solidus quid jure veteri sit; quomodo æstimati apud Longobardos *Masnadi* fuerint; an etiam peculium cum servo Germani vendiderint; & an hodie adhuc in Germania vigeat servus vendendi ritus. Negat hoc merito elegantis doctrinæ Auctor noster; apud Turcas vero, Sinenses, atque *Æthiopes*, veteris vestigia juris existare, ait, eamque in rem complura, hæc non parum illustrantia, protulit. Adjecit præterea *Exercitationi* suæ libellum, satis doctum & politum, *Medicum Romanum servum, sexaginta solidis æstimatum.* Perhibent verum *Opu- sculi*, nondum trium plagularum, parentem *Jo. Frid. Bachelmannum*, celebrem olim apud Batavos *JCtum*. Prodiit *Leidæ* primum A. 1671, & deinceps decennio post A. 1681, forma minori. Rarissimum autem nunc temporis libellum dignum judicavit Cl. Editor, qui tertium typis imprimeretur. Quod ut accuratius fieret, in tollendis typographorum vitis omnem collocavit operam, & quantum licuit, falso prolata Auto-

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCXLII.

Pars I.

GRÆCA D. MARCI BIBLIOTHECA CODICUM
manu scriptorum, per titulos digesta, præside & moderatore LAURENTIO THEUPOLO, Equite, ac D.

Marci Procuratore, jussu Senatus.

Veneriis, apud Simonem Occhi, 1742, fol.

Alph. 3 plag. 18.

Bibliothecam hanc Codicum manuscritorum, auspiciis & sapienti consilio Illustrissimi Viri, *Laurentii Theupoli*, collectam, studiis debemus *Antonii M. Zanetti, Alex. fil.* Bibliothecæ custodis, & *Antonii Bongiovanni, J. U. D.* qui, doctissimus uterque Vir, in præmissâ Præfatione, hanc sibi curam demandatam fuisse, confitentur. Congregavit olim hos Codices, congregatosque Reipublicæ Venetæ dono dedit, *Bessarion*, Cardinalis; quibus Appendicis loco accesserunt Codices, quos *Jacobus Constantinus* & *Joannes Baptistæ Recanati*, Patricii Veneti, aliique, Reipublicæ legarunt, quorum numerus ad 625 se extendit. Omnes hos Codices Clarissimi Editores in XII Classes dividerunt, & Codicis cujusque magnitudinem, foliorum numerum, materiam, atque ornamenta, si qua fuerunt, ac ætatem, notaverunt, & denique variantium lectionum specimina, de quibus mox plura dicemus, ex Historicis præcipue antiquis exhibuerunt, adjecto indice Autorum generali, quo suo quisque loco evolvi possit. Nec levem gratiam ab harum literarum studiosis inierunt Viri doctissimi, quod specimina characterum Græcorum a Seculo X ad XV æri incisa lectoribus suis exposuerunt. Nos, instituti nostri memores, specimina variantium lectionum, tam in Græca antiqui Fœderis interpretatione,

pretatione, quam in Historicis antiquis, datarum, adducemus. Itaque *Codex I*, in folio, membranaceus, foliorum 164, majoribus literis exaratus, Seculi VIII, aut IX, exhibet Testamenti Veteris partem, continens scilicet fragmentum *Jobi a Capite XXX, Proverbia Salomonis, Ecclesiasten, Canticum canticorum, Sapientiam, Ecclesiasticum, Prophetas Hoseam, Amosum, Joelem, Abdiam, Jonam, Micham, Nabum, Habacuc, Sophonium, Haggaeum, Zachariam, Malachiam, Esaiam, Jeremiam, Baruch, Lamentationes Jeremie, Ezechielem, Danielem, Historiam Susanna, Beli, & Draconis, Tobiam, Judith, Maccabaeorum Libros tres.* Exhibent nobis Clarissimi Editores specimina variarum ex hoc Codice lectionum, ad uniuscujusque, quem continet, *Libri Caput primum* pertinentium. Ex quibus discimus, hunc ipsum Codicem non tantum in multis cum *Alexandrino*, rarius cum *Vaticano*, facere, verum etiam quasdam legendi rationes suppeditare, quas ne in praestantissima quidem *Cel. Breitingeri* editione LXX Interpretum reperire licet. Cui rei ut fidem faciamus, quasdam hic in medium asserre non erit alienum. *Jobi Cap. XXX, comm. 9, Alexandrinus* habet *ὡνὶ δὲ κηθάρα αὐτῶν ἐγὼ εἶμι, & Vaticanus*, transpositis tantum vocibus, *ὡνὶ δὲ κηθάρα ἐγὼ εἶμι αὐτῶν*, a quibus ita recedit *Codex Bessarionis*, ut pro *ἐγὼ εἶμι* legat *ἐγενόμην*, hoc modo, *ὡνὶ δὲ κηθάρα αὐτῶν ἐγενόμην. Comm. 13* uterque vulgatus *Codex* exhibet *βέλεσιν αὐτῆ κατηκόντιτέ με*, pro quo hic ineditus, *βίλεσιν γὰρ αὐτῆ κ. τ. λ. Comm. 18* uterque pariter *περίσχε με*, pro quo hic *Codex* *περίσχον με. Comm. 25* pro *ἀδυνάτω ἔκλαυσα* in nostro est *δυνατῶ ἔκλαυσα.* *Proverbiorum Capite I* haec fere lectiones ab *Alexandrino & Vaticano* diversae reperiuntur. *Comm. 6* pro *καὶ αἰνίγματα.* *Αρχή*, hic est, *καὶ αἰνίγματα αὐτῶν. Αρχή.* *Comm. 7* pro *φόβος κυρίου* est *φόβος θεῶ, & pro εἰς θεὸν ἀρχή*, quod habet *Vaticanus*, vel *ἀρετὴ* secundum *Alexandrinum*, *αἰδθήσεως*, in nostro est, *εἰς θεὸν φόβος κυρίου ἀρχὴ αἰδθήσεως.* *Comm. 12* pro *ἐκ γῆς* exhibet *ἀπὸ τῆς γῆς.* *Comm. 14* pro *τὸν δὲ σὸν κληρον βάλε ἐν ἡμῖν*, hic est, *τὸν δὲ κληρὸν σὺ βάλε ἐν μέσῳ ἡμῶν.* Verba autem hujus *commutis* ultima, *καὶ μαρσιππιον ἐν γενιθήτω ἡμῖν*, plane non agnosceat. *Comm. 15* pro *μὴ προσηυθῆς* legit, *ὡς μὲ μὴ προσηυθῆς*, quod ad Ebraicum pro-

xime

xime accedit. Ibidem pro ἐκ τῶν τριῶν αὐτῶν habet ἐκ τῶν πεδῶν αὐτῶν. *Comm.* 16, quod in editione Romana plane deest, ita a Cel. *Breitingero* editum est: οἱ γὰρ πόδες αὐτῶν εἰς κακίαν τρέχουσι, καὶ ταχίνοι ἴσι τῆ ἐκχέαι αἶμα, a quibus non parum discrepat Codex noster, hæc verba continens: εἰ γὰρ πόδες αὐτῶν εἰς κακίαν τρέχουσι, καὶ ταλαιπωρία ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν, καὶ ὁδὸν εἰρήνης ἐκ ἔγνωσαν. *Comm.* 18 pro αὐτοὶ γὰρ οἱ Φόινε μετρίχοντες habet αὐτοὶ γὰρ αἰματῶν μετρίχοντες. *Comm.* 20 pro καταχαρῆμαι δὲ ἠνίκα ἂν ἔρχηται, vel, ut *Vaticanus*, ἠνίκα ἔρχηται, hic Codex dat, ἐπιχαρῆμαι δὲ ἠνίκα ἂν ἐπέρχηται. *Comm.* 29 pro τὸν δὲ λόγον Κυρίου Cel. *Breitingerus* ex conjectura exprimi curavit, τὸν δὲ φόβον Κυρίου. Atque ita diferte habet Codex, de quo agimus, *Bessarionis*, quod ipsam præstantiam Codicis satis superque testatur. *Comm.* 31 pro τῆς αὐτῶν ἀτυθείας idem Codex exhibet τῆς αὐτῶν ἐπιθυμίας. In *Ecclesiastice Capite primo* has animadvertimus varietates legendi, ab utroque scilicet Codice, ex quo Græca antiqui Fœderis interpretatio prodit, discrepantes. *Comm.* 7 pro εἰς τόπον secundum *Alexandrinum*, vel εἰς τὸν τόπον secundum *Vaticanium*, hic Codex legit πρὸς τόπον. *Comm.* 8 pro καὶ ἔ πληρωθήσεται ἕς ἀπὸ ἀκροάσεως, legitur, καὶ ἔ πληθήσεται ἕς τῆ ἀκῆσαι. *Comm.* 10 pro ἤδη γέγονεν refert αὐτὸ ἤδη γέγενεν. *Comm.* 11 Cel. *Breitingerus* pro ἐκ ἕται αὐτῶν μνήμη, quod habet uterque, reposuit ex ingenio, ἐκ ἕται αὐτοῖς μνήμη. Hic iterum Viri doctissimi conjectura, quod ad αὐτοῖς attinet, a Codice nostro firmatur, qui legit, ἐκ ἕται αὐτοῖς μνήμη. *Comm.* 13 pro ὑπὸ τὸν ἄρανὸν in Codice est ὑπὸ τὸν ἥλιον. *Comm.* 16 pro τῷ λέγειν habet ἐν τῷ λέγειν, & pro ἐπὶ πᾶσιν, οἱ ἐγένοντο, refert, ἐπὶ πᾶσιν τοῖς γενομένοις. *Cantici Cantecorum Caput I* has continet variantes lectiones. *Comm.* 4 pro δραμῆμον hic est δραμῆμοθα, & pro ὑπὲρ εἶνον Codex legit ὑπὲρ ἥλιον. *Comm.* 9 pro αἰμώσα σε hic legitur ἑμοίως δὲ. *Comm.* 13 pro τῆς τσακτῆς ἀδελφιδῆς με ἔμοι, ἀναμίσειον τῶν ματῶν με in Codice reperitur τῆς τσακτῆς ἀδελφιδῆς με ἔμοι, ἀναμίσειον τῶν μαθητῶν με. Sic etiam *comm.* 14 & 16 pro ἀδελφιδῆς με est ἀδελφιδῆς με. *Comm.* 17 pro δοκεὶ οἴκων legitur δοκεὶ οἴκω. *Abdiæ Capite I*

hæc legendi diversitas observatur. *Comm.* 5 pro ἐπιφυλλίδας habet ἐπιφυλλίδας, & in verbo ὑπελείποντο consentit *Alexandrinus*, pro quo habet *Vaticanus* ἐπελείποντο. *Comm.* 7 & 8 habemus ἄνδρες εἰρηνικοί σε ἔθικαν ἐνεδρα ὑποκάτω σε, ἢ ἔσι σοι σύνεσις ἐν αὐτοῖς, (vel, ut *Vaticanus*, ἢ ἔσι σύνεσις αὐτοῖς,) ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, (pro quo iterum *Vaticanus*, ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ) λέγει Κύριος, ἀπολῶ σοφῆς ἐκ τῆς Ἰδαμείας. In his non parum dissentit Codex, qui ita legit: ἄνδρες εἰρηνικοί σε, εἰ συνεδριόντες σοι ἔθικαν ἐνεδρα ὑποκάτω σε, ἢ ἔσιν σύνεσις ἐν αὐτῶ. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, λέγει κύριος, ἀπολέσω σοφῆς ἐκ γῆς Ἰδαμείας. *Comm.* 11 pro σύ ἦς ὡς εἰς ἐξ αὐτῶν, hic legitur, ὑμεῖς ἐπὶ ὡς εἰς ἐξ αὐτῶν. *Comm.* 14 pro διεκβολαῖς αὐτῶν habet διεκβολαῖς αὐτῶ, & pro ἀνασσωζομένους αὐτῶν refert ἀνασσωζομένους αὐτῶ. *Comm.* 17 pro ἔσαι ἢ σωτηρία reperimus ἔσαι ἢ κατοικία. *Comm.* 18 pro ὁ δὲ οἶκος Ἰωσήφ Φλοζ, ὁ δὲ οἶκος Ἡσαῦ εἰς καλαίμην, Codex legit, καὶ ὁ οἶκος Ἰωσήφ, ὁ δὲ οἶκος Ἡσαῦ ὡς καλαίμην. Ibidem pro διότι κύριος ἐλάλησε exhibet ὅτι κύριος ἐλάλησε. *Comm.* 19 pro τῇ Σεφηλαῖ in Codice est τῇ Σεφηλαί. *Comm.* 20 *Vaticanus* & *Alexandrinus* habent ἕως Εφραθαί; quibus relictis, *Cel. Breitingerus* dedit ἕως Σεφραθαί. A quibus omnibus discrepat Codex Venetus, qui præfert ἕως Βηθλεέμ. *Comm.* 21 pro τὸ ὄρος Ἡσαῦ est τὸ ὄρος τὸ Ἡσαῦ. Ex *Jona Capite primo* sequentes excerpere lectiones juvabit. *Comm.* 4 pro καὶ Κύριος hic habemus ὁ δὲ κύριος. *Comm.* 5 pro Ἰωνᾶς δὲ legimus καὶ Ἰωνᾶς. *Comm.* 9 pro ἐγὼ σέβομαι reperimus ἐγὼ φοβῶμαι. *Comm.* 11 pro κοπάτες est κοπιᾶτες. In *Capite primo Michæ comm.* 1 pro Μωραθει, quod habuerunt Codices, *Cel. Breitingerus* edidit Μωρατθει. At Codex hic legit τὸν Μωραθίτην, & ibidem pro ὑπὲρ ὧν habet περὶ ὧν. *Comm.* 2 pro λαοὶ λόγους animadvertimus λαοὶ πάντες, & pro κύριος κύριος habemus κύριος ὁ Θεός. *Comm.* 3 pro ἰδὲ κύριος Codex legit ἰδὲ κύριος κύριος. *Comm.* 7 pro τὰ μισθώματα est τὰ μιάσματα. *Comm.* 8 pro θρηήτες reperitur πενθήτες. *Comm.* 12 pro κατοικίση habemus κατοικῆσα. *Zacharie Capite primo comm.* 16 pro ἐπιστρέψω ἐπὶ Ἰερουσαλήμ in Codice legimus ἐπιστρέψατε ἐπὶ Ἰερουσαλήμ, & *comm.* 21 pro τὰ ἐπαρῶμενα reperimus τὰ ἐπερχόμενα. *Malachie*

Capite

Capite primo comm. 7 Cel. *Breitingerus* edidit καὶ τὰ ἐπιτιθέμενα βρώματα ἐξεδενώμένα. *Vaticana* editio habet καὶ τὰ ἐπιτιθέμενα ἐξεδενώτατε. Hæc non tantum alia ratione Codex exhibet, sed & nonnulla addit hunc in modum: καὶ τὰ ἐπιτιθέμενα βρώματα ἐξεδένωται, καὶ εἶπατε ταῦτα ἐκ κακοπαθείας ἐσίν, καὶ ἐξεφύσησα αὐτά, λέγει κύριος παντοκράτωρ. *Comm. 8* pro eis θυσίας ἔ κακὸν Codex exhibet eis θυσίαν ἔ κακὸν, & ibidem pro ἔ κακὸν iterum ἔ καλόν. *Comm. 13* pro καὶ ἐάν φέρετε τὴν θυσίαν hic cernitur καὶ προσεφέρετε τὴν θυσίαν. *Esaiæ Capite primo comm. 4* Cel. *Breitingerus* ex ingenio, ni fallimur, supplevit ἀπηλλοτριώθησαν εἰς τὰ ὀπίσω. Quibus suffragatur quodam modo Codex noster, qui habet, ἠλλοτριώθησαν ὀπίσω. *Comm. 13* pro βδέλυγμά μοι ἐσὶ τὰς νεμηνίας, hic legimus, βδέλυγμά με ἐσὶν τὰς νεομηνίας. *Comm. 15* ὅταν ἐκτείνητε τὰς χεῖρας ἀπὸ σφραγίδος τῶν ὀφθαλμῶν με ἀφ' ὑμῶν legit *Vaticanus*. At Cel. *Breitingerus* ita edidit: ὅταν τὰς χεῖρας ἐκτείνητε πρὸς με, ἀπὸ σφραγίδος τῶν ὀφθαλμῶν με ἀφ' ὑμῶν. Ab utroque hic recedit Codex, cujus hæc est lectio: ὅταν τὰς χεῖρας ὑμῶν ἐκτείνητε πρὸς με, ἀπὸ σφραγίδος τοῦ προσώπου με ἀφ' ὑμῶν. Idem Codex eodem commate pro τὴν δέησιν refert τὴν δέησιν ὑμῶν. *Comm. 27* pro ἡ αἰχμαλωσία αὐτῆς, καὶ μετὰ ἐλεημοσύνης, Codex legit, ἡ αἰχμαλωσία αὐτῆς, καὶ ἡ ἀποστροφὴ καὶ μετὰ ἐλεημοσύνης. *Comm. 29* pro ἠβέλωντο est ἐβέλωντο. Sed hæc quidem sufficere possunt præstantiæ Codicis in hac Bibliotheca primi ostendendæ, cujus lectiones non omnino indignæ sunt, quæ in nova LXX Interpretum editione diligentius consulantur. Sacris igitur literis relictis, ad externos Scriptores pergimus, & varias lectiones Codicis 364, qui est Seculi XV, & cum aliis *Herodoti Libros novem* complectitur, perlustrabimus, quæ non tantum vulgatam, & a *Gronovio* relictam, *Herodoti* lectionem stabiliunt, sed & nonnulla habent, a *Gronovio* plane non commemorata. Sic *pag. 2 vers. 12* vulgata antea legit ἴσα σφ: πρὸς ἴσα, a Codice hoc confirmata, pro qua ex Codice suo *Gronovius* dedit ἴσα πρὸς ἴσα σφ. *Vers. 16* vulgarem lectionem τῶν εἶκεν ἀπίκοντο probat Codex, qua relicta, *Gronoviana* editio exhibet τῶν εἶκεν ἀπίκατο. *Vers. 34*

rursus cum vulgata Codex legit, *μέχρι μὲν ὧν τέτων*, pro eo, quod Gronovius reddidit, *μέχρι μὲν ὧν τέτα*. *Vers. 39 ἔργον νομίζεν εἶναι* etiam in hoc Codice existat, & ita ante Gronovium Salvinius legit, qui nobis ordinem, ut scribit ipse, pristinum dedit, *νομίζεν ἔργον εἶναι*. *Vers. 44 vulgatum ἀρπαζομένων*, a Gronovio in *ἀρπαζομένων* mutatum, Codex hic quoque tuetur. *Pag. 3 vers. 6 Πέρσησιν ἔτω* cum editis, pro quo Gronovius *Πέρσησι ἔτως*, & mox *vers. 7 λέγασιν ἄγειν*, non tantum Codex illud vulgatum *λέγασιν*, ut etiam sequenti *versu 13*, defendit, sed & pro *ἀγαγεῖν*, quod Gronovius & alii referunt, legit *ἄγειν*. *Pag. 3 vers. 44 & 47 Ἄργων* cum vulgatis exhibet, pro quo ex suo Gronovius *Ἄργων*. *Pag. 4 vers. 2 τέτων δὲ Ἡρακλεΐδαι*, adverbativam particulam tuetur, a Gronovio proscriptam. Contra *vers. 4* particulas omittit, iterum cum vulgatis *ἀρξάντες ἐπὶ δύο καὶ*, pro quibus Gronovianus Codex exhibuit *ἀρξάντες μὲν ἐπὶ δύο τε καὶ*. *Vers. 21 ὁ δὲ μέγα ἀμβώσας*, pro Gronoviano, ὁ δ' *ἀμβώσας*, qui, licet Herodotus semel atque iterum usurpaverit *μέγα ἀμβώσας*, tamen maluit lectionem Codicis sui contextui inferre, quam vulgatam, a nostro Codice quoque stabilitam, retinere. *Vers. 27 τινὰ σκοπέειν*, pro Gronoviano *σκοπέειν τινὰ*, & *vers. 34 περῶμενον λόγον*, pro *περῶμενον λέγω λόγον*, quod Gronovio placuit. *Vers. 40 κοιτῶνα*, Gronovius autem dedit *κοῖτον*. Sed hic pro *κοῖτον* sine dubio in Gronoviana legendum *κοῖτην*, quod Codices & Dionysius, teste Galco, referunt, nec ipse Gronovius declarat, se *κοῖτον* ex Codice suo aut aliunde repetiisse, nobisque reddidisse. *Vers. 46 μὴ σε ὄψεται ἰόντα διὰ τῶν θυρέων*, ubi Gronovio, praeunte Codice, visum est mitius, *μὴ ἐσέψεται ἰόντα διὰ θυρέων*. *Vers. 49 ἐδόκειν*, pro Gronoviano *ἰδόκειν*. Et sic in plerisque locis hic Codex lectionem, a Gronovio, suum Codicem deamante, relictam, etiam atque etiam confirmat, certissimo argumento, id quod a Viris doctissimis jam demonstratum est, non sane fuisse, quod Gronovius, unico fretus Codice, vulgatam Herodoti lectionem sine ratione idonea relinqueret. Sed, ne actum jam agere videamur, his, quae vulgatam Herodoti scripturam contra Gronovii mutationes defendunt, missis, ad eas nobis potius pergendum esse existimamus

lectio-

lectiones, quas hic Codex & a *Gronoviana*, & aliis editionibus, diversas nobis demonstrat. *Pag. 2 vers. 6* pro vulgata adhuc, *ἐκ ὧν Ἕλληνες*, Codex refert *ἐκ ὧν Φοίνικες*, quæ vero varietas non tam *Herodoti* menti, quam scribentis potius errori, tribuenda videtur, qui, mentione Phœnicum paulo ante facta deceptus, Phœnicas existimavit de Ius in Ægyptum adventu non convenire cum Persis, cum *Herodotus* id de Græcis, suffragantibus aliis scriptoribus, commemoret. *Pag. 2 vers. 30* vulgati libri legunt, *τὸς δὲ, περισσομένῳ ταῦτα, προσέφραεν εἰς Μηδείης τὴν ἀρπαγὴν*. Quam lectionem a conjectura *Stephani* *περισσομένοις*, *Galeo* quodam modo se probante, *Gronovius* defendit. Sed ab utraque lectione hic Codex Venetus discedit, qui dat *τὸς δὲ περισσομένους*, id quod narrationis series non admittere videtur. *Pag. 3 vers. 17* *προβήσομαι ἐς τὸ πρόσω τῆ λέγῃ* cum aliis legit *Gronovius*, a quibus, omissis duabus voculis, Codex hic differt, legendo, *προβήσομαι πρόσω τῆ λέγῃ*. Quo jure, quave fide, hæc sit lectionis varietas censenda, quilibet per se Lector intelliget. Ibidem *vers. 44 seq.* sine ulla varietate vocum adhuc legitimus, *Ἀργῶν μὲν γὰρ ὁ Νίνω, τῆ Βήλω, τῆ Ἀλικαίῃ, πρῶτος Ἡρακλειδέων, βασιλεὺς ἐγένετο Σαρδίων*. Quæ verba, quoniam *Ninum*, *Beli* filium, unum ex posteris *Herculis* fuisse, qui annis mille ut minimum *Nino*, *Beli* filio, posterior fuit, commemorant, *Scaligerum* adduxerunt, ut, aut *Herodoti*, aut librariorum, errorem iis inesse, contenderet; quem vero *Gronovius* reliquit, ratus, sicut *Ninos* & *Belos* iactavit Asia major, ita videri & suos narravisse Lydiam. Sed his omnibus facili negotio superfedere possumus, si recipimus lectionem Codicis hujus, qui, omissis plane nominibus *Nini*, *Beli*, & *Alcæi*, ita verba exhibet: *Ἀργῶν μὲν γὰρ πρῶτος Ἡρακλειδέων βασιλεὺς ἐγένετο Σαρδίων*. Sic & *Scaligero* fiet satis, nec *Ninis* ac *Belis* Lydiæ, a *Gronovio* laudatis, opus erit. *Pag. 4 vers. 39* vulgatæ habent, *ἐγὼ γὰρ σὺ ἐς τὸ εὐκῆμαι ἐν τῷ κοιμώμεθα, ἐπιθετῆς ἀνοιγομένης θύρης θήσω*, nec quisquam adhuc scripturæ hic varietatem deprehendit, quam tamen hic Codex suppeditat, quando pro ultimo verbo *θήσω* refert *ἐθήσω*. Et sane, si rem, de qua agitur, diligentius consideramus, hoc verbum aliquid habere videtur, quod

quod se magis vulgari probet. *Pag. 5 vers. 49* τῆ καὶ Αρχι-
 λογος ὁ Πάριος, κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γεόμενος, ἐν ἰάμβω
 τριμέτρῳ ἐπεμνήθη. Sic *Gronovius*, & reliqui. Sed Codex, omis-
 sis non paucis verbis, ita: τῆ καὶ Αρχιλογος ὁ Πάριος ἐπεμνή-
 θη, vulgata quidem haud melius. *Pag. 6 vers. 45 seq.* ἀπικέατο ἐς
 τὴν Ἀσίην, καὶ Σάρδεις πλὴν τῆς αἰκροπέλιος εἶλον. Ita editi sine
 ulla varietatis mentione. At Codex hic primo pro ἀπικέατο legit
 ἀπικόντο, deinde pro πλὴν exhibet πρὶν. Ubi illud quidem
 parum refert, hoc alienam omnino sententiam a vulgatis pro-
 fert, *Cimmerios scilicet Sardes prius, quam arcem, cepisse*. Sed
 vulgatam bene se habere putamus, quamvis paulo post πρὶν
 cum indicativo, πρὶν ἢ τὸν χρόνον τῆς Ἀθηναίης ἀνορθώσασσι, in
 vulgatis ante *Gronovium*, qui ἀνορθώσασσι dedit, a Codice hoc
 ipso firmatis, etiam occurrat. *Pag. 8 vers. 9* pro πυθέμενον Co-
 dex legit πειθέμενον, & *vers. 24* pro προηγέρευε dat προσηγό-
 ρευσ, ac *vers. 30* pro ἀπῆλθεν habet ὑπῆλθεν, quae vero va-
 rietas hic exigui esse momenti videtur. *Pag. 11 vers. 31* con-
 stans est lectio, quod scimus, νῦν ὡν ἡμέρες ἐπέειρεδαί με ἐπῆλ-
 θέ σε, nisi quod hic demum Codex sic habet: ἡμέρες ἐπέειρεδαί
 μοι ἐπῆλθεν. Utraque lectio responder constructioni ἐπέειρεδαί,
 qua modo cum Dativo, modo cum Accusativo, in Autoribus re-
 peritur; vulgata tamen *Herodoto* non indigna videtur. *Pag. 12*
vers. 40 sic editi legunt: ὁ δὲ εἶπεν, ὦ Κροῖσε, ἐπιστάμενόν με τὸ
 θεῖον πᾶν ἐὸν φθονερὸν τε καὶ ταρχαῖδες, ἐπειρωτᾶς ἀνδρω-
 πῆδων πρηγμαίων πέρι. Hic Codex, qui in hac ipsa Bibliotheca
 est numero 365, mirum quantum ab editis discedit, legen-
 do, ὁ δὲ εἶπεν, ὦ Κροῖσε, ἐπιστάμενόν με τὸ ἀνδρώπιον πᾶν ἐ-
 δαμάει ἐν ταυτῷ μένον, ἐπειρωτᾶς τῶν σεαυτῆ πρηγμαίων
 πέρι, quae sane lectio *Craesi* studio, *Solonem* interrogandi de suis
 maxime rebus, apprime convenit, nec vulgata tamen, veterum
 opinione de invidia Deorum stabilita, facile movenda. Idem
 Codex etiam continet *Thucydidis Libros VIII*; cuius Specimen
 has fere nobis varietates legendi suppeditat, quas in *Cel. Dukeri*
 editione omnium praestantissima nondum annotatas deprehen-
 dimus. *Pag. 3 vers. 17* sine ulla varietate legitur, παρ' Ἀθη-
 ναίης οἱ δυνατώτατοι, ἐς βίβραον ὄν, ἀνεχώρηεν, ubi Codicis
 hujus

huius lectio paulo est diversa, παρ' Ἀθηναίους διὰ ταῦτα εἰ δυνατώτατοι κ. τ. λ. Sed scribendi generi Thucydideo magis convenire existimamus vulgatam, nec hic τὰ διὰ ταῦτα ita necessarium, ut sine eo sententia Autoris percipi non possit. Pag. 4 vers. 15 pro vulgato ἠδύνατο hic legitur ἐδύνατο, atque sic etiam pag. 5 vers. 13, & pag. 14 vers. 23. Sic pag. 8 vers. 5 pro καθαιρομένης ὑπὸ Ἀθηναίων ἐν τῷδε πῶ πολέμῳ, Codex hic exhibet, καθαιρουμένης ἐν τῷδε, quæ sane lectio a vulgata multum discrepat, ita tamen, ut palmam ipsi vix præripere videatur. Ibidem vers. 13 in verbis καὶ τὰς πόλεις αὐτῶν κατὰκίσει nullam reperimus varietatem a Cel. Dukero aliisque traditam. Quando igitur Codex noster pro πόλεις habet πόλεις, id eo magis attendi debet, quod sensum commodum præbet. Quo ipso tamen vulgatam nolumus rejectam. Pag. 9 vers. 20 pro vulgata lectione ἦν, ἢ εἴ τι in Codice invenitur ἦ, καὶ εἴ τι. Pag. 11 vers. 16 editio Cel. Dukeri habet ὡς ἐπιπολὺ ἐγένοντο, ubi alii Codices ὡς ἐπὶ πολὺ ἐγένοντο, alii ὡς ἐπιπολὺ ἐγένοντο, alii ἐγένοντο. Sed ab his in verbo discedit Codex, qui habet ὡς ἐπιτοπολὺ ἐγέντο. Qui vero verbi numerus non respondet nomini adjecto plurali ζάσεις. Pag. 13 vers. 5 pro ἐλίγαις, quod Dukerus exprimendum etiam curavit, quidam Codices legunt ἐλίγαι, qui tamen non magis audiendi sunt, quam hic Codex noster, qui ἐλίγοις exhibet. Et, quando ibidem pro πεντηκοντόροις refert πεντηκοντέροις, pariter improbandus videtur, quamvis ita etiam legat vers. 13 ejusdem pagina. Sed longius huic Codici immorari non licet, quem tamen in plerisque legendi rationibus cum Codice convenire observavimus Clarendoniano, quem jam Hudsonus ad Thucydidem comparavit. Ceterum dignus omnino etiam fuisset Codex 389 Herodiani, cujus variae lectiones, speciminis loco hic exhibitæ, a nobis data opera perlustrarentur. Cum eas autem tanti momenti judicavimus, ut de iisdem pro iustituti nostri ratione breviter agi vix possit, satius duximus has cuique harum literarum studioso in ipso Opere cognoscendas relinquere, sperantes, Lectores nostros his speciminibus acquieturos esse.

Urbe condita Libri, qui supersunt, XXXV, cum Supplementis FREINSHEMII. Recensuit, & Notis illustravit, J. B. L. CREVIER.

Tomus II, III, & IV.

Parisiis, apud Gabr. Franc. Quillau & Jo. de Saint, 1736,
1738, & 1739, 4 maj.

T. II Alph. 4 plag. 2, T. III Alph. 4 plag. 10, T. IV Alph. 4 plag. 9

Quo consilio *Crevierius*, Vir Clarissimus, in concinnanda nova *Livii* editione usus sit, quæque sit Operis ipsius ratio, dictum est a nobis tum, cum de *primo Volumine* exponeremus. Itaque nihil nisi hoc nobis jam agendum videtur, cum de his *tribus Voluminibus* dicere instituimus, ut primo, quos quisque *Tomus Libros* complectatur, indicemus, deinde ex observationibus Viri Cl. quædam proferamus, quæ Lectoribus non injucunda putemus fore.

Et *Tomus secundus* quidem continet *Supplementa Libri XVI*, cum quatuor sequentibus, & *Livianos Libros decem*; *Tomus tertius* reliquos omnes habet, & *quartus* demique *Supplementa Freinsheimiana* reliqua omnia. *Lib. XXI Cap. 10 Annibal* ait: *Vicerunt ergo Dii hominesque, & id, de quo verbis ambigebatur, uter populus fœdus rupisset, eventus belli, velut æquus julex, unde jus stabat, ei victoriam dedit.* Sensus patet, sed constructio verborum grammatica non satis constat. *Crevierius* dicit, posse quidem verba sic ordinari: *Eventus belli . . . ei victoriam dedit, unde jus stabat, id de quo (seu, quæ res erat, de qua) verbis ambigebatur, nempe uter populus fœdus rupisset.* Sed veretur, ne, dum velimus *Livium* grammaticè loqui, parum Latine loquentem faciamus. Itaque potius credit, eum brevitate & licentia quadam, extra consuetas leges evagante, captasse elegantiam, & quando sensus satis apertus erat, parum curasse de verbis ad grammaticam normam exigendis. Sic ergo hunc locum exponendum ducit: *id, de quo verbis ambigebatur, nempe, uter populus fœdus rupisset, eventus belli decrevit, dum ei, unde jus stabat, victoriam dedit.* Non ablimilem anomaliam invenit *Lib. XXVIII Cap. 27. Eodem Libro Cap. 44 Annibal*, in concione ad milites ostendens, quæ indignitas sit, quod
Romani

Romani imperiose & inique terminos Pœnis ponant, sic inquit: *Ne transferis Iberum; ne quid rei tibi sit cum Saguntinis. Ad Iberum est Saguntum; nusquam te vestigio moveris.* Cl. *Crevierius* hic vult legi: *cis Iberum*, quod Saguntum, ipso *Livio* teste, ultra Iberum situm est, ita ut hæc verba: *cis Iberum est Saguntum*, dicantur e persona Pœnorum, seu *Annibalis*, & responsionis loco subjiçiantur verbis, e persona Romanorum ante prolatis: *ne transferis Iberum.* Romanus vetat transire Iberum, *Annibal* respondet: atqui ego Iberum non transeo, cum Saguntum oppugno. Nam, si species ulteriorem Hispaniam & Pœnos, *cis Iberum est Saguntum.* Romanus deinde, nihil motus hac responsione, subjiçit pro imperio: *nusquam te vestigio moveris.* Hæc levi mutatione facta, etiam illud commodi consequi *Vir Clariss.* dicit, quod sic intelligatur, quomodo Romani eos, quos ipsi statuerint, terminos non observent, quod ipsis jam ante ab *Annibale* obiectum est. Terminum statuunt Iberum, & illum tamen ipsum transcendunt, dum Pœnos vetant urbem cis Iberum respectu Pœnorum sitam oppugnare. *Lib. XXII Cap. 38 init.* hæserunt viri doctissimi. *Livii* verba hæc sunt: *Milites tunc, quod nunquam antea factum erat, jurejurando ab Tribunis militum adacti, jussu Consulum conventuros, neque injussu abituros.* Hæsit olim *Lipsius*, neque se satis expedire potuit. Postea *Schælius* ad *Hyginum* de hoc loco egit. Existimat nempe, jam antea duplex jusjurandum præstitum: primum statim a delectu, cum juberentur milites jurare, se jussu Consulum conventuros, nec injussu abituros; alterum spontaneum, cum centuriarentur, aut decuriarentur. In utroque jurejurando hoc tempore aliquid mutatum *Schælius* dicit, & non solum priori, sed & posteriori spontaneo, aliud jusjurandum substitutum, in quod legitime, a Tribunis militum adacti, jurarent. Sed, hac sumpta sententia, necesse est, ut reliqua illa verba: *nam ad eam diem nil præter sacramentum fuerat*, superioribus verbis adjungenda, & a sequentibus separanda sint. Huic autem sententiæ illud, recte judicante *Cel. Drakenborchio*, obstat, quod post hæc tempora adhuc sacramenti militaris mentio sit. Cl. *Crevierius* primo ostendit, sacramentum illud militum, jussu Consulum conventuros,

turos, neque injussu abituros, antiquissimum esse, ejusque formulam jam *Lib. III Cap. 20* a *Livio* commemoratam; deinde non intelligi, quid sibi velint verba hæc: *nam ad eam diem nihil præter sacramentum fuerat*; neque enim ostendi posse, quodnam sit illud sacramentum, ab antiqua illa formula diversum; denique, cum primo dicantur milites jurejurando a Tribunis militum adacti, *jussu Consulum conventuros, neque injussu abituros*, postea, ubi res explicatur, aliud jusjurandum subjici, nempe *fuga & formidinis ergo non abituros*. His tot incommodis ita medetur *Crevierius*, ut illa verba: *jussu abituros*, male trajecta a librariis, justo loco ponat, nempe post verba: *sacramentum fuerat*. Præterea in sequentibus pro *& ubi* reponendum censet *at ubi*. Ita omnia clara & expedita videntur. Olim nihil exigebatur a militibus, nisi soleant illud militiæ sacramentum *jussu Consulum* &c. At ipsi milites, ubi in decurias centuriasque redacti erant, voluntario jurejurando se obstringebant, se fuga & formidinis causâ non abituros. Atque hoc est, illud jusjurandum, quod ab hoc tempore, hoc est, a Consulatu *Terentii Varronis & Æmilii Pauli*, e voluntario necessarium factum est, exigentibus id Tribunis militum. Jam, quod ad illam transpositionem attinet, ea etiam *Cel. Drakenborchio* in mentem venit, & non modo his Autoribus, sed sua sponte, se commendat. *Lib. XXV Cap. 18*, ubi de comitiis, quibus proconsulare in Hispania imperium *P. Scipioni* delatum est, agitur, hæc verba occurrunt: *Jussi deinde inire confusum suffragium, ad unum omnes, non centurie modo, sed etiam homines, P. Scipioni imperium esse in Hispania jussurunt*. *J. F. Gronovius* in omnibus libris veteribus dixit esse *confusum suffragium*, aut *confusum*. Id quoniam non concoquebatur, quia, antequam inihant suffragia, jubebantur discedere, ne consuli essent, *Aldus confusum* omisit, quem *Junta & Prodenius* secuti sunt. Una vetus, nempe *Cumpani*, habebat *confessum*. Quæsitum igitur, quid sit *confusum suffragium*. *Cl. Crevierius* ait, posse aliquem intelligere suffragium, per clamorem universæ concionis latum. Sed, ei sententiæ repugnare, dicit; illud, quod paulo post *omnes centurie* imperium *Scipioni* dedisse dicantur, unde intelligatur, suffragia centuriatim data. Repugnare

gnare sane etiam illud, quod *jubentur inire suffragium*. Non autem est verosimile, Consules jussisse per clamorem confutum creare Proconsulem, cum clamor universi populi sit potius ab impetu quodam populi & voluntarius, ut fuit in comitiis iis, quibus *Cicero* Consul creatus est. Jam, quod *Gronovius* conjicit, *confusum suffragium* esse comitorum non centuriatorum, ei repugnare Vir Clariss. dicit, quod centuriarum diserta mentio fiat, & hæc interpretatio nulla veterum autoritate nititur. Quod si quis ita interpretetur, hic *confusa suffragia*, ut *Manutius* apud *Ciceronem* *confusionem suffragiorum*, ut centuriatim quidem data sint, sed non numerata centuriatim, sed omnia omnium centuriarum suffragia in unum confusa & dein numerata, nullum hujus quoque sententiæ testimonium e veteribus asserri posse. Sane, si vel maxime ejusmodi quid ambitus coercendi causa constitui voluit aliquando *Sulpicius*, ut e *Cicerone* constat, tamen id nunquam lege constitutum est, neque Consulibus licuit id jubere sine lege. In hac difficultate Vir Clariss. decurrit eo, ut aut *confusum* omittatur, aut cum *Campano confestim* legatur. Sed illud magis ei placet, cum verbum *confusum* neque in *Puteano* Codice, neque in optimo regio, compareat. *Lib. XXVII Cap. 2* narrat *Livius*, quomodo *Marcellus*, nihil territus clade, quam ab *Annibale* *Cn. Fulvius* ad *Merdeoneam* acceperat, adversus *Annibalem* pugnavit. In ejus pugne descriptione duo sunt, quæ lectorem satis attentum morari possunt. Primo enim non potest intelligi, quæ in hoc prælio prima acies Romanorum fuerit. Nam primæ aciei dicitur successisse prima legio & dextra ala, primæ autem legioni secunda legio & sinistra ala. Itaque distinguitur prima acies a duabus legionibus & alis. Atqui *Marcellus* nihil habebat præter has duas legiones & alas & lociorum duas alas. Deinde, cum prima acies usque ad noctem pugnavit dicitur, haud sane tempus fuisse primæ legioni videretur ad resistendum. Porro ita, ut neutro inclinata acies steterit, & postea alteri legioni & alæ ad novum & atrox prælium, cui nox finem imposuerit. Hanc utramque difficultatem Vir Clariss. tolli censet transpositione. Sic igitur hunc locum legi posse putat: *Diu pugna neutro in-*

110 NOVA ACTA ERUDITORUM

clinata stetit. Ab hora tertia cum ad noctem extendissent pugnam, fessæque pugnando primæ acies essent, quæ quidem primæ acies erant ab Romanis, id est, ab Romanorum parte, prima legio & dextra ala ab Annibale, id est, ab Annibalis parte, Hispani milites & funditor Balearis & elephanti quoque, qui, commisso jam certamine, in prælium alii fuerant; primæ legioni tertia, & dextera ala sinistra, subit, & apud hostes integri a fessis pugnam acceperunt. Similem medicinam pluribus locis Livii Viri Clarissimi adhibuit, atque, ut adhuc unum commemoremus, eodem Libro Cap. 36 verba Livii hæc sunt: *Eo anno primum, ex quo Annibal in Italiam venisset; Comitium tectum esse, memoria prodicuntur est, & ludos R. &c.* Nempe illa verba, *primum, ex quo venisset*, non satis apta sunt huic loco. Videntur enim indicare, comitium aliquoties tectum esse, ex quo Annibal in Italiam venisset, quod esse absurdum, omnes vident. Sed ea verba egregie videntur Viro Clarissimo convenire in id, quod ante narratum est de lustro condito; ut sic legatur: *Eo anno primum, ex quo Annibal in Italiam venisset, lustrum conditum est a Censoribus - - - quem qui ante bellum fuerat. Hoc eodem anno & comitium tectum esse &c.* Nam primum sane tum ab orto bello Punico in Italia lustrum conditum est. Ter quidem Censores creati, at superiores Censores, hoc est, secunda & prima vice creati, lustrum non condidere. Vid. Lib. XXIV Cap. 11, 43, Lib. XXVII Cap. 6. Saepè etiam Vir Clarissimus non modo lucem, verum etiam medicinam, Livio attulit e Polybio. Posterioris generis exemplum hoc esto. Lib. XXXIII Cap. 35 dicuntur Aetolorum principes *interquesti* esse, quod non idem apud Romanorum adversus suam gentem esset post victoriam, qui in bello fuisset. Hic vocabulum *interquesti*, quod primus Livio intulit e primigenio exemplo Celenius, offendit insolentia sua. Itaque Vir Clarissimus cum apud Polybium reperisset de eadem re hæc verba: τῶν μὲν πρώτως καὶ πολιτικῶς μεμψιμοιρούντων αὐτοῖς, legendum censet potius: *teniter questi sunt*. Cui emendationi, egregie sane & valde probabili, propter Polybianam auctoritatem, illud quoque majorem fidem facit, quod Livius statim subjicit: *alii ferocius incensurunt, exprobraruntque;* quod sane manifeste opponitur principi-

principibus, qui leniter conquerebantur. Unum adhuc exemplum *xplogas* & interpretationis *Crevierianæ* adjiciemus. Id sumemus e *Lib. XLI Cap. 9*, ubi, post commemoratam legem *C. Claudii* de sociis latinis, edictumque *L. Mummi* Prætoris, cui quæstio in eos decreta erat, qui non in suam civitatem ex lege redissent, refertur etiam *SCrum*, quod ad legem edictumque accessit. Id in vulgatis libris sic se habet: *At Dictator, Consul, Interrex, Censor, Prætor, qui nunc esset, apud forum quem manumitteretur, in libertatem vindicaretur, ut jusjurandum daret: qui eum manumitteret, civitatis mutande causa non manumittere: qui id non juraret, eum manumittendum non censuerunt.* Hoc *SCrum*, corruptum sine dubio & propterea obscurum, ita constituit Vir Clariss. ut primo pro, qui nunc esset apud forum, quem manumitteretur, legat: qui tunc esset, apud eorum quem, qui manumitteretur; tunc e mente *Gronovii*, eorum e Codice unico *Vindobonensi*, e quo hanc lectionem protulit *Lambecius* in *Commentariis*, qui e suo ipsius ingenio. Sentum autem hujus *SCri* putat esse hunc, ut is, qui manumitteretur, vel in libertatem vindicaretur, apud aliquem magistratum, ut Dictatorem, Consulem, &c. qui tunc esset, cum manumissio vel assertio fieret, ut is, inquam, juraret, non esse hoc manumittentis consilium, ut ipse, qui manumittatur, civitatem mutet. Ordo itaque verborum grammaticus hic est: *Ut, qui manumitteretur, in libertatem vindicaretur, jusjurandum daret apud eorum quem, qui tunc esset Dictator, Consul, &c.*

LEONARDI OFFERHAUS SPICILEGIO-
rum historico-chronologicorum Libri tres, quibus Chronologia sacra, origines & fata regnorum per Orientem, ut & Græcorum migrationes, exhibentur. Accedunt Dissertationes due de Ptoleæo Aulete, & vita Salvatoris publica & privata; nec non Dissertatio, in Epistola instituta a Viro Clarissimo, GERIARDO TEN CATE, qua dubiorum & difficilium quorundam e Prophetis locorum explicatio, Evangelicæ historiæ congruens, traditur.

Groninga,

Groningæ, apud Hajonem Spandaw, 1739, 4.

Alph. 5 plag. 6.

Cum infiniti fere laboris sit Chronologia, atque ejus tam ignarus haud quisquam, ut, post magnos illos *Scaligeros, Petavios, Catvifios, Ufferios, Simfonios, Conringios, Marshamos, Perizonios, &c.* fines scientiæ proferri non posse, sibi persuadeat; suus certe iis est honor habendus, qui impeditissimo huic scientiarum generi vacant, tantisque difficultatibus minime deterriti, vacuas ab reliquis laboribus horas in ea ponunt cum cognoscenda, tum ingenio inprimis jam aliis artibus subacto dijudicanda. Hinc facile possumus conjectura assequi, Cl. Auctoris, cujus jam informare animus est Chronologiæ Systema, labores non ingratos fore orbi literato. Hic enim, imposito sibi munere publice docendi Historiam, negotium sibi datum putavit, ut, quæ fufius sint accuratiusque hinc inde disputata ab aliis, in ordinem cogret, veritatem, omnibus peregrinis nudam ornamentis, ante oculos exponeret, & quem vulgo Synchronismum dicunt, temporum concentum, neglectum a plurimis, constitueret, veterisque ævi historiam omnem, divisam suis temporibus, sifteret brevi oratione adumbratam. Magni profecto ausus: quibus, si vel maxime exciderit interdum Cl. Autor, tamen plausum non denegabunt lectorum multi. In eo recte ab eo factum, quod, uti in Præfatione fatentem legimus, atque re ipsa vidimus comprobantem, quod, inquam, in temporum compositione ita solitus est versari, ut summum pretium semper statuerit Scripturæ sacræ, ejusque de mendo nunquam ausus sit cogitare, ratus, ejusmodi conatus, ut temerarios, sic erroris locupletes dici testes debere. Quin imo, Autores sacros, putat, nemini profanorum Historicorum de accurata temporum descriptione concedere. Solet, uti inter harum rerum prudentes constat existimatores, quæ in rerum temporumque compositione unice versatur Chronologia, si divulso temporis nexu, atque hinc inde collectis utcunque temporum particulis, summo etiam labore adhibito, instituat, vix perspicue tradi. Idcirco non nudas dat, & sine calce, observationes Cl. Autor, sed adornare tentat ipsum aliquod, ut loquitur, temporum systema.

Nos,

Nos, per singulas eundo partes hujus corporis, ea modo, in quibus præ reliquis versata est cum aliqua laude Cl. Autoris diligentia, delibabimus; posthabitis tralatitiis rebus, ne centies milliesque dicta ad nauseam usque Lectoribus propinare videamur. Descripta vero est a Cl. Autore omnis de antiquissimorum temporum ordine constituendo disputatio *tribus Partibus*, quarum *prima* sistit Hebræorum tempora, inde a rerum origine ad usque *Cyrum*, insignem Orientis rectorem, secundæque, quam vulgus fert, Monarchiæ autorem; post cujus fata cum generatim omnis Chronologia solutior est, iisque fere, quibus anterior ætas abundat, salebris liberior, tum sigillatim Judæicæ rerum ordo in meliori quasi lumine cernitur collocatus. Extremo hoc *primo Libro* quinque tabulis sub aspectum lectorum ponit, veluti nitido expressam speculo, Chronologiam sacram, atque adeo latercula exhibet Patriarcharum, tum antediluvianorum, quos dicunt, tum postdiluvianorum; rursus Judicum, & denique utriusque Hebræorum regni. In *altero Libro* Babyloniorum, Assyriorum, Medorum, & Persarum, origines præcipuaque fata ad mortem *Cyri* majoris amplum aperiant Cl. Autori campum, in quo ex tenebris quædam adhuc incognita acri ingenio eruit, omniaque rursus Tabulis quinque completitur, multo studio elaboratis. *Tertii* denique *Libri* argumentum versatur in originibus Græcorum figendis, maxime eorum, qui ab *Inacho* oriundi ad excidium usque Trojæ floruerunt. Additæ sunt & huic Tabulæ duæ. His de Chronologia antiquissima disputationibus alias *tres* adjunxit quasi comites, quæ, etsi in dissimili paulum argumento versantur, tamen eodem studio ac superiores elaboratæ sunt. *Prima* agit de *Alexandro* eo, qui *Ægypti* Cyprique Rex fuit, populumque Romanum testamento hæredem fecit; & plurimas simul res exhibet successoris ejus, *Ptolemæi Auletis*. *Alteræ* de vita & gestis rebus Servatoris nostri exponit. *Tertia* denique amplissima est Epistola Viri Clariss. *Gerhardi ten Cate*, Philosophi Daventriensis, missa ad ipsum Autorem, in qua difficillima eorumque Vet. Test. libris loca deprompta ad normam librorum Novi Testamenti exponere laborat. Sed age, jam quædam adducamus, ut faciamus dictis no-

stris fidem. Primum omnium se satis nobis probarunt, quas sibi ipse rogat, leges; easque ipsius Autoris, quam nostris, verbis exponere malimus. *Tres mihi, inquit, leges dico: primo, ut nusquam contra ratiocinia, quantumvis magnam præ se ferentia speciem, disputem, ubi disertum in contrarium exstat fide digni scriptoris testimonium; secundo, ut quam rarissime congregiar cum mortuis; tertio denique, ut in iis, quæ ex sacris hauriri possunt, ducem unice sequar textum Hebræum.* In *Partis prima Libro I*, qui tempora adusque exitum populi Dei ex Ægypto ducit, nihil impediti sibi occurrisse dicit Cl. Autor, tamque expeditam putavit horum temporum rationem, ut accelerato gradu ad annos commorationis Hebræorum in Ægypto veperit, ubi cum *Usserio, Calvisio, Manasse ben Israel*, multisque aliis, eum compleffe 210 annos putat. Quam vero vellemus, ut Cl. Autor cum *Cel. Vignolii*, tum Anglorum quorundam, vidisset Chronologicos labores. *Vignolius* eandem hanc periodum tam difficilem putavit, imo vero plane inenodabilem, ut, licet in audendo minime sit timidus, tamen de compositione horum temporum plane desperaverit, malueritque initium ponere laborum suorum, quibus magna subministravit Chronologiæ adjumenta, in exitu populi Dei ex Ægypto, tanquam epocha temporum prima, quæ characteres chronologicos habeat. Societas vero illa eruditissimorum hominum, quæ in Anglia jam ante decennium incomparabili studio universam cœpit Commentariis suis illustrare Historiam, etsi non putat inexplicabilem hanc temporum rationem, tamen Hebræi Codicis, quo jam utimur, numeros incuria scribarum tam infuscatos existimat, ut Samaritanum Codicem, qui ter centum & uno annis superat calculum Hebræum, unice ducem in Chronologia antiquissima sequatur. Cl. Autoris *Liber secundus* in ordinem cogit annos, qui interfluxere inter exitum Hebræorum ex Ægypto & templum a *Salomone* structum, eosque putandos dicit ad computum *1 Reg. VI, 1*. Hinc, collectis in unam summam annis *Mosis, Josue, Judicum, sex servitutum, Saulis, Davidis, & quatuor Salamonis*, cum ad sex centum annos computus surgat, redundantes annos beneficio Synchronisini tollit; quod

quod ter ab eo factum observavimus. Primum ponit temporibus servitutis secundæ sub Moabitis, & tertiæ sub Cananitis, in quo adornando *Marshami*, Angli, vestigia pressisse videtur; proinde ab iisdem se defendere cogitur, quibus Anglum petiit doctissimus *Vignolius*, telis. Alter Synchronismus comparat ætatem *Thola* & *Jairi*, in quo præeuntem Autor habuit nostrum olim *Carpzovium*, qui ecclesiam Lubecensem insigni jam cum emolumento regit, quemadmodum ex *Introductione* ejus ad *Libros Canon. Vet. Test. P. I pag. 183 seq.* constat. Tertius denique componit quintam Ammonitarum, & sextam Philistæorum, servitutem, ubi *Marshami* vestigia iterum legisse videtur Autor, non tamen ut qui scrinia aliena compilat, sed ut qui emendat & auget. In tertio denique *Partis primæ Libro* ducit annos inde a quarto *Rehabeami* adusque *Cyrum* majorem, qui temporum computus Autori epocha est annorum iniquitatis, ex sua sententia a Propheta *Ezechiele Cap. IV & V* indicata, & cum hunc vatem videret per 390 & 40 dies portantem peccata domus *Judæ* atque *Israelis*, Æram hanc putat contineri 430 annis. Atque hæc illa est temporum series, quam jure pomum eridos Chronologorum dixeris, utpote quorum ingenia maximo cum labore consumta sunt in ea componenda. Celeberrimus *Vignolius*, cujus *Chronologiam* superioribus annis adumbratam dedimus in his *Actis*, tam difficilem expertus est ejus rationem, ut plus vicies Scripturæ sacræ numeros, ad eam pertinentes, scribarum incuria putaverit corruptos esse. Cl. Autor autem alia rem aggreditur via. Ut integritati, quæ ipsi prima est, Scripturæ sacræ consulat, hæc tria sibi dari postulat, quibus numeros, quasi transilientes metam, in gyrum reducat. Scilicet annos incompletos interdum esse pro completis habendos; filium sæpius cum patre commune habuisse imperium; & interregnis in fulciendo labascente computo utendum. Altera regula ipsi omnium princeps est, eamque ad literam subjiciemus: *Solicite est observandum, utrum regni anni, qui singulis Regibus dantur, ipsi absolute, & quasi ex abrupto, sine nexu & relatione ad decessorem, vindicentur; an vero solennis formula addatur: & mortuus est pater, & regnavit filius loco ejus, annis, verbi causa,*

sedecim. Priori casu indicatur, vivo adhuc patre regnare coepisse, adeoque aliquid temporis coordinandum; posteriori vero, annos, qui ei tribuantur, incipere a morte patris, vel decessoris. Hujus regulæ beneficio ad duodecim conlocationes ponit in regno *Jude & Israelis*. Superiore anno Cl. *Jo. Georgius Waltberus*, A. M. cum primas lineas voluminis alicujus, de *Æris Hebraorum*, & imprimis de *Æra legum Israelitarum*, conscribendi aliquando, communicaret cum orbe literato, hanc imprimis regulam, & alia quædam capita *Æræ* hujus, a Cl. Autore adornatæ, in controversiam disceptationemque, non tamen sine insigni humanitatis significatione, & justis Cl. *Offerhausio* laudibus solutis, vocavit. Non alienum putamus, si & *Waltberianæ* hujus disputationis adumbratam hic exhibeamus rationem; præsertim cum ea continere haud pauca videatur, quibus rectius formari systema *Offerhausianum* possit. Et ita sane est. Chronologia, majoribus nostris agrestior paulum Musa, se nostris temporibus in mansuetiorem induit, & tanta scientia digniorem, formam. Cum Cl. *Waltberus* a plurimis & Chronologis & Lexicographis confusam animadvertisset *Æræ* & Epochæ rationem; primum omnium *Æræ* vocabulum ab Epochâ sejunxit, *Æram*que dixit annorum inde a re memorabili continuationem seriemque, ut certa sit aptaque temporis descriptio; Epocham vero initium hujus seriei, sive primum annum, quo tota series ducatur. Discriminis hujus documentum aliquod invenit in *Ægyptiorum* *Æthiopum*que computo; sed pluribus eam rem promittit suis in locis expositurum, & idoneis autoritatibus firmaturum. Ipsa vero templi *Æra* ipsi est annorum, qui a positis *Salamonei* templi fundamentis ducuntur, series, in excidio ejusdem templi, *Nabuchodonosari* ætate, terminanda. Annos vero 430 *Ezechielis*, qui duces sunt Cl. *Offerhausio* in *Æra* Regum componenda, mavult de futuro tempore, quam de præterito, sumi. Ad ipsam autem regulam *Offerhausianam* quod attinet, *Babylonios*, concedit, *Persas*, *Romanos*, *Germanos*, *Polonos*, aliosque Reges, interdum, sed raro, imprimis in bellum proficiscentes, ante constituisse,

stituisse, quem Regem, si forte in prælio cecidissent, post se esse vellent; utrum vero idem mos perpetuo fere obtinuerit in regnis Hebræorum, eaque res *Offerhausiana* lege, cujus vis in voce תורתו nitatur, effici possit, merito dubitat. Ejusmodi enim legem hanc esse docet, ut tot exempla fere, quæ tollant eam, quot quæ confirmet, possint inveniri. Quæ inprimis affert Scripturæ sacræ, ab *Offerhausio* de consociatione explicata, loca, in quibus tamen omnibus dicitur filius post patrem regnasse. Et, cum videatur Cl. *Offerhausius*, ut sibi detur, postulare, tunc demum תורתו additum indicare successionem, quando post mortem patris commemoratam non tantum addatur, sed etiam anni imperii successoris adjungantur; Cl. *Walttherus* pluribus Scripturæ S. testimoniis docere laborat, & hac ratione consociationes, ut exitum non habentes fabulas, se minime explicare. Exempli causa unum asseramus locum. *Abaz*, qui per tres annos paterni imperii socius fuit, dicitur tamen 2 *Reg. XV, 38*, mortuo patre imperium obtinuisse loco patris, & 2 *Reg. XVI, 1, 2*, adduntur imperii anni sedecim. *Capitulum* enim distinctio in Codice Hebræo, quod recentius inventum est, & haud dubie R. *Mordecai Nathanis*, qui Seculo XV floruit, non divellit extremum *Capitis* præcedentis *versum*, quem dicunt, a *primo Capitis* sequentis, ad quod haud dubie respexit Cl. *Walttherus*, licet ob angustiam Epistolæ hæc pluribus disputare non potuerit. Hac occasione quoque docet, esse quædam verba, quæ in nostra B. *Lutheri* translatione non existunt, & quæ tamen in omnibus Codicibus Hebræis, antiquissimisque interpretationibus, inveniuntur, nimirum 2 *Reg. VIII, 16*, & 1 *Reg. XIV, 21*, quæ, miramur, non jam dudum esse revocata in nostram translationem. Cum porro Cl. *Offerhausius* in ea sit sententia, ut, nullum esse, existimet, in Scriptura sacra, tam difficiles habentem explicatus, locum, quo nimirum temporis alicujus fiat mentio, qui non possit satis commode exponi; quatuor affert summæ difficultatis loca, eaque tantum ad contextum hujus *Æræ* pertinentia, atque prætermittit a *Spicilegiorum* Autore, in quibus nulla detur, nisi conjecturalis, constitutio. Sed ea longiora sunt, quam ut hic afferri possint. Visum est

denique doctissimo disputationis Autori adjicere tres regulas, quibus in Tractatu suo usus est ad contextum hujus Æræ. Primaria est: Ultimus cujuscunque Regis defuncti, & primus in illius locum successi, unus idemque annus est. Tria attulit, quibus hanc regulam confirmet. Primo, similia exempla, ex Græcorum Latinorumque libris deprompta; deinde, testimonium ipsorum Judæorum; tertium denique, insignem & pæne incredibilem regulæ usum in Æra templi. In hac lege adornanda secutus est Talmudicos, & imprimis *Rosch Haschana*; qui liber ab initio multus est in hoc more exponendo, interim propterea ab Autore non adductus est, quod *ἤσις*, huc spectans, longior sit, quam quæ paucis plagellis possit comprehendere, & *Mischna* illius *Gemaram*, nondum latinitate donatam, constituerit, ut nos docuit, una cum interpretatione sua præmittere Tractatui *de Anis Hebræorum*. Cum porro aliæ Æræ gentium sint publicæ, aliæ privatæ, duas fuisse docet ex *Avoda sara* Æras publicas apud Hebræos, unam ante captivitatem Babylonicam, למלכתי dictam, alteram post eandem, nomine לשני. Non addidit quidem Cl. Autor discrepantiam suæ & *Offerhausianæ* primæ regulæ; sed ea facillime patet. Nam longe aliud est, semel aut bis in integra aliqua Æra annum incompletum pro completo habere, nulla allata idonea autoritate, ut *Offerhausius* fecisse videtur; aliud in singulis Æræ alicujus Regibus idem facere, atque id non ex conjecturali constitutione, sed clarissimo testimonio *Mischnicorum* doctorum. Interim, cum sola hac regula negotium confici non possit, & *Cel. Vignolius*, qui hujus regulæ usum aliquem jam præ se tulit, rem ita instituerit, ut *Cl. Watherus* ad 25 loca Scripturæ S. collegerit, quæ *Vignolius* putavit corrupta; duas apponit alias leges, nimirum: Si quando post diligenter adhibitam Talmudicorum traditionem nihilo minus non staret numerorum ratio, debere, si res facultatem habeat, redundantes tolli communi patris cum filio imperio, deficientes vero suppleri interregnis. Deinde, sufficere in eorum datorum, quæ characteribus chronologicis primariis destituta sint, Epochis figendis, si quis probabile modo initium annorum, quo ducendi sint, vincat. Harum vero duarum

rum regularum luxuriantem quasi usum in aliis Chronologis notat, eumque ultra bina exempla haud excurrere docet, idque ipsis suadentibus literis sacris. Sed e diverticulo in viam. *Secundus Liber Spicilegiorum* exhibet Babyloniorum, Assyriorum, Medorum, & Persarum, origines, ac præcipua fata ad mortem *Cyri* majoris, sigillatim vero *Cap. I* origines ponderantur Babyloniorum & Assyriorum. Rejeda primum *Marshamii* de Babylone conjectura, contendit, fieri mentionem apud antiquos ante *Nabonassori* ætatem cum regni Babylonici, tum oppidi quoque; licet recte addubitaverit, an ipsa Babel protinus post linguarum confusionem culta, atque adeo *Nimrod*is regia, fuerit. Deinde arma movet in *Ctesiam Cnidium*, cujus fabulas recte una Pag. 90- cum aliis doctissimis viris, præsertim *Conringio* & *Cellario*, confutavit. 93. Quamquam nollemus, inter *advocata Ctesia*, ut loquitur Autor, relearum esse usum falcatorum curruum, quem *Ctesias* ad Assyrium *Ninum* autorem retulerat, & quem *Cyros* anteriorem non esse, ex *Xenophonte* collegerat. Nam vel ex *Jos. XVII, 16*, & *Jud. IV, 3*, constat, originem eorum fere Trojana 102-107. superare tempora. Porro in figendis Assyriorum Babyloniorumque originibus neque *Usserii*, neque *Perizonii*, rationes sequitur, qui nostra ætate prope soli videntur in Chronologia hac dominari, literatosque quamplurimos ad suas traxisse partes. *Nimrodum* locat circiter 220 annos post gentium, facta linguarum Babele confusione, dispersionem, regnumque ejus vocari posse dicit Sabiorum; quam sententiam, quæ se verisimilitudine non omnino nulla probat, communem habet cum *Casparo Abelio* nostro. Hinc *Genes. XXV, 3*, *Assurem* habet 108. non pro *Semi* filio, sed cum *Schradero* potius pro *Abrahami* ex *Ketura* pronepote. *Capite II* de rebus Assyriacis a *Nino* ad Medorum & Babyloniorum defectionem disserit. *Nini* epocham figit quarto anno ante Gideonem mundi 2760, ante Trojam everlam 50, atque ejus regnum ponit cum *Herodoto* in superiori Asia, ut maxime in ortum & septentriones spectaverit; ad austrum vero non ultra Babelem processisse, quod & de *Semiramidis*, *Ninyæ*, & posteriorum Regum, imperio contendit, ut adeo hic pulchre consentiat sacra historia, & imprimis *Davidis*
&

& *Salomonis* res gestæ, quorum regnum adusque Euphratem pertinuit. In *Phulis* rebus, in Scriptura S. commemorati, & sequentium fere omnium, temporibus suis distribuendis ab omnibus Chronologis dissentit. Eum, ait, diu desertam Babylonem instaurasse, ibique fecisse *Nabonassarem* Proregem, quod idem jam comprobarat magnus noster *Conringius* in *Advers. chronologicis* Cap. 11. His temporibus innectit res *Tiglatpile-saris*; Medorum vero defectionem rejicit in annum *Nabonassar* 34, quo *Sennacheribum* interentum putat a filiis suis, anno imperii Assyriaci 521, de *Herodoti* sententia. Cap. III agit de Assyriorum decrementis post Medorum & Babyloniorum defe-

Pag. 141, tionem. *Efsarbaddonem* primum habet Regem Assyriorum, & 147, 151. *Merodach-Baladanum*, quem Canon *Ptolemæus* *Mardocempadum* dixit, Babyloniorum, & post quinque annorum ἀναρχίαν *De-jocem*, Medorum Regem. Expositis horum Regum rebus, tanquam aliud agendo, de *Arphaxado* in libro *Judithæ* sententiam dicit, fabulisque adscribit totius libri apocryphi argumentum, sed piis, iisque *Antiochi Epiphanis* ætate factis, ut Judæi spe divinæ liberationis confirmarentur. Sed forte erunt, qui nihilo minus cum *Prideauxio* & *Montesaltonio* pro veritate militabunt, præsertim cum omnia reliqua concordent, exceptis octoginta annis, quibus *Palæstina* dicitur post *Juditham* quiete usa. Nam hic annorum numerus repugnat, & forte scribarum incuria infuscatus est. Cum porro, *Usserio* duce, magna Chronologorum pars contendat, *Efsarbaddonem* junxisse Assyrio Babylonium imperium; tribuit id *Chiniladano*, tertio post eum Regi. Nimirum ita contextum rerum, quantum nobis licuit conjectura assequi, ponit. *Phraorte* victo occisoque, occupat Babyloniam *Chiniladanus*, qui brevi post, cum *Cyaxari*, filio *Phraortis*, justas dedisset pœnas, a *Nabopalassar*, tunc temporis privato, tota Babylonia, anno *Cyaxaris* nono, exiit; *Cyaxares* vero ipse, pulsus ex Asia Scythis, qui per viginti annos *Medis* imperitarant, cum Regem, qui in *Chiniladani* locum successus erat, & quem celeberrimum Assyriæ Regem *Sardanapalum* putat, privat regno Assyrio; utramque vero regnum in *Nebucadnezare* denum conjungitur. Hæc, etsi plane nova sunt,

tamen

tamen non contemnendis muniuntur a Cl. Autore argumentis, Pergit contra *Scaligerum* scite asserere, locum *Ezech. I, 1*, ad initium regni Babylonici indagandum nihil facere, ubi inter alia de *Nabonassari* Æra monet, jam eam his *Ezechielis* temporibus publice receptam fuisse apud Babylonios; quod quibus argumentis comprobari velit, libenter nos ignorare fatemur; quandoquidem ea demum *Hipparchi* ætate sub tertium bellum Punicum frequentari cœpit. *Neronis* vero, Ægyptii Regis, expeditionem non contra Babylonios, ut plurimi contendunt, sed contra Assyrios, fuisse, a quibus rerum arbitris omnino probasse eum putamus; licet eandem fortunam ipsi haud promittamus, cum *Cyaxarem* arma in *Alyatten*, Lydorum Regem, movisse dicit medio illo annorum spatio, quibus vastarunt Scythæ Mediam. *Capite IV* de Babyloniorum monarchia exponere ag-
 163-169.
 greditur, & initium imperii *Nebucadnezaris* triplex fuisse putat: primum, quando a patre dux copiarum cum regia potestate contra *Neronem* missus, Prorex est appellatus; deinde, quando a patre in societatem imperii adscitus anno quarto *Jehojakimi*, quorum spectant loca *Jeremie*; tertium, quando, mortuo patre, solus rerum est potitus, quo respicere ipsi videtur *Daniel Cap. II v. 1*, *Canon Ptolemaicus*, & *Berosus*. Noster igitur, cum *Daniel Cap. I v. 1* tertium *Jehojakimi*, & *Jeremias Cap. XXI I v. 1* quartum ejusdem, annum cum primo *Nebucadnezaris* compararunt, duplex exin colligit initium Regis Babylonii, quod non necessarium multi putabunt, cum diversum fuerit & utriusque Regis auspicandi regni tempus, & ipsius Epochæ, cum Judæicæ, tum Babylonicæ, auspiciis. Interim juvabit ipsum legisse Autorem, imprimis quæ de tertio initio, mortuo jam patre *Nabopolassar*, disserit. Computum annorum LXX Servitutis Babylonicæ ex *Jeremia* & *Beroso* apud *Josephum* contra *Apionem* sistit. Deinde in claro ponit lumine insigne aliquod *Berosi* monumentum, quod nobis *Flav. Josephus* servavit. Id ita se habet: *Ἀκίσσας δὲ ὁ πατὴρ αὐτῆ (Ναβυχοδονοσορέμ) ἔτι ὁ τεταγμένος Σατραπῆς ἐν τῇ Ἀιγύπτῳ καὶ τοῖς περὶ τὴν κοίλην Συρίαν τόποις ἀποστάτης αὐτῆ γέγονεν*, (Cl. Autor legit & distinguit ita: ὅτι ὁ τεταγμένος Σατραπῆς ἀποστάτης αὐτῆ, ἐπὶ Ἀιγύ-
 170-172.
 175.
 Q πτθ

πρω κρη τῶν περι τὴν κοίλην Συρίαν τόποις, γέγενεν) ἔδυνά-
 μενος αὐτός ἐτι κακοπαθεῖν, συστήσας τῷ Ναβουχοδονοσόρῳ ὄντι
 ἐν ἡλικίᾳ μέρη τινὰ τῆς δυνάμεως ἔπεμψεν ἐπ' αὐτόν. Ex qua
 textus emendatione constat, *Nabopolassar* Satrapam non Ægy-
 pto & Cœlosyriæ præfuisse, quod omnes existimant Chrono-
 logi recentiores, & tamen nullo modo cum temporum ratione
 conciliari posse videntur; sed in Ægyptiis & Cœlosyris fiduciam
 suam collocasse. Nam antiquissimis temporibus ἐπὶ τινὶ γίγισ-
 δαι significat ἐν τινὶ ἔχειν τὰς ἐλπίδας, ut Scholiastes habet
 ad *Thucydidem* pag. 393 ed. *Duckeri*. Recte igitur comprobatur
 ex *Berosi* loco Cl. Autor, *Nebuchone*, Ægypti Rege, jam *Charmisi*
 occupata, & late imperium in Cœlosyros & Phœnices tenen-
 te, Regem *Babyloniæ* partem imperii filio *Nebucadnezari* de-
 mandasse, ut pœnas sumeret de Satrapa, novis rebus studente,
 & Ægyptiorum, Syrorum, Phœnicumque, auxiliis sidente. De

- Fig. 188. primo servitutis *Babyloniæ* anno disputat cum Cl. *Godof. Kobl-
 reiffio*, & illum figit statim rebus ad *Euphratem* contra *Nero-
 nem* gestis, & prima vice occupatis *Hierosolymis*, hoc est, pri-
 mo *Nebucadnezaris* anno. Locum *2 Chron. XXXVI, 8, 9*, ita
 interpretatur: & regnavit *Jehojacim*, filius ejus, loco ejus, anno
 vertente octavo servitutis *Jehojacimi* regnare cepit, & regna-
 vit menses tres, dies decem. Cum porro Chronologorum nul-
 lus, quod tamen præfuisse dicit Cl. Autor, de sua sententia
 200 seq. rem acu terigisset in tempore constituendo everſæ regis *Nini-
 ves*, ostendit, *Niniven* everſam esse anno *Zedekie* tertio; ipsius
 204. autem *Zedekie* duplex esse regni initium. Hac occasione simul
 varia explicat impedita *Scripturæ S.* loca, imprimis quæ de
 216 seq. utraque *Tyro*, in continenti atque in insula, & apud *Jſaiam*, &
 apud *Ezechielem*, occurrunt, & ad speciem inter se pugnant. *Ne-
 bucadnezaris* deliquium mentis & vitam agrestem rejicit in illud
 219. tempus, quo per tredecim annos *Tyrus* obsidebatur. Et, cum *Je-
 remias Cap. XXIV v. 25* *Medos* quoque potestati subfuisse Regis
Babylonicæ, haud obscure asserat, commodissime locari posse, pu-
 224. tat, hanc de *Medis* victoriam, reportatam in extremis vite *Ne-
 bucadnezaris* annis, *Herodoto* & *Xenophonte* in alia omnia abeun-
 229, 230. tibus, *Cap. V*, causis, cur *Herodoto Xenophon* sit præferendus,
 expo-

expositis, quædam in *Xenophonte παρὰ Ξενοφώντος* annotat, & iis
 quindecim annis, quibus *Cyrus* redux ex Media apud patrem Pag. 232.
 commoratur, includit victoriam *Nebucadnezaris* de Medis Per-
 sisque: obruncato, addit, a suis *Evilmerodacho*, in spem liber-
 tatis erectos Medos Persisque, Babyloniorum jugum excussisse,
 idque bellum viginti & unum annum durasse. Traditis dein 237.
 quam brevissime rebus a *Cyro* gestis, inquit in numerum Ba-
 byloniorum Regum post *Nebucadnezarem*, ubi *Xenophontem*,
 qui tres tantum agnoscit, aliquid humani passum putat, quod
 ultimum Assyriorum Regem eam Regis filium appellaverit, cum
 reapse *Evilmerodachi* ex *Nitocrile* filius fuerit. Vid. *Herodotus Lib.*
I Cap. 188. De Scripturæ sacre loco, quo *Nebucadnezaris* filius &
 nepos dicuntur imperium adusque Persas tenuisse, ponderatis do-
 ctorum virorum sententiis, ita exponit, ut *Nabonidum* quar-
 tum post *Nebucadnezarem* hujus nepotem existant, & *Evilme-*
rodachum filium; interjectos autem Reges medios, *Veriglistanem*
 & *Naborosarchadum*, quod per vim imperium ad se ra-
 puissent, a Scriptura sacra non adductos fuisse. Dedita opera 246-249
 deinde probat contra *Petavium* & *Schæverum*, *Balthasarem*, quem
 nepotem existimat *Nebucadnezaris*, fuisse *Nabonidam*. Recte
 quoque inter alteram *Cyri* expeditionem in regionem Babylo-
 nicam & bellum cum *Craso* gestum sex vel septem annos ponit,
 quibus expugnandis munitis urbibus operam dedisset, premente
 hæc omnia silentio *Xenophonte*, ita, ut videatur nullum ejus-
 modi temporis spatium hoc in loco agnoscere. Tempus Sar-
 dium expugnatarum vel maxime dubium est Chronologis. No-
 ster locum apud *Diogenem Laertium* in *Periandro Lib. I Cap. 59*,
 sed meliori ratione a se interpunctum, sequitur, ubi *Soficrates* te-
 statur, factum hoc esse anno ultimo Olympiadis 58. *Crasum* por-
 ro, autor est, rogo non adductum fuisse. Neque ad locum Je-
 rem. *Ll. 31*, vindicandum necesse fuisse, ut interpretes *Nabon-*
idum Regem urbis tempore a *Cyro* captæ absuisse dicerent, &
 Borsipporum munitionibus inclusum; crasse *Perasim* & *Mega-*
sthenem, qui dicerent, hunc ultimum Babylonie Regem a *Cyro* Car-
 manniæ Principem constitutum. *Cyaxarem*, avunculum *Cyri*,
Darium Medum esse, cum *Perisontio* inter alia ex numis *Daricis* 256.

comprobat, rationibusque rite subductis colligit, eundem bien-
 Fig. 273. nio post captam Babylonem mortuum esse, licet id nullo dis-
 creto constet testimonio. Inter alia etiam hic contra *Hutchinso-*
 295. *num* disputat, qui, *Cyrum* septem annos capta Babylone regnasse,
 negabat. *Libro III* exhibet origines Græcorum, maxime eo-
 rum, qui ex *Inachi* stirpe orti ad Trojam usque everfam flo-
 ruerunt. *Cap. I* disserit de *Inachi* antiquitate contra *Perizonium*,
 & ostendit, non omnia & singula, quæ *Iliaca* tempora antever-
 tunt, ad suum quæque annum revocari posse, neque annorum
 aliquod spatium minus recte descriptum fraudi esse posse, cum
 tantum inter se ipsi Græci discrepent. Cum *Perizonio* propterea
 disputat, quod hic, ad Patrum mentem, *Inachum* & *Phoro-*
neum, antiquissimos Græciæ Reges, vix *Mosis* ætatem, contem-
 derat, æquare. Duo attulerat *Perizonius*: primum, Patres
 hoc non ex conjectura, sed ex scriptoribus antiquissimis & Ægy-
 ptiacis, hausisse; temporum vero seriem contexendam esse ma-
 gis ex synchronismis historicis, quam ex numeris annorum, qui
 antiquissimis temporibus sæpius corrupti sunt. Noster opponit
 primum Patrum oscitationem in synchronismis condendis, & in
 exemplum affert *Julium Africanum* apud *Eusebium*; deinde te-
 stimonia omnia Patrum de *Inacho* suppeditat, nimirum *Justinii*
Martyris, *Tatiani*, *Clementis Alexandrini*, *Africani*, *Jose-*
phi, ex quibus colligit, omnes hos Patres unice niti *Polemo-*
nis & *Ptolemæi Mendesi* autoritate, qui scriptores, nulla *Mosis*
 injecta mentione, nulla Israelitarum, nulla exitus, tantum osten-
 dunt, *Amasin*, *Inacho* æqualem, evernisse Avarin urbem, qua
 pastores *Manceto* retulit ejectos esse. Hos pastores Christiani
 habuerunt pro Hebræis, *Mosè* duce migrantibus ex Ægypto;
 quibus solenne fuisse, quis ignorat, gentiliùm dicta suis inter-
 pretationibus juvare, nec liquidum est, utrum pastores, Ægy-
 pto ejecti, Judæi fuerint. Idcirco inclinat Cl. Autor, ut sibi,
 hanc pastorum expulsionem jam ante *Jacobi* ætatem factam esse,
Genes. XLVI, 34, persuadeat. Erroris, quo abrepti Patres in
 Scriptura sacra justo plures numerassent annos, aperit fontem;
 remque *Julii Africani*, *Clementis Alexandrini*, *Theophili An-*
siocheni, exemplo comprobat; quibus addit *Pl. Josephum*. Et
 satis

fatis constat, omnes Patres Græcos in eodem hæsisse luto. Cl. Autor, Patres, putat, cum apud profanos scriptores ad 1200 annos *Cyrum* post *Inachum* floruisse invenissent, nec hunc *Inachum* anteriorem *Mosè* esse voluissent, tum tempora ante *Cyrum* ampliassè; hinc consequens esse, ut Patres omnes pro antiquitate *Inachi* militarint, & sibi adversari fuerint vehementer. Genealogias porro asserit iis repugnare, qui *Mosèn* & *Inachum* æquales contendant; posse quoque ex *Genes. X, 5*, vinci, jam ante *Mosis*, imo *Abrahami*, temporibus occupatas fuisse insulas maris mediterranei. Hinc concludit, tutius esse, sequi numeros, ab *Eusebio* traditos. *Cap. II* exhibet contextum rerum Græcarum inde ab *Inacho* ad bellum Trojanum. De ejus sententia ab *Oceano* & *Japeto* omne Græcum nomen originem duxit; Peloponnesi incolæ ab *Oceano*, reliqui Græci a *Japeto*, orti. Expositis deinde variis sententiis de *Inacho*, quem filium *Oceani* dicit, eum locat in anno Per. Julianæ 2855, mundi vero 2135, diluvii 479, *Isaac* 27. Pergit ad celebres ejus liberos, imprimisque multus est de *Io*, *Pharoni* sorore, de hujus *Pharoni* liberis, *Api* & *Niobe*, & de *Niobe* filiiis, *Argo* & *Pelago*. Componit hic data occasione *Argum* & *Josèphum*, *Jacobi* filium. De *Pelago* etiam, qui variis originem dedit gentibus, haud tralatitia repetit ex antiquitate, quemadmodum etiam de *Argo*, *Triopa*, *Prometheo*, *Cecrope*, *Deucalione*, *Crocopo*, *Sthenelo*, *Helline*, & hujus filiiis, *Cadmo* & *Danao*. Suspicatur, *Busiridem*, Ægyptium Regem, mandatum de Israelitarum pueris mergendis promulgassè, atque inde nomen ejus mansissè ad posteros infame; neque refragari tempora. Hic *Busiris* fuit frater aut consobrinus *Beti* Ægyptii, qui duos reliquit filios, *Sesestrem*, seu *Ægyptum*, & *Danaum*. Discernitur etiam, quo tempore per Græciam diffusum ceperit per *Dorum* & *Xuthum* Hellenis genus; ubi etiam constituit synchronismum rerum Atticarum ab *Erichthonio* ad *Menestheum*. Cum vero ad *Perseum* pervenisset, varias res Chronologiæ impeditas expedie ad mentem *Eusebii*, quem & hic ducem solum sequitur, quanquam ab eo sit omissus in *Canone Perseus*. Tandem in tempus expeditionis Argonautarum inquirat, & omnia bella, a Græcis ante & post expedi-

expeditionem Trojanam gesta, adumbrat, & suis utcumque temporibus alligat. Atque hæc potissimum sunt, quæ ex ipso Opere chronologico in exemplum afferre nobis visum est. Jam nostrum esset, eandem ratione adumbrare reliquas doctissimi Autoris disputationes, additas Operi chronologico, quæ vel maxime ob argumenti dignitatem se aquis rerum arbitris probabunt. In disputatione de *Alexandro & Ptolemao Aulete* id primum agit, ut & Regem Ægyptium ostendat, qui testamento, vero an simulato, populum Romanum heredem fecerit, & tempus donationis, & quæ inde secuta fuerint, Romanorum contra Ægyptios molitiones, nondum satis enodatas, e tenebris eruat. Rejecla eorum sententia, qui vel *Physconis* filium nothum, vel *Ptolemaum Lathurum*, vel *Alexandrum*, *Physconis* filium, vel hujus fratrem, aut filium, ferunt cum *Alexandrum*, qui *Ciceroni* in *Or. 1 in Rull. Cap. 1* dicitur testamento Ægypti regnum populi Romani fecisse, ipse *Alexander*, *Berenices* maritus, qui dies tantum regnavit 19, atque tum propter uxoris eadem pulsus, vindictæ studio populum Romanum heredem scripsisse videtur. Et sane hæc non tantum videntur, sed unice veritati consentanea sunt. Rex enim, qui liberos non susceperat, qui Romanorum potissimum autoritate regnum obtinuerat, in quo legitima Regum progenies exstinguebatur, facile adduci poterat, ut Ægyptios, sibi invisos, Romanis donaret. Imo dicta *Appiani de Bello civ. Lib. 1 pag. 414*, & *Porphyræ in Græcis Eusebianis Scaligeri pag. 60*, cum *Trogo Pompejo in Prot. Lib. XXXIX*, commode conciliantur. Cum enim illi ostendere videntur, Regem *Alexandrum* ab *Alexandrinis* in Gymnasio interemtum esse; *Trogus* liquido confirmat, filium *Alexandri*, qui post *Lathurum* regnaverat, expulsum esse, eoque ejecto, susceptum *Ptolemaum Nothum*. Ut adeo *Alexander* quidem propter parricidium ab armatis *Alexandriis* in Gymnasio pressus, & ad mortem vulneratus, fuga tamen elapsus, Tyrum venerit, populumque Romanum heredem esse jussit. Accedit, quod, regnante *Aulete*, sapius de Ægypto Cyproque lis a Romanis intentata fuit, & aliquamdiu ante *Ciceronis* Consulatum Romani, legatis Tyrum missis, qui pecuniam, ab *Alexandro* Rege depo-

depositam, recuperarent, hæreditatem adhuc videntur. Proinde putamus satis bene Cl. Autorem pertractasse questionem de *Alexandro* illo, & in ipsa rerum huc spectantium disceptatione ita versatum, ut, paucis exceptis, de quibus nonnihil monendum esset, plurimas sustulerit in hac Historiæ Romanæ parte silebras. Sed cogimur, ne justo longiores simus, nos ad alia conferre, & pauca verba facere de harmonia Evangelistarum, quam post tot infinitos eruditorum labores tentavit Cl. Autor. Primum vero omnium, sibi, ait, nunquam placuisse eorum placita, qui *S. Mattheum*, inde a *v. 12 Cap. IV* usque ad *Cap. XIV*, neglecto temporis ordine, ea tantum, quasi per saturam, collegisse dicunt, quibus ostenderet, Jesum esse Messiam, dudum patribus promissum. Minime ipsi probabile visum, *Mattheum*, qui primus omnium historiam vitæ Domini scribere instituisset, id quod in historia primum, neglexisse tempus, ut *Marco*, ceu epitomatore, opus sit ad ea, quæ dixisset *Mattheus*, in ordinem redigenda. Hinc ubique inhæret literæ textus, & *Mattheum* ducem sequitur; eamque in rem excitat testes nostræ ecclesiæ celeberrimos Viros, *Martinum Chemnitium* & *Abramam Calovium*. Hoc itaque cum haberet cum animo suo constitutum, & vidisset, nullo modo trium aut quatuor Pascharum intervallo includi posse res a Sospitatore gestas post initum ministerium suum, eas per quinque Paschara distribuit, atque ipsum Servatorem non trigesimo tertio ætatis anno supplicio affectum putat, sed trigesimo septimo. Primum Pascha commemorat *Jo. Cap. II*, & alterum *Cap. V*, ut plurimi consentiunt. Sed, quod attinet ad tertium, obvium, de Cl. Autoris sententia, *Luc. VI, 1*, & *Maro. II, 23*, ubi dicitur Christus in Sabbatho *δευτεροπέμπτω*, illo, quod, monente Nostro, proxime antecessit diem secundum post Pascha, sive diem primitiarum, atque adeo quotannis in 15 Nisan incidisse, cum *Burmanno* putat, per sita transiens, discipulos esurientes, & spicas vellentes, ab iniqua Phariseorum censure vindicasse; hoc, inquam, veremur, ut omnibus sit probaturus. Interim si ejus rei ratio ad liquidum possit deduci, impeditißima possent, fatemur, difficultates plurimæ expediri; etsi de omnibus id affirmare

Pag. 422.

461.

475.

mare

mare non audeamus. Exempli causa afferamus inter eruditos quaestionem motam de tempore dati *Joannis* Baptistæ in custodiam. Plurimi id post primum Pascha locant: & *Lamius*, bis, existimat, *Joannem* coniectum in vincula, subinde confutatus tribus *Dissertationibus* a *Salamone van Till*. Orta vero dissidii occasio, quod omnes tres Evangelistæ bis vinculorum *Joannis* mentionem injecerunt. Sed potuisset concentus Evangelistarum sine pulvere componi, cum in posterioribus locis vinculorum *Joannis* mentio fiat non ex instituto, & serie temporum ita suadente, sed data ab *Herode* Tetrarcha occasione, qui, auditis rebus a Servatore gestis, in vitam, putarat, *Joannem* Baptistam rediisse. Interim temporis ipsius, quo in vincula

Pag. 468. coniectus est, difficultas manet. Cl. *Offerhausius* id post secundum Pascha dicit factum. Sed omnes Evangelistæ, *Matthæus IV, 12*, *Marcus I, 14*, *Lucas III, 19*, qui nimirum ejus rei meminere, cum sacro illo lavacro, quo Sospitator usus est *Joannis* interventu, ita conjungunt, ut aut brevi post pœnant, aut brevi ante. Quartum Pascha ipsi est *Jo. VI, 4*, & quintum, quo Sospitator cruci affixus est. Res ipsas, quemadmodum suis temporibus distributæ sint per quinque Paschata, nec licet per instituti nostri rationem adumbrare, & melius ex ipso libro cognoscuntur. Interim speciminis loco aliquid afferemus. Ponit

492. Autor coniecturam de anno natali Sospitatoris, eamque ex die mortis *Herodis M.*, a Judæis annotato, ductam, qua putat, Christum natum esse ea nocte, quæ intercedit inter 20 & 21 diem Octobris; quam coniecturam etsi propius existimet a veritate abesse, tamen ipse vitæ Sospitatoris descriptionem dirigit ad normam traditionis antiquæ, qua Sospitator se in humanam naturam induisse fertur die 25 Decembris. Sumto igitur hoc, pergit, eum d. 1 Jan. esse circumcisum; Magos ex Oriente advenisse Hierosolymis d. 6 Jan. & sequente die sub vesperum, stella duce, properasse Bethlehemum. Porro d. 8 Jan. se fuga contulisse *Josephum*, adhortante Deo, in Ægyptum; & d. 11 Jan. infecutam eadem puerorum Bethlehemicorum. Die 12 Jan. existimat in Ægyptum pervenisse *Josephum*, & filium *Herodis* occisum d. 25 ejusdem mensis. Cum quatuor tantum dies inter filii patrisque

mortem

mortem interponantur ab horum temporum scriptoribus, eam patris mortem nocte dicit infecutam inter d. 29 & 30 Jan. & *Josephum* rediisse in Canaan, purificationisque sacra commode ex lege in templo interea peregrisse, dum *Archelaus*, in funere patris procurando occupatus, Hierichunte commoratus esset. Uno nuntio deinde auditam esse Romæ & eadem puerorum Bethlehemiticorum, & filii *Herodis*, nomine *Antipatri*. Hanc de vita & gestis Sospitatoris nostri Commentationem excipit elegans doctissimaque Epistola Viri Clarissimi, *Gerbari ten Cate*, Philosophi Daventriensis, ad *Leonardum Offerhaus*, in qua dubiorum & difficultium quorundam e Prophetis locorum explicatio Evangelicæ historiæ consentanea ratione traditur. Inprimis autem egregio lumine perfunduntur loca, quæ de Messia agunt in Vet. Testamento, & de reliquis Sospitatoris nostri nominibus, inprimis de nomine *σωτήρ*, doctè disputat; ubi mirati sumus, eum præter notionem a scriptoribus sacris suppeditatam non attulisse eam, quam huic voci profani subjecerunt. Certe *Cicero Lib. II in Verr. Cap. 2* tam magnum existimavit hoc nomen, ut Latino unico verbo exprimi non possit. Tentavit vero rem *Tertullianus*, quando *σωτήρ* interpretatus est *salutificatorem*, quemadmodum Latini dicunt *pacificatorem*. Sed, hæc pluribus disputare, hujus non est loci. Interim juvabit vehementer Scripturæ Sacræ interpretes, una cum Cl. *Offerhausii* Opere hanc perlegisse Epistolam.

Pag. 557

590.

ΑΔΕΙΣΙΔΑΙΜΟΝΟΣ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ VINDICIÆ
adversus Sycophantas Juvavienses. Operta quæ fuerunt,
aperta sunt, patent præstigiæ. Plautus Capt.
Act. III Sc. 3 pag. 8.

Colonix, apud Pet. Marteau, 1741, 4 maj.

Alph. 1 plag. 2.

Quid occasionem dederit eruditissimo Autori, quem *Joh. Casperium*, Archiepiscopi Salisburgensis Historiographum, esse accepimus, ut his *Vindiciis* scribendis animum ad-moveret, ipse principio Operis exponit. Juvenes nonnulli, tum

R

antiqui-

antiquitate generis, tum ingenii præstantia, illustres, ab Italica peregrinatione Salisburgum redierant, & conventus, in quibus de antiquitatibus ecclesiasticis & criticis rebus disquirerent, instituerant. Perculsi novitate rei Benedictini, qui docendis literis in Salisburgensi Academia operam navant, ægre hoc ferebant, religioni scilicet, si critica ars, ipso nomine exosa, antiquis fabulis confutandis adhiberetur, & simul ignorantia suæ, metuentes. Eruditi contra monebant eos, desisterent adversari bonis studiis, eisque *Muratorii* librum de *Ingeniorum moderatione* commendabant. Furere illi & movere omnia, quod *Muratorius* scholasticorum vitia & inanem arrogantiam, cum incredibilem inscitiam conjunctam, acriter perfringeret. Inprimis *Eurybates*, homo impudentissimus, cum se in illo libro ad vivum expressum cereret, eruditos conventus *Sodalitatis Murariorum* nomine traduxit, aliis quoque in societatem sceleris allectis; e quibus *Antisthenes* pro concione dixit, divisum esse inter Deum & Mariam justitiæ & miserationis regnum, non sine gravi doctorum quorundam offensa. Interea accidit, ut Romæ *Raym. Cocchetus* in Illustrissimi Comitum, *Ern. Harrachii*, funere, Salisburgi nobilis quidam & iolefcens, in docendi rationem, quæ in Academia obtineret, graviter inveherentur; quod commotos animos magis exacerbavit. Non multo enim post *Pbrynondas*, seu vero nomine *P. Placidus Backbn*, Academiae Procancellarius, seditiosa Oratione vindicias *Antisthenis* egit, adeo, ut plebs & stolidæ aniculæ, cultum Beatæ Virginis ab impia *Murariorum* societate negari, per plateas & compita creparent. Re ad Principem delata, *Pbrynonde* Oratio, jam typis exscripta, jussu ejus suppressa est. Tunc ille & socii, favere Principem fidei catholicæ hostibus, aulæ proceres & generosam juventutem foeda impietatis macula infectam esse, clamant, & famosis libellis in vulgus sparsis, missisque per omnem Germaniam literis, de religionis adversariis conquesti sunt. Quare Princeps, cum nullum motibus finem fore provideret, contentionis autores partim Academico senatu movit, partim, ut a turbulentis abstinerent sermonibus, hortatus est. Ejus rumor seditionis percrebuit per Germaniam, & ad Cæsaris, Novemvirorum, & Purpuratorum quorum-

quorundam, aures pervenit, ringentibus barbaris, eruditis vero sycophantarum temeritatem graviter execrantibus.

Phrynonda ergo Orationem, cum præcipua turbarum causa extiterit, doctissimus Autor sub examen vocat. Dixit ille, non tantum bonum ac utile, verum etiam necessarium ac præceptum, esse, Sanctos, imprimis B. Virginem, colere ac venerari; quam sententiam probantes Socii, ipsam Orationem, inscio Principe, ediderant. Cum autem ruri, coram imperita multitudine, non tam instruendi causa, quam odio in *Muratorum* & eos, qui veræ sapientiæ studio ardebant, habita esset, legem, quæ, de difficilioribus rebus nullam in suggestu mentionem fieri, nec hæreticis statim accenseri, debere, qui tantum in suspicionem adducti sint, prohibet, non uno modo Autor violavit. Frustra se Concilii Tridentini autoritate ruetur, in quo nullum de Sanctis invocandis præceptum exstat, sed eam tantum invocationem bonam & utilem esse docetur. Consentiant Commentatores, & Lutheranis, verba Concilii de præcepto interpretantibus, fortiter se opponunt. Neque aliter fere voces, *venerandus, invocandus*, a præstantissimis scriptoribus sæpe accipi, quam pro eo, quod decet, *Horatii* & aliorum locis ostenditur; Theologis autem nulla legum ferendarum facultas concessa est. Et de malis, quæ ex dialecticis eorum concertationibus procedunt, Patres Ecclesiæ omni ætate conquesti sunt. Destitutus ergo sacræ Scripturæ & Tridentini Concilii præsidio *Phrynondas*, ex *Thomæ Aquinatis* verbis: *Deus vult, & oportet invocare*, legem de Sanctis invocandis conficit, eamque esse Ecclesiæ mentem, ex precibus, tum in Missa, tum in laudibus divinis, a Clero persolvi solitis, præcipue vero ex Symboli Apostolici Capite de communionem Sanctorum, probare annitur. Quæ quidem argumenta admodum infirma sunt. Non aliunde enim, quam a *Platonicis*, qui varios dæmones, Deum inter ac homines intermedios, commenti sunt, Sanctorum cultus originem ducit. Cui perniciosæ doctrinæ *S. Augustinus* se opposuit, unicum Christum Dei ac hominum mediatorem esse, declarans. In quo consentientes habet *Hilarium, Chrysostomum, Bernardum*, alios, licet *Pseudo-Dionysius, Platonicis* commentis

refertus, in diversa abeat, quem, ut in multis aliis, secutus est Divus *Thomas*. Maxima autem *Phrynonde* blasphemia est, dum dicit, adesse Sanctos, ne nimis familiariter cum Deo ageremus. Porro ex Festorum in honorem Sanctorum institutione cultus, non vero necessitas, probatur. Haud magis feliciter in Patrum, de necessaria *Mariae* invocatione, consensu ostendendo versatur Auctor, quorum testimonia, eundo per Seculorum ordinem, adducit. Primum *Dionysio Arcopagite* in *S. Brigittae revelationibus* tribuitur, non sine maxima fraudis suspitione. *Mariam mediatricem* appellat, quod aliter accipi nequit, quam pro ea, quæ in vita spirituali nobis adjutorio est. Iustum autem discrimen inter Deos ac homines, tum in ipsa colendi ratione, tum in honorum titulis, statuendum, cavendumque est, ne creatis rebus nomina, soli Deo debita, tribuantur, multo minus monstra illa opinionum, *Mariam* posse cultu latræ adorari, eamque unicam, & maxime compendiosam, ad salutem viam esse, dudum explosa, renoventur. Quod nec *Origenes* inficiatur, qui, creata honore digna esse, non cultu & adoratione, in libris contra *Celsum* profitetur. Urget adversarius *Irenæi* locum, quo *Maria Evæ advocata* dicitur. Sed verba ejus aliter intelligi non debent, quam quod *Maria* preces pro nobis ad filium effundat, nobis subinde id non orantibus; quemadmodum *Christus* pro nobis apud patrem intercedit, quamvis cum prius non precati simus. Quare ex imperfecta *Evæ & Mariæ* comparatione nihil concludi potest. Adscribitur primis Seculis nostra salus *Mariæ*, se cum Deus ad complenda sua consilia tantum usus sit rerum creatarum ministerio, ea tantum ut instrumenta consideranda sunt, nec ad ea referendum, quod soli Deo convenit. Ex quarto Seculo non nisi spurios scriptores *Phrynondas* adducit, ut *Athanasii* Sermonem de Deipara, *Basilii* Liturgiam, *Epiphanium* de laudibus Deiparæ, & *Hieronymi* Sermonem de ejus assumptione, quam illa ætas plane ignorabat. Ex quinto Seculo *Augustini* Sermo 35 de Sanctis, in quo porta paradisi & scala celestis *Maria* audit, allegatur, quem *Benedictini* ex sua editione, ut spurium, rejecerunt. Seculo sexto *Andreas Cretensis* adscribitur, qui tamen ad octa-

vum

vum pertinet. Patres, qui infecuris temporibus scripserunt, quamvis religionis summa veteribus nihil concedant, eruditione certe multo inferiores fuerunt. Ea occasione præstantissimus Vindiciarum Autor canones aliquot de usu & interpretatione Patrum, ex *D. Thoma, Melch. Cano, Sixto Senensi, Petavio, Mabillonio, Dupinio, & Muratorio*, addit. Et primo quidem, præcipuam, ait, sacri Codicis auctoritatem esse, cui si repugnent Patres, nullam eorum habendam rationem esse. Deinde, locutiones Patrum quorundam improprias, vel incautas, non arripendas contra receptam catholicorum opinionem. Porro, lapsus Patrum benigne excusandos, non ad confirmanda dogmata adhibendos esse. Quando idem scriptor diversis in locis pugnantia docere videatur, dispiciendum esse, ubi controversiam illam data opera pertractet. Postea animadvertendum esse, scriptores non solum post sextum Seculum, sed etiam antiquiores, loca quædam Scripturæ pro arbitrio interpretari. Postremus canon est, id demum firmum ac ratum esse, quod ubique & ab omnibus tradatur. Ex quibus omnibus apparet, non ita inhærendum esse iis, quæ in fervore disputandi prolata sunt, ut inconsiderate arripiantur; quare etiam *Baronius & Bellarminus* reprehenderunt in Patribus, quod dignum reprehensione videbatur. Ad reliqua deinde testimonia examinanda Autor pergit, & locum *Gregorii*, quo *arcam sanctificationis Mariam* appellat, ex supposito scripto allegatum esse, ostendit. Et, quanquam, *Mariam* pie & allegorice ita vocari posse, concedat, non tamen quidquam inde præsidii pro stabilienda assertionem accedere. Queritur de iis, qui maximam vim locis inferunt, dum, quæ unico ad Christum mediatorem spectant, licentia plane non ferenda, ad *Mariam* referunt; quod tamen non ita accipi vult, quasi preces, ab ecclesia institutas, aut inter Missæ solennia recitatas, improbet. Deinde *Martini I* verba, tacito auctoris nomine a *Phrynonda* adducta, ex Monothelitarum historia, & Concilii Lateranensis actis, erudite illustrantur. Eo enim perventum erat fraude & insidiis inimicorum, ut *Martinus* accusaretur, non, quod *Mariæ* opem haud necessarium putaret implorari, sed quod eam non crederet Dei genitricem esse. Quibus re-

spondit Pontifex, se Dei genitrici debitum honorem nunquam negasse, de invocatione nec verbo meminit. *Idephonsi Tolentani*, quem *Benedicti* regulæ additum *Pbrynondas* vulgari errore putat, verba: *Mariam in omnibus auxiliatricem esse*, ipsi minime favent; uti nec illa, quæ ex *Germani junioris de Zona* Sermone producit: *nullum esse, qui salvus fiat, nisi per Mariam*. Non alium enim sensum habent, quam *Mariam* universorum salutis, tanquam Christi matrem, consuluisse. Ad *Jo. Damasceni*, quem etiam pro *Benedictino* habet, locum: *Mariam tanquam reginam verissimo dominatu potiri*, respondet, eum ex spurio scripto excitatum esse, & neminem tam mente captum fore, ut existimet, Deum, quem sacræ literæ dignitatis suæ zeloten appellant, alium regem seu reginam in suo regno passurum esse, & honoris tantum causâ *Mariam* reginam appellari. Neque majoris momenti sunt *Petri Damiani* & *Bernardi* verba; *Alberti* autem & *Bonaventuræ*, nisi ad ecclesiæ mentem explicentur, veniam potius, quam laudem, merentur. Verum quidem est, Patrum nonnullos *Mariam matrem omnium* appellasse: neque immerito. Nam, cum Christi mater fuerit, Christus autem se nostrum fratrem dicat, sane consequitur, eam nostram quoque matrem esse, minime autem lex de ea necessario invocanda. Et ita *Gregorii VII* verba accipi debent, qui *Mariam* omni matre carnali mitiorem & promptiorem ad nos juvandos dicit. Ex iis, quæ a nobis hætenus adducta sunt, apparet, quam sæpe *Pbrynondas* legem, ne quis in concione nominatim traducatur, violaverit, & quod pejus est, quanta ignorantie suæ in Grammatica, Dialectica, Criticæ, verbo, scientiis omnibus, testimonia ediderit. Quare etiam ipsius Oratio nulli eruditorem *Benedictinorum* probata fuit, quippe qui facile intelligunt, eum & socios sceleris, sycophantas reliquos, catholicæ religionis & Romanæ ecclesiæ gloriam obsecrasset. Eos Autor hortatur, ut, rejectis barbaris studiis, majorem in posterum honorem criticæ arti & ecclesiasticis antiquitatibus habeant, & præclaros familiæ *Benedictinæ* Socios imitentur, quorum opera effectum est, ut maxima universæ eruditioni incrementa accesserint. Est hæc hoc *Vindicium* Opus præstantissimum & plane eximium.

tum

tum argumenti dignitate, quippe quod cultum B. Virginis ex monumentis ecclesiasticis egregie illustrat, tum nitore verborum, & luminibus dictionis, quæ elegantissima, & ad normam veterum scriptorum feliciter expressa est. Non frustra auguramur, fore, ut Benedictini Salisburgenses, excusso torpore, ad bona studia, tanti Viri monitis & exemplo, aliquando excitentur. Certe maximi viri, & literarum per Germaniam instauratores, non aliis olim armis inveteratam barbariem aggressi sunt, nec alia ratione nomina sua famæ & immortalitati commendarunt, quam abominandam ignorantie faciem, simul vero quid pulchrum in humanioribus studiis ac fere divinum sit, demonstrantes.

Subjuncta his *Vindiciis* est Sylloge testimoniorum ex scriptis catholicis, tum Latinis, tum vernaculis, e quibus, cultum Sanctorum non necessarium, nec præceptum, esse, apparet; quam *Phrynonda*, seu P. *Placidi Beckhu*, Oratio Germanica cum Latina versione excipit.

ANTI-MACHIAVEL, OU ESSAI DE CRITIQUE SUR
le Prince de Machiavel, &c.

id est,

ANTI-MACHIAVELLUS, SEU SPECIMEN CRITICUM in Principem Machiavelli, editum opera Domini DE VOLTAIRE, formis publicis descriptum secundum editionem authenticam Editoris.

Gottingæ, impensis Abrahami van den Hæck, librarii & typographi Academici, 1741, 8.

Plag. 15.

Mentionem injicimus libelli auro contra cari, ac multis nominibus eximii. Autor ipsius mensuram mentis illustrissimæ maximæque implet, quam Deus ipse raro exemplo formavit, ac in theatrum orbis, quæquæ patet, universi produxit ad genus humanum virtuti jungendum & præceptis & exemplis. Conjecit Heros tantus, alter *Antoninus Philosophus*, paucis abhinc annis cogitata sua in chartam, quæ magna & lucidissima ipsi

ipsi mens dicaverat. Annos tunc habebat haud adeo multos, totus tamen in eo excubans, ut sapientiae ac virtuti soli assuesceret. Constituerat, & apud sese deliberatum habebat, instillare sibi met præceptiones sapientiae plenas. At hæ sic sunt comparatae, ut dignæ sint, quæ existant speculum Regum omnium, & securigo salutis felicitatisque, ad universum genus humanum profluentis. Communicavit idem id manuscripti cum *Voltaire*, qui, permissu Serenissimi Autoris, illud in dias luminis auras exire iussit. Venenum *Machiavelli* publice dudum prostat. Merito itaque antidotum ejus publicam in lucem exit. Mirum sane est, Autorem summum, in Gallia nec natum, nec educatum, in sermone Gallico scriptura tam nobili, tantæque energiae plena, sæpiusque purissima, libellum hunc concinnasse. *Amelotus de la Houffaye*, cujus in *Machiavelli* Principem metaphrasis & annotationes Gallicæ hic denuo comparent, inferior est Autore, sive scripturam, sive philosophiam respicias practicam. Interest generis humani, virtutem hic ornatius delineatam esse, quam vitium vitiorumque compagem, a *Machiavello* admissorum. Non ubique *Machiavellus* agit *Spinozam* politicam; sed dantur etiam loca, quæ elogio non proflus sunt indigna. Quare passim ei non est opposita hic refutatio, sed elegantissimæ meditationis illi appositæ sunt dapes. Peccavit *Amelotus* in eo, quod *Machiavello*, doctrinam generi humano funestam professõ, frigidam ubique suffudit, & *Justi Lipsii* autoritate suffragioque eum præmunivit, cujus tamen hoc de *Machiavelli* Principe est judicium: *Utinam Principem suum recta duxisset ad templum virtutis & honoris*. Quæ verba *Amelotus* ex industria suppressit. Irrita sunt *Ameloti* pro *Machiavello* vindiciæ, quemadmodum *Voltaire* in Præfatione sua ostendit. *Princeps Machiavelli* circa annum 1515 fuit editus, ac *Laurentio de Medicis* inscriptus, *Leone*, cujus *Laurentius* ille erat nepos, Romanæ Ecclesiæ præsidente, anno demum 87 damnatus, ex quo fuerat editus in lucem. *Clemens VII* Papa A. 1531 instruxit Opera *Machiavelli* universa privilegio eximio & singulari. Jesuita *Passevinus* Romæ classicum cecinit in hunc librum A. 1592, quem tamen haud legerat. Ex eo factum, ut *Innocentius IX* scripta *Machiavelli*

chiavelli carbone existimaret notanda. Et sine Princeps *Machiavelli* aptus est ad Politicam corrumpendam, & ad præcepta salubrioris Ethices destruenda. Non potest ille non incidere in manus Principum ac eorum, qui Principum sunt a consiliis. Inundationes, fulmina, ac pestes, hominibus haud æque nocent, ac *Machiavelli* Princeps. Mala enim illa sunt temporaria, venenum vero *Machiavelli* diuturnum, qui, exempla Principum ætatis suæ teterrima secutus, doctrinas suas ad ea conformavit. Effent in Historia conservandæ duntaxat egregiorum Principum vitæ, ut illibata tantum virtutis exstarent exempla, & meritorum egregiorum merces ejusmodi imitatores redderet bene multos. Peccavit utique *Machiavellus* in prudentiam, justitiam, & bonitatem, Principum ornamenta. Quibus causis Illustrissima Autoris mens adducta & impulsâ fuit ad splendorem virtutum in thronos reducendum, furo & veneno *Machiavelli* ad Acheronta deturbato. Latius id ipsum exponitur in prologo, quem *Auctori* excipit Præfatio, quam attingere nec necessarium est, nec consultum. Editiones hujus *Anti-Machiavelli* pene obliti fuissimus. Minus genuinæ prodierunt in lucem A. 1740 Londini ac Haggæ Comitum. Hæc genuina formis publicis descripta exiit Haggæ Comitum, exeunte anno eodem, ac denuo Gottingæ fuit A. 1741 repetita. Dolendum tamen merito, in hac quarta navos nonnullos apparere typographicos, vel inconsiderantiæ cujusdam humanæ testes. Non est, quod hic de Gottingensi Germanica faciamus verba. *Princeps* ipse constat *Capitibus sex & viginti*. *Primo* ostenditur differentia gubernationum, & modus ad principatum perveniendi. Demonstrat Maximus Autor, propelli homines atque adspirare ad Principatum suscipiendum ac administrandum vel successione, vel electione, vel bello juste facto. Populi vero Principibus sese subjecerant, eodem docente, ob quietem suam & salutem, ne careant iudice in controversiis, ne tutela ipsis desit adversus hostes, & ut salus publica continent singulorum salutem. *Justitia* itaque esto prora ac puppis actionum Principis, ne ipse excedat modulos magistratus supremi, neve degeneret in usurpatorem. *Capite secundo* exponitur de Statibus hæreditariis. Commentatur hic Autor Maximus nonnihil de ipso eorum fundamento

- mento ac securitate. Vinculo Princeps hereditarius colligatus est intimo cum serie familiarum potentiorum, quarum pars maxima ipsi debet bona atque amplitudinem. Securitatem publicam Principatui conciliat miles potens ac perpetuus, ambitioni vicinorum oppositus. Rebellionem excitat tyrannus & rigida dominandi ratio. Principem, qui felicitatem suorum serio curæ cordique habet, amant universi, tantum abest, ut subjecti de rebellando suscipiant cogitationes. Duces ipsos Lotharingæ nuper Lotharingi admodum invisi valedicturos desiderabant, acquiescentes quippe diutissime in sinu Ducum optimorum. *Capite tertio* differitur de Statibus mixtis. Autor Maximus, hic longe utilissima edisserens, ostendit graphice inconvenientiam & turpitudinem dominorum, qui alieni nunquam non sunt appetentes, ac ob vanas cupiditates homines, in quos potestatem usurpant, reddunt infelices. Delineat molestam imperiorum, late sese diffundentium, molem, & ambitionum Principum, aliena involantium, eventus funestos. Suspicatur, eruditos ac Philosophos, qui Europam perpolivere, esse in causa, ut regnorum ac imperiorum possessiones nostra ætate inter Christianos sint stabiles minusque incertæ. Sedom a Principe in medullis regionis subjectæ commodissime eligi, monet. Colonos ac colonias prædicat *Machiavellus* in terras recens subactas mittendos. Quod consilium minus probatur Autori Summo, fatius esse rato, copias eo infundi, disciplinæ ordinisque tenaces, quas, tempore pacis ali solitas, ignoravit ætas *Machiavelli*. Negat ipse, discordias prudenter disseminari inter Principes circumvicinos. Probitatem ac defensionem oppressorum potius commendat, a patre sapiente profectam. Usurpationes detestatur, credens, gladium, tuendo sese datum, haud esse adhibendum ad violandas humanitatis ac virtutis leges. *Capite quarto* exponitur de modo thronum conservandi. *Machiavellus* artem parva tuendi collocat in despotismo. Distinguendum inter stabilitatem regni ac Regum. Hanc Oriens sæpius sensit turbari, illam haud æque, ob constantiam populorum. Galliarum Regum stabilitas pendet a copiarum multitudine, ac munimentis ubique collocatis. *Capite quinto* de terris differitur recens acquisitis. *Machiavellus* consultum duxit, regionem

gionem recens ditioni submissam exuere juribus ac viribus, ut
 secure ipsam possidere liceat. At monet Auctor Maximus, vim
 regni haud consistere in dilatatis finibus, sed in multitudine ac
 opibus incolarum. Illustrat hoc ipsum potentia Batavorum, Pag. 29.
 cum terris Russorum collata. Gens Russorum, ipso iudice,
 impotentior est copiis Batavorum, terra marique rem gerenti-
 bus, divitiis, & affluentia. Ipse credit, illum, qui rempubli-
 cam devicit bello iuste suscepto, posse eam pœnis defunctam
 reddere libertati, vel, si secus senserit, præfidiis instruere lo-
 ca munitiona, & libertatis fructus relinquere devictis Inviolatos.
Capite sexto agitur de Statibus novis, quos Princeps fortitudine 31.
 sua armisque ditioni suæ adjecit. Auctor Maximus abhorret ab
 ambitione, modum excedente, ac desiderio gloriæ effictæ. 33.
 Celebrat *Muchiovellus* exempla *Mosis*, *Cyri*, *Romuli*, *Thesæi*, ac *Hie-
 ronis*, qui imperia vi summa stabiliverint nova. At omittit ex-
 empla ambitiosorum regis potestatis ac regni procorum, *Juan-
 nis Leidensis*, *Richardi*, ex *Cromwellio* nati, *Pseudomessiarum*, &c.
Mosen perperam, judicante Summo Autore, *Muchiovellus* in-
 seruit classi *Cyrorum*, *Romulorum*, *Thesæorum*. Ipse enim fuit 35.
 singulare providentiæ divinx exemplum, qui sibi acquisivit nec
 regnum, nec opes, sed præscriptum Dei effectui dedit. 36.
 Acroa-
 matum instar Auctor consutationem suam exponit. En exem-
 plum unicum e plurimis: *Generatim & ingenue fateor, opus
 esse indole erectiori, animoso pectore, & prompta agendi ratione,
 aut equiparandum Thesæis, Cyris, Romulis, ac Mahumetis. At ne-
 scio, an illos virtutis cultores dicere fas sit. Fortitudo & prom-
 ta agendi ratio aque deprehenditur inter latrones vasti itineris,
 ac apud Heroas. Hoc eos intercedit discrimen, quod occupator
 novi imperii violentus est latro illustris, & alter est obscurus;
 ille accipit laureas & thura in mercedem violentarum actionum,
 hic vero funem. Quicumque sibi vult subicere sibi aequales, num-
 quam non est sanguinarius, & fraudum architectus. Principes
 fanaticorum Cevennensium vendicabant sese a Spiritu sancto af-
 flatos, & exemplo contumacabant eos, quos Spiritus ille condemna-
 verat. Scelerati hi, qui intra montium juga eludebant Deum ho-
 minesque, fortissimi erant, habendi pæne pro Diis temporum Fo-
 hi ac Zoroastri. Hieronis artem politicam eximie convincit*

- Autor, monens, virtutem a *Machiavello* appellari, quæ vocanda erat *perfidia*. Privato licere, credit, regale solum conscendere, nato in regno electivo, vel patriam liberanti. Huc refert *Sobiescium* Poloniæ, *Gustavum Wasam* Sueciæ, & *Antonios* Romæ, repudiens *Casarem Borgiam*, *Machiavelli* heroem. *Capitulum septimum* de gubernatione Principatus, recens parti, inscribitur. *Casaris Borgia* indoles & actiones hic delineantur, Principes Italiæ everſuri. *Capite octavo* recensentur ii, qui per crimina Principes evaserunt. Repudiat Autor Maximus exempla *Agathoctis* & *Olivieri Fermiensis*, a *Machiavello* laudata. Ostendit epidemicum malum, quod e lectione librorum male sanorum lectoribus instillatur. *Vitam Alexandri*, a *Curtio* scriptam, *Carolo XII*, Suecorum Regi, fuisse peccanti illucebram, prudenter significat. Adlit egregie: *Non est id in essentia nostra situm, ut ullus sceleratorum sit felix*. Crudelem hominem ad vivum ipse depingit. *Capite nono* exponitur de Principatu civili. Republicam lubenti animo Regi sese submittere, adversus *Machiavellum* negat Summus Autor, ominatus, respublikas tandem singulas recisuras sub despotismi habenas. Quod nisi metuerent sagaciores rerum publicarum custodes, ipsi certe potentiam suorum excellentiorem haud suspectarent. *Capitulum decimum* de viribus Principatuum ac rerum publicarum inscribitur. Comparat Maximus Annotator indolem rei bellicæ temporum *Ludovici XII* cum præſenti bella gerendi ratione. *Machiavellus* vires Principis, modumque eas tuendi, exegit ad perpendiculum rationis gubernandi, qualis sunt exstitit ætate, & qualem tempora abhorrent nostra. Si quis a fœderatis sit nudus, hostibus circumvicinis resistere haud valet. Contrarium tenuit *Machiavellus*. Sunt, qui sibi persuadent, fœderem, de mutuo auxilio inita, haud servari. At, licet nonnihil eorum violetur, fœderatus tamen fœderato haud nocebit palam, & ad minimum neutri parti erit addictus. Quid e re Principum sit exiguorum, Autor Maximus sollicitè ostendit. Urbium Germaniæ imperialium faciem & conditionem nitide depingit. *Capite undecimo* de Principatibus ecclesiasticis exponitur. Rationem, cur præſci mortales bella ob religionem haud gesserint, recenset Autor perpulchre, non minus investigans rationem, cur incolarum plerique in terris

Epi-

Episcoporum ac Clericorum sint mortalium pauperrimi. *Alexandrum VI* ac *Leonem X* a *Machiavello* laudari, Autor Summus non miratur, ratus, heroes tam flagitiosos præcone tali esse omnino dignos. Nec omittit monere, religionem retinere populos in obedientia, quam ipsi Regibus ægre essent præstituri. Ad *Caput duodecesimum* egregie prorsus commentatur de militibus, quibus potentia Principum & conservatur, & crescit. Ut Princeps præsto sit exercitui præliisque dirigendis, solide docet, e re esse sua. *Capite tertio decimo* de auxiliis agit. Præcipit ibi, ut Princeps promissa fœderatis data diligenter exequatur, laudatque hanc regulam: *Ita te gere, ut nec ab inimicis, nec ab amicis, tibi sit metuendum.* Auxiliis esse renuntiandum, *Machiavello* haud largitur. Extraneo enim milite Galli Batavique & alix gentes copias suas ita instruunt, ut polleant vjribus, alias desiderandis. Ad *Caput quartum decimum* Autor Maximus solidissime de usu venationum modico, Principibus non dissuadendo, dislerit, abusum egregie repræsentat & dissuadet. Addit nobilissimam hanc doctrinam: *Si feræ copiosiores nocent agricolis, cura eas destruendi optime demandatur venatoribus, ea propter stipendio ali solitis. Principum est curare, ut recte observent ea, quæ scire oportet, & subiectos regant, eum in finem, ut eo plus cognitionis & virium jungendi ideas adipiscantur. Ipsorum est recte cogitare, & congruenter fini proposito agere.* *Capite quinto decimo*, quo significantur ea, quæ sunt in causa, ut homines vel laudentur, vel vituperentur, Autor ad artem omnem commemorabilis integritatem seu probitatem prudentiamque commendat imis summisque, virtutes, ad quas sceleratorum quoque trepidat turba. *Capite sexto decimo* de luxu, æconomica prudentia, & liberalitate, exponit idem tam præclare, ut nihil solidius possit excogitari. Et, cum *Machiavello* crudelitatis, quam clementiæ, sit studiosior buccinator, *Capite septimo decimo* in omnin alia discedit, moderationem & severitatem necessitati rerum accomodatam laudans, crudelitate procul habita. *Capite octavo decimo* idem refellit merito *Machiavellum*, qui Principes artem fallendi promissa & dissimulandi docuit, meliora hic longe & nobiliora regnandi præsidia proponens. An Princeps debeat esse hypocrita, quæritur. *Machiavellus* affirmat. Autor inclytissimus vero sic sentit: *Populi amant*

Pag. 73.

80.

85.

91.

95.

101.

106.

120.

Principem scepticum magis, sed virum honestum & felicitatis ipsorum amplificatorem, quam orthodoxum sceleratum & maleficum. Non cogitationes Principum, sed ipsorum actiones, in causa sunt, ut homines ipsis subjeti reddantur felices. Fanaticismum esse aptum ad conjurationes & cædes in Principes faciendas, idem Cupite nono decimo monet, laudans formam, regendæ Angliæ præscriptam, quæ Regi indulget vires bene faciendi, at per primorum ordines, ne male agere possit, cavet. Admiramur Auctoris Maximi dexteritatem, in judicando splendentem; veneramur pretium virtutis ipso arbitro perquam auctum; suspicimus Heroem Philosophum, meritis proborum sese oblectantem; prædicamus jure summo diligentiam ejus, soliditati junctam, qua monstruosum Machiavelli systema evertit; gratulamur generi humano, quod in Autore Summo tantum vindicem ac felicitatis amplificatorem invenit; nec dubitamus, quin ex lectione hujus libri universus orbis reparationem & instaurationem seculi sit felicissime consecuturus. Simul ac librum attente ad calcem usque percurramus, & sæpius repetita lectione dignum, Diisque commendabilem, librum revolvimus, incidimus in illa Plinii ad Trajanum verba: Unum ille se ex nobis, & hoc magis excelsit atque eminent, quod unum ex nobis putat; nec minus hominem se, quam hominibus, præesse meminit.

Pag. 125.
127.

PHILOSOPHIÆ NATURALIS PRINCIPIA MATHEMATICA, Autore ISAACO NEWTONO, Equite Aurato; perpetuis Commentariis illustrata, communi studio P. P. THOMÆ LE SEUR & FRANCISCI JAGQUIER, ex Gallicana Minimorum familia, Mathematicos Professorum.

Tomus I.

Genevæ, typis Barrillot & filii, 1739, 4.

Alph. 3 plag. 3, cum aliquot Figuris, in æs incisus.

Si quod aliud humani ingenii monumentum, hoc certe æternum magni *Newtoni* Opus, vel maxime mereri ac postulare videtur, ut, luculentissimis Commentariis illustratum, pluribus familiare fiat. Cujus laboris aliquam partem quanquam jam
antea

aucta nonnulli occuparunt, editis introductionibus, variisque aliis scriptis, ad quædam Philosophiæ *Newtoniana* capita, pro mediocrium ingeniorum, ipsiusque vulgi ac tenerioris sexus & ætatis, captu, perspicue exponenda; nemo tamen huc usque integros *Newtoni* libros scholiis perpetuis, ad dignitatem rerum accommodatis, interpretari ausus est. Quo magis collaudare debemus egregiam operam doctissimorum P. P. *le Seur & Jacquier*, Romæ in Regio Conventu S. S. Trin. Matheseos Professorum, qui, nulla rei difficultate deterriti, *Newtoniana* Philosophiæ naturalis Principia mathematica annotationibus peramplis, & Commentariis perpetuis, explanare nuper instituerunt. Quanquam enim, quod nunc in manibus habemus, *Volumen solum Partem primam* Operis, sive *primum Newtoni Librum*, complectitur, minime tamen dubitare licet, quin etiam reliqui *duo Libri*, pari cura elaborati, propediem prodituri sint. Sed juvat ipsis Autorum doctissimorum verbis rationem reddere instituti, de quo ad rerum mathematicarum studiosos hoc modo præfantur: "Quam recondita sint simul & utilia *Philosophiæ naturalis Principia mathematica*, norunt ii omnes, qui vel ipsum clarissimi Autoris nomen audierunt. Tanta est rerum dignitas atque sublimitas, tanta sermonis plus quam geometrica brevitatis, ut præstantissimum illud Opus paucissimis duntaxat Geometris factum videatur. Eas ob causas viris Matheseos cultiorisque Physices studiosis gratissimam fore putavimus eo modo comparatam interpretationem, ut omnes tam utilis Philosophiæ propositiones, corollaria omnia atque scholia, inoffenso pede possint decurrere, qui vel ipsis Geometriæ & vulgaris Algebræ elementis probe imbuti sunt. Quod ut præstaremus, *Mechanices & calculi infinitorum principia*, quantum instituti nostri ratio postulat, *Newtoni* vestigiis insistentes, demonstravimus. Perbreve, sed theorematum fecunditate plenum, nostris Commentariis inseruimus Tractatum sectionum conicarum. Quæ vel minimum, nimia obscuritate, lectori negotium parere possent, ea omnia exponere, & in bono lumine collocare, conati sumus. Quæ in scholiis, corollariis, propositionumque serie, prætermittenda demonstratione, pronuntiat *Newtonus*, præmissis vel interjectis lemmatis, scrupulose demonstrata invenient, qui in sola doctissimi"

“simi Autoris verba jurare nolunt. Eximia, quæ in *Newtoni* “propositionibus latent, inventa deteximus atque evolvimus. “Tandem, cum præstantissima illa summi Viri Principia non so- “lum intelligere, sed & illam, quam sibi aperuit, ad inventionem “viam explorare, plurimum delectationis habeat & utilitatis, dis- “perla huc & illuc generalia quædam Problemata Lector repe- “riet.” Hæc doctissimi nostri Interpretes; qui proinde operam se destinasse suam profitentur, nec præstantissimis Mathematicis, neque imperito Philosophorum vulgo, sed iis, qui & primis Matheleos elementis probe instructi sint, & tali polleant mentis acie, ut longioris demonstrationis vim atque fericm studiose persequi, & animo comprehendere, possint. Cum vero nullum paulo difficiliorem *Newtoni* locum intactum relinquant, tum imprimis diligenter & copiose in hoc *primo Volumine* agunt de collisionibus corporum, tam perfecte, quam minus perfecte, elasticorum, de descensu gravium, de potentiis mechanicis, de viribus centralibus, de oscillationibus pendulorum, de methodo fluxionum, de sectionibus conicis, & de inveniendis planetarum anomaliam coæquata, ex data anomalia media; quo loco non solum methodum *Wardi* & *Cassini* exponunt, sed & eam, quæ *Newtono* magis propria est, *Gregorio* & *Keillio* intactam, studiose persequuntur. Laudant passim, atque honoris causa nominant, viros doctos, quorum ipsis labor utilis existit, *Dav. Gregorium*, *Varignonium*, *Hermannum*, *Bernoullium*, *Wolffium*, *Bulfingerum*, & alios. Tandem etiam publicum grati animi testimonium perhibent Viro Clarissimo, *J. L. Calandrino*, in Academia Genevensi Professori, rerum mathematicarum peritissimo, qui hanc ipsam *Newtoni* editionem adornari curavit ad normam illius, quæ Londini prodiit A. 1726. Atque is (ut Commentatores nostri fateri non dubitant,) non solum id sibi laboris assumpsit, ut schemata incidi ac disponi, & typographica menda corrigi, sedulo curaret, sed etiam ea, quæ supra laudata sunt, sectionum conicarum elementa composuit, & quæ ab illis non satis perspicue videbantur exposita, propriis notis illustravit. De quo suo labore, & maxime de propriis annotationibus, quæ asterisco (ut suspicamur) a reliquis distinguuntur, cur ipse ne verbo quidem lectores monuerit, non liquet.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCXLII.

Pars II.

DE SERVORUM DEI BEATIFICATIONE ET
Beatorum Canonizatione Liber quartus & ultimus, Au-
tore PROSPERO DE LAMBERTINIS, S. R. E. Car-
dinali tit. S. Crucis in Hierusalem, Anconæ primum
Episcopo, postea Archiepiscopo Bononiæ.

Bononiæ, formis Longhi, Excusoris Archiepiscopalis,
1738, fol.

Alph. 8 plag. 18.

Accedimus tandem felicibus auspiciis ad enarrandum *Tenuum*
Operis copiosi & doctissimi *postremum*, Eminentissimis Car-
dinalibus, sacrorum rituum Congregationi præpositis, & Re-
verendissimis ejusdem Congregationis Consultoribus, inscriptum.
Hæc enim ea est Congregatio, cui Summus Pontifex *Sixtus V* non
modo causas Beatificationis & Canonizationis universas, sed ce-
tera etiam ejusdem generis momenta, ad cultum servorum Dei,
Beatorum, Sanctorum, quomodocunque pertinentia, deman-
davit, & deferri mandavit. Autor Maximus ipse, dum Ad-
vocati Consistorialis munere functus fuit, & scribendo & di-
cendo præstitit huic operam suam non solum in causis Bono-
niensium civium, *Pii V* & *Catharine Vigrie*, quæ ipsius patro-
cinio fauste cesserunt, sed etiam in aliis permultis, quæ scri-
ptis ejus publicis declarantur. Idem, amplissimo *Clementis XI*
beneficio ad eximium Promotoris fidei munus evectus, quæ-
cunque a sese per integrum viginti annorum spatium in causas

T

Beatifi-

- Beatificationis & Canonizationis, & in Beatorum Sanctorumque cultum, animadversa sunt, hujusmet Congregationis judicio credidit omnia atque subjecit. *Prima Partis* hæc sunt capita. Differitur hic 1) de miraculis, & miraculorum gradibus, 2) de causa miraculorum efficiente, 3) de causa eorum finali, ac differentiis vera inter & falsa miracula, 4) de malis angelis, infidelibus, hæreticis, & Antichristo, qua ad miraculorum materiem res attinet, 5) de miraculorum necessitate in causis Beatificationis & Canonizationis, 6) de miraculorum numero & qualitate, in causis Beatificationis & Canonizationis requisita, 7) de scriptis Gallorum, quibus isthæc confirmantur, 8) de miraculosa sanatione a morbis & infirmitatibus, 9) de miraculosa cæcorum illuminatione, 10) de mutis surdisque miraculo restitutis, 11) de claudorum gibberumque sanatione miraculosa, 12) de paralyticorum, 13) epilepticorum, & hysterica imbecillitate laborantium, 14) mania & hydrophobia confictantium, ac 15) hydrope, empyemate, & hernia, laborantium, miraculosa sanatione. Tum oratio sese convertit 16) ad miraculosam liberationem a fluxu sanguinis, & generatim ab hæmorrhagiis, & vulnerum curationem miraculosam, 17) sanationem a lepra, cancro, gangræna, aliisque morbis, 18) a febrî, 19) a variis infirmitatibus, 20) immo ad partum miraculosum, & ad revocationem mortuorum in vitam. Porro differitur 22) de miraculis negativis, 23) de rerum multiplicatione, & rerum in alias res conversione, 24) de miraculis, respicientibus dominatum in elementa & res creatas, destitutas ratione, simulque animatas, 25) de quibusdam miraculis, quæ in cœlis ac terra contingunt, 26) de sudore sanguineo & lachrymis sanguineis, a corpore & oculis fervorum Dei manantibus, & de lumine ac splendore, quo eorum facies aliquando refulget, ac 27) de longa abstinentia a cibo & potu. Tandem exponitur 28) de quibusdam spiritualibus miraculis, 29) de ejectione dæmonum a corporibus obsessis, 30) de cadaverum ἀφθαρσία, 31) de nonnullis cadaverum qualitibus, sanguine, liquore, & odore, 32) de Beatorum & Sanctorum apparitionibus, qua inter miracula recensendis, atque 33) de imaginatione, ejusque viribus.

ribus. Succincte jam Autor Maximus dixerat de miraculis *Libro & primo & tertio*; at nunc longius latiusque hoc argumentum suscepit pertractandum. Ipse opera sublimiori, quam naturæ ordine fieri solita, refert in miraculorum classem, e. g. pii justificationem. Miraculo, ipsius judicio, proprium est, esse arduum, insolitum, & admirandum, excedere facultatem naturæ & ordinem rerum naturalem, dum Deus producit effectus causarum secundarum sine ipsis, aut producit aliquos effectus, ad quos causæ secundæ sese non extendunt. Creationem respectu Dei esse miraculum, rigide loquendo esse negandum credit. *Thomam Aquinatem* in hac doctrina sequitur, & veram miraculi indolem constituit in eventus excessu supra vires & facultatem naturæ, rarus, excessum illum esse triplicem, unde alia miracula sint supra naturam, alia contra naturam, & alia præter naturam. Qui triplex miraculorum gradus ab ipsis *Rotæ Auditoribus* assensu roborantur. Hostes *Josue* non grandine, sed lapidibus, per angelos fuisse percussos, quorum *Josue Cap. X* fit mentio, Autor Summus arbitratur. Idem admittit connexionem causarum secundarum, earum subordinationem, & partium universi inter se dispositionem fixam & constantem, a Deo libere dirigi solitam, ita tamen, ut miracula & prodigia sint opus liberæ Dei voluntatis. Largitur ac fatetur præterea, 1) non omnem naturæ creatæ virtutem nobis esse notam, 2) miraculum, respectu ad nos habito, esse, cum aliquid fiat præter ordinem naturæ creatæ, 3) a spiritibus edi posse nonnulla, quæ vires vel hujus vel illius partis mundi excedant, 4) ac dari quædam vera miracula, quæ vires totius naturæ creatæ non superent. Deus omnino solus edere potest miracula genuina. A Christo vera, eaque non una, edita fuisse miracula, Autor Summus contra *Thomam Woolstonum* & empæctas tum ex sacris literis, tum ex *Josephi & Juliani Apostatæ* testimoniis, docet. Ab Angelis bonis posse fieri miracula generis secundæ virtute propria, sed jussu Dei, docet idem. Adjungit deinceps hæc: Ab hominibus quoque sanctis, sive dum viverent, sive post eorum obitum, miracula edita fuisse, undequaque exploratum est. Eisdem huic veritati faciunt sancti Patres, testes oculati, *Irenæus videlicet*

Pag. 2.

3.

5.

9.

12.

15.

19.

- videlicet II, 66, Chrysostomus Tom. V Serm. 67, Hilarius in libro adversus Constantium Imperatorem, Gregorius Nazianzenus Orat. 18, Augustinus de Civ. Dei XXII, 8, Hieronymus in Libro contra Vigilantium, & Theodoretus Orat. 8 adversus gentes. Pollicitus est Christus Cap. ult. Marci, donum miraculorum in Ecclesia sua esse perseveraturum. Testimoniis deinde Gregorii Magni ac Augustini fultus, docet, miracula, postquam tyranni ecclesiam vexare intermiserunt, esse minus crebra, nec tamen nulla.
- Pag. 20. Miracula esse signum ecclesie veræ ac eorum, qui cœlitibus adorandis adscribuntur, addit idem. Controversiæ, an Christus homo, angeli boni, & homines, sint causa miraculorum vel physica, vel potius moralis, recenset argumenta in utramque partem, nec tamen eam decidit. Subdit potius tandem: *Docere sufficiet, Deum solum esse veram causam efficientem, independentem, autoritativam, miraculorum, & creaturas in operatione miraculorum esse divine potentiæ instrumenta, sive id referatur ad causam moralem, sive ad physicam. Etenim, etiamsi sententia admittatur, quæ creaturam agnoscit tanquam causam cooperatricem physicam miraculorum, id porro tamen suprema divine maiestati nullum affert præjudicium, eo modo, quo vera remanet idea Dei, uti autoris gratiæ, in Sacramentis, licet dicatur, Sacramenta esse causas physicas gratiæ.* Quæri solet, an cacodæmones patrare possint miracula. Thomas, ea ab illis propria virtute edî posse, negavit; posse tamen ab eis nonnihil fieri, affirmavit, quod humanam facultatem & considerationem excedat, quodque large & improprie miraculum possit dici. Reddit tamen semper quæstio, quænam homini suppetant signa, quibus instructus hæc miracula improprie dicta a divinis & genuinis possit discernere. Prodigia, a Magis Ægypti edita, Calmetus pro officiis & illusionibus oculorum reputat. Thomas autem vere serpentes ranasque existimat ab eis fuisse productas. Autori Maximo haud lubuit, alterutri sententiæ deferre principatum. Id vero cõtendit, vera miracula a dæmone fieri haud posse, licet ab eo nonnunquam ea sint facta, quæ vires excedant facultatemque naturæ visibilis atque corporeæ. Receptam esse & veram sententiam, existimat, uxorem *Lori* quæ dicitur
22. *Docere sufficiet, Deum solum esse veram causam efficientem, independentem, autoritativam, miraculorum, & creaturas in operatione miraculorum esse divine potentiæ instrumenta, sive id referatur ad causam moralem, sive ad physicam. Etenim, etiamsi sententia admittatur, quæ creaturam agnoscit tanquam causam cooperatricem physicam miraculorum, id porro tamen suprema divine maiestati nullum affert præjudicium, eo modo, quo vera remanet idea Dei, uti autoris gratiæ, in Sacramentis, licet dicatur, Sacramenta esse causas physicas gratiæ.* Quæri solet, an cacodæmones patrare possint miracula. Thomas, ea ab illis propria virtute edî posse, negavit; posse tamen ab eis nonnihil fieri, affirmavit, quod humanam facultatem & considerationem excedat, quodque large & improprie miraculum possit dici. Reddit tamen semper quæstio, quænam homini suppetant signa, quibus instructus hæc miracula improprie dicta a divinis & genuinis possit discernere. Prodigia, a Magis Ægypti edita, Calmetus pro officiis & illusionibus oculorum reputat. Thomas autem vere serpentes ranasque existimat ab eis fuisse productas. Autori Maximo haud lubuit, alterutri sententiæ deferre principatum. Id vero cõtendit, vera miracula a dæmone fieri haud posse, licet ab eo nonnunquam ea sint facta, quæ vires excedant facultatemque naturæ visibilis atque corporeæ. Receptam esse & veram sententiam, existimat, uxorem *Lori* quæ dicitur
23. *Docere sufficiet, Deum solum esse veram causam efficientem, independentem, autoritativam, miraculorum, & creaturas in operatione miraculorum esse divine potentiæ instrumenta, sive id referatur ad causam moralem, sive ad physicam. Etenim, etiamsi sententia admittatur, quæ creaturam agnoscit tanquam causam cooperatricem physicam miraculorum, id porro tamen suprema divine maiestati nullum affert præjudicium, eo modo, quo vera remanet idea Dei, uti autoris gratiæ, in Sacramentis, licet dicatur, Sacramenta esse causas physicas gratiæ.* Quæri solet, an cacodæmones patrare possint miracula. Thomas, ea ab illis propria virtute edî posse, negavit; posse tamen ab eis nonnihil fieri, affirmavit, quod humanam facultatem & considerationem excedat, quodque large & improprie miraculum possit dici. Reddit tamen semper quæstio, quænam homini suppetant signa, quibus instructus hæc miracula improprie dicta a divinis & genuinis possit discernere. Prodigia, a Magis Ægypti edita, Calmetus pro officiis & illusionibus oculorum reputat. Thomas autem vere serpentes ranasque existimat ab eis fuisse productas. Autori Maximo haud lubuit, alterutri sententiæ deferre principatum. Id vero cõtendit, vera miracula a dæmone fieri haud posse, licet ab eo nonnunquam ea sint facta, quæ vires excedant facultatemque naturæ visibilis atque corporeæ. Receptam esse & veram sententiam, existimat, uxorem *Lori* quæ dicitur
26. *Docere sufficiet, Deum solum esse veram causam efficientem, independentem, autoritativam, miraculorum, & creaturas in operatione miraculorum esse divine potentiæ instrumenta, sive id referatur ad causam moralem, sive ad physicam. Etenim, etiamsi sententia admittatur, quæ creaturam agnoscit tanquam causam cooperatricem physicam miraculorum, id porro tamen suprema divine maiestati nullum affert præjudicium, eo modo, quo vera remanet idea Dei, uti autoris gratiæ, in Sacramentis, licet dicatur, Sacramenta esse causas physicas gratiæ.* Quæri solet, an cacodæmones patrare possint miracula. Thomas, ea ab illis propria virtute edî posse, negavit; posse tamen ab eis nonnihil fieri, affirmavit, quod humanam facultatem & considerationem excedat, quodque large & improprie miraculum possit dici. Reddit tamen semper quæstio, quænam homini suppetant signa, quibus instructus hæc miracula improprie dicta a divinis & genuinis possit discernere. Prodigia, a Magis Ægypti edita, Calmetus pro officiis & illusionibus oculorum reputat. Thomas autem vere serpentes ranasque existimat ab eis fuisse productas. Autori Maximo haud lubuit, alterutri sententiæ deferre principatum. Id vero cõtendit, vera miracula a dæmone fieri haud posse, licet ab eo nonnunquam ea sint facta, quæ vires excedant facultatemque naturæ visibilis atque corporeæ. Receptam esse & veram sententiam, existimat, uxorem *Lori* quæ dicitur
28. *Docere sufficiet, Deum solum esse veram causam efficientem, independentem, autoritativam, miraculorum, & creaturas in operatione miraculorum esse divine potentiæ instrumenta, sive id referatur ad causam moralem, sive ad physicam. Etenim, etiamsi sententia admittatur, quæ creaturam agnoscit tanquam causam cooperatricem physicam miraculorum, id porro tamen suprema divine maiestati nullum affert præjudicium, eo modo, quo vera remanet idea Dei, uti autoris gratiæ, in Sacramentis, licet dicatur, Sacramenta esse causas physicas gratiæ.* Quæri solet, an cacodæmones patrare possint miracula. Thomas, ea ab illis propria virtute edî posse, negavit; posse tamen ab eis nonnihil fieri, affirmavit, quod humanam facultatem & considerationem excedat, quodque large & improprie miraculum possit dici. Reddit tamen semper quæstio, quænam homini suppetant signa, quibus instructus hæc miracula improprie dicta a divinis & genuinis possit discernere. Prodigia, a Magis Ægypti edita, Calmetus pro officiis & illusionibus oculorum reputat. Thomas autem vere serpentes ranasque existimat ab eis fuisse productas. Autori Maximo haud lubuit, alterutri sententiæ deferre principatum. Id vero cõtendit, vera miracula a dæmone fieri haud posse, licet ab eo nonnunquam ea sint facta, quæ vires excedant facultatemque naturæ visibilis atque corporeæ. Receptam esse & veram sententiam, existimat, uxorem *Lori* quæ dicitur

diſtat vere in ſaxum, ſive in lapideum ſalem, fuiſſe converſam & immutatam, qui non modo pluvis liquefactus non ſit, verum etiam æmulans duritiem cujuſlibet duriffimi lapidis adhuc perſter. Incertum eſſe pronuntiat, an Chriſtus Dominus a Satana fuerit per aera translatus, ſiquidem Jeſus aſſuſerit tres diſcipulos, & duxerit in montem altum, *Matth. XVII, 1*, licet id de deportatione intelligi nequeat. Miracula vera a falſis internoſcere docet ex efficacia, duratione, utilitate, modo, & ſine. Scopum certe malum præſtigiæ & prodigiorum cacodæmonis declarant ejus mendacia, pravitas, intentata veritati clades, degener mens, ſtatim pateſcere ſolita, veritas, firmiſſimis Dei miraculis innixa. Diabolum per ſerpentem ad *Evam* locutum, largitur. Addit tamen: *Quomodocunque res ſe ſe habuerit, demonis locutio per ſerpentem fuit aliquid excedens vires & facultatem naturæ corporeæ ac ſenſibilis, ſed, deficientibus circumſtantiis utilitatis & finis, ea locutio verum miraculum dici non po- teſt. Uno verbo, nec Angelus bonus, nec Angelus malus, ſua naturali virtute poſſunt miracula facere, quæ excedant vires & facultatem cujuſcunque naturæ create. Angelus bonus naturalem & integram habet facultatem plura faciendi, quæ excedant vires & facultatem naturæ viſibilis & corporeæ, & cum obſequens Deo ea utatur, ſi id, quod efficit, ſupra vires & facultatem naturæ corporeæ & viſibilis, arduum, inſolitum, & ab unoquoque admirandum eſt, hoc utique claſſi miraculorum minorum, ſed quæ vera ſunt miracula, erit adſcribendum, & poſſiſſimo, cum efficacia, duratio, utilitas, modus, & ſinis, in eo numquam deſint, hujusque effectio miraculi erit in Deum referenda, tanquam in cauſam efficientem principalem miraculorum, qui Angelo, ſibi obſequenti, imperavit, ut ſua naturali facultate, vires & facultatem naturæ viſibilis & corporeæ excedente, uteretur. Angelus malus ſua naturali virtute plura facere poſſet, quæ excederent vires naturæ viſibilis & corporeæ ad inſtar Angeli boni. At, cum Deus ei interdixit in poenam peccati, & ne ob ſuam malitiam totum mundum perderet, prædicta uti facultate, neceſſe eſt, interdictum relaxari, ut ea uti valeat. Cum autem, relaxato interdicto, & effectis a dæmone nonnullis excedentibus vires naturæ*

Pag. 29.

30.

- visibilis & corporea, semper in eis deficiant veri miraculi characteres, modo recensiti, hinc est, quod effecta nunquam vera miracula dici poterunt, & etiam locus erit praesumptioni, quod facta fuerint per modum artis, qua obstat miraculo. Miracula enim sunt testimonium divinae virtutis & veritatis; & divinam bonitatem non decet ea daemone permittere secundum doctrinam Divi Thomae. Operæ pretium est, nosse sententiam Ecclesiae Romanae
31. ratione hujus dogmatis. Addit Summus Auctor, ordinem univ-
 33. versi, semel a Deo institutum, non posse ab ulla particulari causa immutari; nec non illud *Augustini de Trinitate III, 9*, difficile admodum esse, quin & impossibile, scire, quid daemones per naturam facere, & quid per Dei interdictum non facere, possint. Miracula, ab haereticis & infidelibus patrata, reputat fere pro meritis daemorum ludibriis. Pendet itaque fere miraculorum veritas, ipso iudice, ab ecclesiae notione, & hac in hunc vel illum sensum accepta, variare etiam debet dijudicatio de miraculi hujus vel illius veritate. Affert Summus Auctor has rationes: 1) gratiam miraculorum dari membris Christi; 2) ad ea edenda necessariam esse fidem supernaturalem; qua utraque careant haeretici & infideles. *Eschius tamen in Lib. II Sent. Dist. 7 §. 19* largitur, Deum uti posse paganis, haereticis, & schismaticis, tanquam instrumentis in patracione miraculorum, ut per ea veritas aliqua, ad fidem aut ad mores pertinens, approbetur. Huc referri solent loca *Marc. IX, 38, Luc. IX, 49, Castaldi* haec sunt: *Possibile est, Deum supernaturaliter concurrere ad miracula patrata ab haeretico vel idololatra ad justam defensionem, vel ad comprobendam veritatem catholicam.* Negat vero Maximus Auctor, Haereticos vel Schismaticos posse a Deo assumi tanquam instrumenta miraculorum patratorum. Eadem est sententia Thomae *Qualibet II Quaest. 4 Art. 6*. Noster ita: *Gratia miraculorum fere semper confertur membris Christi.* Laudat tamen illa *Baronii ad A. 765 n. 1* verba: *Quid aliud vera miracula, quam vox Dei, caelitus clamans, & comprobans ex eis fidem, cum ejusmodi gratia negata sit semper haereticis, ut vera miracula possent edere.* Miracula, quae *Apollonio Thyanaensi, Vespasiano, & Hadriano*, tribuuntur, esse fisiones, arbitratur,
37. reser-

testesque probatissimos sibi adjungit. De Antichristi miraculis, *Matth. XXIV*, in *Apocalypsi*, & *2 Theff. II*, memoratis, sedulo exponit, ea existimans fore ludibria & fallaces præstigias. Miracula vera fieri ad Dei gloriam, & confirmationem doctrinæ fidei, copiose demonstrat. Canonistæ quidem transsubstantiationem e numero miraculorum eximunt; attamen Pontifex Ecclesiæ Romanæ Maximus subdit hæc: *Eucharistiæ Sacramentum est memoriale omnium miraculorum*, provocans demonstrationis loco ad *Pf. CXI, 4*. De differentiis vera inter & falsa miracula varias Doctorum sententias producit, acquiescens in *Thoma* pronuntiato, qui miracula bonorum hominum ac magorum differre tradidit efficacia, duratione, utilitate, modo, ac fine. Dubitationes addit, quæ de miraculis oriri possunt, respectu 1) testium, quorum fides potest esse sublesta, 2) rei ipsius ac facti, an vires naturæ id superet, an sit verum, vel laboret contradictione. Omittimus reliqua, eo quod intra angustos conclusa est oratio nostra cancellos. Lectio multijuga, ordo, mascula & argumento dignissima dictio, doctrina admodum vasta, eruditio ex omni parte diffusâ, atque peritia Historiæ, Philosophiæ, Theologiæ, Jurisque Canonici, amplissima, hic adeo emicant lucemque spargunt, ut, licet hoc Opus a Pontifice Romanæ Ecclesiæ haud fuisset literis commendatum, universi tamen rerum literariarum æstimatores haud iniqui aperte fateri debeant, libro huic in suo genere ac argumento ab Ecclesia Romana principatum esse deferendum, huncque illis ipsis, qui vel plusculum, vel nonnihil, ab ea dissident, summam ingerere admirationem posse, multamque discendi materiam suppeditare universis.

Progrediendum nunc est ad *Partem secundam, seu posteriorem*. *Triginta & uno Capisibus* constat tractatio universa. *Primo* quidem exponitur de concessione Officii & Missæ in honorem Beatorum Beatificatione formali. *Secundo* agitur de nonnullis quæstionibus, quæ fiunt a doctoribus ratione momentorum eorundem. *Tertium* tractat de concessione Officii & Missæ in honorem Beatorum per Beatificationem æquipollentem & signanter per cultum, memoria hominum antiquiorem. *Quarto* diste.

Pag. 38.

45.

47

16.

- differitur de causa eadem, quantum ad eos attinet, qui tales habentur per Indulta Apostolica & per Patrum virorumque sanctorum scripta, immo quantum ad omnes. *Capite quinto* agitur de concessione Officii & Missæ in honorem nonnullorum Beatorum, qui sunt in antiqua cultus possessione, vel antiqua habent venerationis Indulta, licet in eorum causis nunquam confectus fuerit processus super casu excepto. *Sexto* exponitur de concessione Officii & Missæ in honorem Sanctorum canonizatorum. *Septimum* inscriptum est nonnullis aliis Officiorum concessionibus, in gratiam locorum quorundam particularium promulgatis. *Octavo* argumentum continuatur idem. *Nono* agitur de Officiorum concessione, ex iisdem titulis facta, pro ecclesia universali. *Decimo* repræsentatur concessio Officiorum propriorum. *Undecimo* exponitur de Titulis Apostoli aut Doctoris, quibus nonnulli Sancti appellantur in Officiis divinis, aut in ecclesiis particularibus, aut in Ecclesia Romana omni. *Duodecimo* alia adduntur de titulo Doctoris, alia vero exponuntur de titulo Martyris, & de titulo Virginis. *Tertio ac decimo* agitur de Breviario Romano, & ejus autoritate, aliisque nonnullis rebus, quæ ad Officia divina pertinent. *Decimo quarto* exponitur de electione Sanctorum in Patronos. *Decimo quinto* differitur de cultu, Sanctis, in Patronos electis, exhibendo. *Sequenti* agitur de Martyrologio Romano. *Decimum septimum* exhibet nominum descriptionem in eodem Martyrologio. *Duodevicesimo* agitur de elogiis, quæ in Martyrologio Romano nominibus Sanctorum, in eo descriptis, adduntur, & de nonnullis decretis sacræ Congregationis, ad idem Martyrologium pertinentibus. *Undevicesimo* differitur de nominum sanctorum additione in Litanis. *Vicesimo* exponitur de sacris imaginibus, ac nonnullis controversiis, ad eas referendis. *Sequenti* agitur de translatione corporum. *Vicesimo secundo* tractatur de modo, quo fieri debeant sanctorum corporum translationes. *Vicesimum tertium* perpendit identitatem sanctorum corporum & reliquiarum. *Vicesimum quartum* inscribitur de nonnullis quæstionibus, pertractatis in sacrorum rituum Congregatione, quantum ad sanctorum corporum identitatem pertinet.
- Sequenti*

Sequenti exponitur de loco, in quo sancta corpora sacraque Pag. 248.
reliquia debeant conservari, ac de momentis aliis, ad corpora
& reliquias Sanctorum pertinentibus. *Vicesimo sexto* agitur de
Sanctis baptizatis. *Vicesimo septimo* suppeditatur commenta-
rius de extractione, custodia, & distributione, sanctorum cor-
porum ac reliquiarum, quae extrahuntur ex cœmeteriis urbibus,
& de cultu illis debito. *Duodetricesimo* exponitur de cultu San- 273.
ctorum Veteris Testamenti. *Undetricesimo* exponitur de An-
gelis, & eorum cultu. *Tricesimam* inferibitur de nonnullis piis,
sed periculi plenis, petitionibus, a sacrorum rituum Congre-
gatione plerumque non admittis. *Ultimo* tandem differitur de 299.
examine nonnullorum miraculorum, quod aliquando peragitur
in sacrorum rituum ordinaria Congregatione. *Priori Parti* ac-
cessit Appendicis loco Dissertatio Academicorum instituti Bo-
noniensis de longis jejuniis. Quaestiones ea exeuntur duae:
una, an abstinentia longa ab omni cibo potuque, in plures
non solum dies, sed etiam menses atque annos, possit solis
naturae viribus produci; altera vero, an nonnullorum, qui &
id fieri posse affirmant, &, quomodo possit, exponere conan-
tur, opiniones firmæ stabilesque permanere sint, si a vete-
rum doctrinis, unde ab Autoribus suis depromtae fuerunt, ad
recentium Medicorum dogmata transferantur. Philosophemata
III. *Christiani Wolfii* hic fundamenti loco inserviunt. Recen-
sentur observationes & rationes passim *Berhaavii, Hoffmanni*, ac
Medicorum nostrae ætatis florentissimorum. Demorsos hic o-
mnia sapiunt ungues. Quantum ad Martyrologii lectionem at-
tinet, ea à Canonicis, in Capitulum, aut in Chorum, convenien-
tibus, prima finita, dudum fuit peracta. Martyrologium Ro-
manum *Gregorius XIII* correctum autoritate instruxit. Anti-
quissimum tribuitur *Hieronymo*. Exemplar ejus extraxit *Bol-
landus* e monasterio Epternacensi S. *Willebrordi*, illuc ab hoc
ex Anglia allatum. Alterum exemplar Lucæ inventum. Edi-
dit illud *Franc. Maria Florentinus* A. 1668. Martyrologio, quod
vulgo tribuitur *Ven. Bedæ*, correctores Romani, ut Romanum e-
mendarent, usi sunt. Genuinum *Bede* Martyrologium ab *Hensbe-
nio* A. 1618 Tom. II *Mens. Martii* publicatum est. *Florus* id nomini-
bus

- bus auxerat. Contextuerunt quoque Martyrologia *Rabanus Maurus*, *Wandelbertus Diaconus*, *Ado Viennensis*, *Ufiardus*, *Benedictinus*, *Seculi IX medii Monachus*, *B. Notkerus*. Postremum autoritatis summæ erat in fine *Seculi XV*, ejusque multiplex existat editio. Eo correctores usi sunt quoque *Sivius Antonianus*, *Rob. Bellerminus*, *Cæsar Baronius*, *Ludovicus de Torres*, aliique. Triplex facta est editio novi Martyrologii correcti. Sed, cum prima & secunda erroribus scateret, purior & sincerior habita est illa, quæ A. 1584 in lucem exiit, teste *Baronio* in *Præf. ad Martyrol. Rom. Cap. 8*. Denuo eam emendavit, notisque ac Præfatione instruxit, idem *Baronius*, ediditque Romæ A. 1586. *Clemens VIII* id denuo A. 1602 edendum curavit, adjectis ad 6 Augusti *Stephani, Abbatis, & aliorum 200 Monachorum, nominibus*. Exemplaria omnia recentissimæ hujus editionis in Hispaniam missa. *Philippus Ferrarius*, Servita, hortante *Federico Cardinali Borromeo*, Archiepiscopo Mediolanensi, Catalogum generalem Sanctorum, qui in *Martyrologio Romano* descripti non sunt, edidit A. 1625, & *Urbano VIII*, Papæ, inscripsit. Eodem Pontifice recognita fuit editio *Baroniana*, ac addita fuerunt nomina posthæc cœlitibus adscriptorum, expunctusque est *Sulpicius Severus*. *Innocentius XI* A. 1681 edijussit typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ *Martyrologium Romanum*, denuo recognitum, & consecratis nominibus auctum. Ad denda sunt pauca de erroribus *Martyrologii Romani*, vel veris, vel fictis. Accurate hosce percentet & dijudicat Auctor Summus. Operæ pretium fuerit, in gratiam eorum, qui pretioso hoc Opere carere debebunt, potiora huc transferre. Ad d. 25
139. Jan. fiebat in *Martyrologio Romano* commemoratio Sanctæ *Xynoridis*, Martyris. *Xynoris* hæc fuerat inducta ex loco *Chrysostomi Hom. XIV de Lazaro*, male intellecto, ubi *Xynoris* per Martyrum designat, *Juventinum* scilicet & *Maximum*, qui Antiochiæ coronam martyrii invenerunt, imperante *Juliano*. Moverunt *Baronium* de errato *Petrus Pithaus*, *Nicolaus Faber*, & *Petrus Duceus*. Quapropter correxit errorem. Ad d. 31 Julii ibidem injicitur mentio *S. Firmi*, Episcopi Tagastensis. *Bollandiani* videntur *Tom. VII Julii ad d. 31 Jul. pag. 120* appositionem hujus

hujus nominis improbasse. Verum *Firmus* ille stat & vindicatur autoritate *Augustini Lib. XIII de Mendacio*. Ad diem 2 Pag. 141. Novembris in *Martyrologio Romano* hæc habentur: *Laodicea in Syria S. Theodoti, Episcopi, qui non solum verbis, sed etiam rebus & virtutibus, fuit ornatus*. Fit quoque ejus commemoratio in *Martyrologio*, edito a *Rosweydo*, in illo *Adonis*, ac *Ufuardi*. *Theodotum* vero Ariana labe infectum fuisse, existimant, qui eum volunt expunctum, *Valesius* in *Notis ad Eusebium pag. 317*, *Florentinius* in *Notis ad Martyrologium Hieronymi pag. 497 & 948*, *Pagi* ad *A. 318 n. 17, 18*, & *Continuatores Bollandiani Tom. VI Junii pag. 24*, & *Tom. VII Part. II pag. 645*, præcipue quod ipse *Baronius* in *Annalibus* ad *A. 318 n. 48, 50*, & ad *A. 325 n. 40*, *Theodotum* fuisse Arianum, aperte demonstravit. Respondent alii, fautorem illum *Arii* appellatum esse non *Theodotum*, sed *Theodorum*, nominatim *Philippus Labbeus*, *Gabriel Cossartius*, & *Harduinus*. Obiit certe *Theodotus*, antequam hæresis Ariana pullularet, teste *Eusebio Hist. Eccl. VII, 32*. Ad diem 25 Aug. legitur in *Martyrologio*, sacrum corpus *S. Bartholomæi* primo ad *Liparam Insulam*, deinde *Beneventum*, postremo *Romam* ad *Insulam Tiberinam*, translatum. Postrema hæc translatio usquequaque impugnatur a *Cardinali Vincentio Maria Ursino*, primum *Archiepiscopo Beneventano*, deinde *Pontifice Summo*, cui nomen novum fuit *Benedicti XIII*, in *Dissertatione*, typis impressa inter *Concilia provincialia Romana*. Alteruter certe *Pontificum* in hoc momento est corrigendus, ut quibusdam videtur. At ostendit *Autor Summus*, *Gregorium XIII* non assir- 142. maste, omnes & singulos errores jussu suo in *Martyrologio* fuisse sublatos. Ipse sic judicat: *Est aliqua in Martyrologio occurrunt correctione digna, non tamen est cujusque, agere censorem; sed Ecclesie Romanae judicium est expectandum*. Distinguit præterea appositionem nominis in *Martyrologium* a *Canonizationis* judicio, ratus, in hoc errari haud posse, si vel maxime in illa aliquid humani evenerit. *Decretum Gratiani Tribemius* ab *Eugenio III* approbatum credidit. Sed, errasse eum, ostendit *Florens* in *Prefatione methodi & de autoritate Collectionis Gra-* 143. *tiani pag. 44*. Successu temporis animadvertum fuit, *Opus Gra-*

tiani mendis scaterere, quare *Antonius Democrates* & *Antonius Contius* ejus emendationem fuere aggressi. Ipse etiam *Antonius Augustinus* suos edidit Libros *de Emendatione Gratiani*, de qua jam scribere cœperat *Didacus Covaruvias*, uti significavit *Lib. IV variar. Resolut. Cap. 11.* Admoverunt ab hisce excitati manum operi Pontifices per viros peritissimos, *Pius II*, *Pius V*, & *Gregorius XIII.* Nihilominus docti viri multa adhuc alia post *Gregorianam* illam correctionem & editionem emendanda censuere in *Opere Gratiani*, e. g. *Donatus* in *Prænotionibus canonicis IV, 13, n. 3*, *Schellstratenius* in *Antiquitate illustrata Diss. II Cap. 13 n. 238*, Cardinalis *Bellarminus de Scriptoribus ecclesiasticis*, ac fratres *Pithæi*, *Petrus* & *Franciscus*, qui scrupulose singula loca recognoverunt, & plurima emendarunt. Restant quoque in *Martyrologio Romano* nævi typhothetarum, ac additamenta privata, quibus tamen maximam partem tollendis jam operam dedit Congregatio rituum sacrorum. Enumerat nonnulla ejus decreta, eum in finem ab eo ordine edita, Autor Summus. Intelligitur ex hoc limbo, quanta in *Opere* tanto passim recondita sit rerum historicarum & ecclesiasticarum supellex. Accessit quoque *Parti posteriori* Appendix, quæ exhibet nonnullas literas Apostolicas Summorum Pontificum, in quibus, Postulatoribus exorantibus, confirmantur sacræ Congregationis Responsa, quibus indulta fuit concessio Officii & Missæ in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti. Excipiunt eam additiones ad universum Opus, & inprimis Bulla Canonizationis *B. Vincentii a S. Paulo*, fundatoris Presbyterorum Secularium Congregationis a Missione dictæ, & Societatis Puellarum, quæ Charitatis vocatur, a *Clemente XII* promulgata. Index condecorat Opus amplissimum geminus, quod ad amissum Concilii Tridentini, & institutorum curiæ Romanæ, est conscriptum. Restant complura inde decerpenda. At brevitatis nos admonet ratio instituti. Delibavimus universa, Lectoribus cetera permittentes, & laudantes summo opere Opus universum, omni laudum genere dignissimum, aut, quod verius dici potest, laude omni majus.

IMAGO ANTIQUÆ HUNGARIÆ, REPRÆ-
sentans

sentans terras, adventus, & res gestas, gentis Hunnicæ; historico genere strictim perscripta a SAMUELE TIMON, de Soc. Jesu Sacerdote.

Cassovia, typis Academicis Soc. Jesu, per Jo. Hœr. Frauenheim, 1733, 8.

Alph. 1 plag. 4.

Non ita est rerum suarum negligens antiqua illa & illustris gens Pannonum, neque ita inhabilis literata Hungaria, ut non novis subinde speciminibus haud postremam in illustranda patriæ, & veteris & recentioris, conditione industriam erudito orbi restatam relinquat. Poterat omnino carere, magno suo commodo, infinitis illis exterorum, quorum alter alterum descripsit, de regione sua Commentationibus, quæ, tantum abest, ut lectori faciant satis, ut ei Utopiam aliquam, non Hungariam, sistant ob oculos; ita sunt erroribus atque futilibus plerumque conjectationibus plena omnia. His sane, quod *Megabyso*, imperito picturæ, nihilo tamen fecius de pictura disserenti, inculcarat *Apelles*, revocari in animum debet: *tace, ne pueri, qui melidem terunt, te videant, loqui orsum de rebus, quas non didicisti.* Sapiamus potius e domesticis Hungariæ scriptoribus, qui certe suppetunt regioni, excitatorum ingeniorum non plane sterili. *Prudentum est, ut recte Cælius, nil dare, nisi coctum;* atque inde, cur rariora sint in literaria Historia Hungarorum nomina, facile conjicias. Famam alii habent, alii merentur. Scriptillare in vanum, non est res omnium; pauca dare, eaque limata, præstat. Id certe de Hungaria affirmari potest, majori in literarum amoris existimatione eam futuram, si, posita inveterata illa opinione, nihil e Nazareth, quod ferat ætatem, prodire posse, diligentius in literarios Hungarorum labores exteri inquirerent. Ipsi se turpiter dant, luxque se reos agunt socordie, quando eruditos Hungaros, non secus ac raras remotissimarum gentium aviculas, ignorant. Insigne rei hujus documentum est ignotum prorsus *Samuelis Timonis*, clarissimi Hungarorum Historici, nomen, atque elegans in illustranda antiqua

Hungaria institutum; cujus specimen-nunc tibi sistimus ob oculos, amice Lector. Multa sunt, quæ de antiqua Hungaria, ejusque finibus, incolis, atque moribus, apud varios scriptores reperias, sed sparsim tantum tradita, & ejus plerumque generis, ut, ipsos sæpe, quid velint, ignorasse, credas. Qui ex istiusmodi Commentariis proficere volent, idem egerint ac illi, qui ex *Hübneri* Geographica Hungariæ descriptione positum regionis, ejus urbes, & reliquum habitum, accurate se cognituros considerent. Non repetemus, quæ *Franc. Foris Otrokócsi* in *Originibus Hungaricis*, Franeckeræ A. 1693, 8, editis, quæ *Jo. Ferdin. Behamb* in *Notitia Hungaria antiquo-moderna*, Argentorati A. 1676 in lucem emissa, quæ *Jo. Nádányus* in *Flori Hungarici* primis Capitibus, quæque majores illi rerum Hungaricarum scriptores, ut *Thurócius*, ejusque simia *Bonfinius*, *Isthuansfyus*, & alii, inter quos Celeberrimi *Belii* Prodrromus quoque collocandus est, hinc & inde ad istam Hungariæ periodum pertinentia, prodiderunt memoriæ; id solum commemorabimus, *Timonem* nostrum hac sua opera id præstitisse, quod ii solent, qui sparsos flores, succinctis capitibus bene dispositos, exhibent. Latinitas certe ubique tersa est, & toto Opere eodem tenore atque elegantia procurrans, ut adeo & hoc exemplo pateat, non ita sordidum atque inquinatum dicendi genus esse Hungaris, ut falso nonnullis putatur. In ipso Operis vestibulo, quid quomodo profecutus sit, Lectorem docet Rev. Autor, *mibi maxime*, inquiens, *propositum fuit, dispersa cogere, obscura illustrare; quare non tam Historicum, quam investigatorem antiquitatis, me profiteor; neque diffiteor, plura me e tenebris operose eruisse, quo commodo eorum, qui antiquos Autores legunt, consulcrem, non regiones modo, quas quondam Hunni tenuerunt, summatim descripsi, sed oppidorum antiquorum positiones, quantum existimare potui, indicavi. Tres adventus Hunnicæ nationis ita demonstrare conatus sum, nemo ut quemquam eorum in dubium vocare possit, nisi omnem Abarorum memoriam delere velit, aut obstinate negare, eos Hunnici generis fuisse, &c.* Atque ista quidem hoc ordine disposuit, ut omne institutum in tres Libros divideret, quo-

quorum *primo* de Pannonia, & conterminis ei regionibus, *altero* de Hunnis & Hunno-Avaribus; de tertio denique Hunnorum motu, sive de Hungaris, *tertio*, disserat.

Primam Partem ita rursus partitus est, ut *primo Capite* in Pannoniæ etymologiam inquirat, ejusque e *Plinii Secundæ Hist. nat. Lib. III Cap. 25* descriptionem sub examen vocet. Notum est, etiam iis, qui alioquin norunt paucissima, Pæon jam Græcis Pannoniam esse, Pæonesque dici, quos Pannonones nominamus. Ita sparsim *Ovidius*. Pæonia ista altera ad amnem Axium fuerat, &, ut *Dio Cassus*, ad montem Rhodopen, quam ab *Endymionis* filio, *Pæone*, dictam, Geographi consentiunt; illa autem Pæonia, quæ Pannonia proprie dicitur, unde nomen fuerit sortita, non satis apertum est. Nugantur vero *Dio Cassius*, *Alexandri Severi* tempore Pannoniæ Præfès, & *Xylander*, cum Pannonones a *pannis* derivant, quasi *pannessi*, atque centonibus vestiti, inceserint; ipsa enim gens, longe ante, quam consuetudine cum Romanis conjungeretur, cum adhuc, quid pannus Romanis significet, ignoraret, hoc sibi nomen indidit. Ad easdem nugas accedunt, qui a *Pane*, pastorum Deo, Pannonones dictos suspicantur. Optime illi omnium se expediunt, qui cum *Nádányio* ex Græcorum *πανώνια* Pannoniam, &, addito altero *n*, Pannoniam, deducunt. Quid enim opus est infinitis illis, modo de aliquo Rege *Pannone*, qui eadem, quæ *Faramundus*, Francus, fata habet in Historia, modo de *Pano*, id est, domino, conjectationibus, cum primæ istæ gentium denominationes æque ac illarum origines vel fabulosæ sint, vel incognitæ. *Capite altero* de Pannoniæ oppidis narrat ex *Claudii Ptolemæi Geograph. Lib. II Cap. 15, 16, Tab. Europæ V*, deque recentioribus scriptoribus, qui hanc artem coluerunt, disserit Autor. *Tertio* nomenclationem *P. Martini Szentivani* quorundam Pannoniæ, Iazygum terræ, & Daciæ, locorum, fluminum, & lacuum, adducit. Merentur hic, quæ traduntur ab Autore, quod Pannoniæ veteris Geographiam illustrent, annotari. Ita vero ille: *Salinum* & *Adonium*, locus infra Budam; *Apulum*, alba Julia, urbs Transilvaniæ; *Vallis Cariniana*, Babilca; *Volcæ lacus*, Balaton; *Uscenum*, Barschum

schum ad Gránum fluvium; *Antiana*, oppidum inferioris Pannoniæ ad Danubium, ubi Sárvisz fluvium accipit; *Curta*, oppidum inferioris Pannoniæ; *Bononia*, Bon monostira, olim Pannoniæ urbs, nunc pagus ad Danubium inter Ellecum & Belgradum; *Bacuntius*, Bosueta, fluvius inferioris Pannoniæ; *Prætoria Augusta*, Corona, urbs Transilvaniæ; *Aquincum*, Buda; *Napuca*, castrum Transilvaniæ; *Patruiffa*, Claudiopolis; *Comidava*, Detschum Transilvaniæ, per errorem Sclavoniæ adscriptum; *Tetroburgum*, pagus Ungariæ; *Muscha*, Ettekium; *Peisa*, lacus Hungariæ Ferto; *Aquaviva*, Teplicia, oppidum Hungariæ, in confinio Styriæ; *Ulpia Trajana Zarmygethesa*, urbs olim, nunc pagus, Transilvaniæ; *Sargetia*, Iltrigus, fluvius Transilvaniæ; *Adumintum*, *Ritium*, Szalankement; *Pertiscum*, Ægopolis, (Ketskemét) oppidum Hungariæ, boum mercatura, nundinisque suis, insigne; *Olimacum*, Lindva inferior; *Bevbis*, oppidum Pannoniæ, cujus rudera ostenduntur ad Dravum amnem; *Motenum*, Mossöny (unde Comitatus Mossönientis nomen suum sortitus est); *Luffonium*, Paxum; *Hiulea Palus*, inferioris Pannoniæ; *Basiana*, Possëga; *Motenum* alterum, Pruccum ad Leitham fluvium; *Scarabantia*, Scabringa (Tsepreg); *Sigidava*, Segesuarum in Transylvania; *Sala*, oppidum Hungariæ; *Siscia*, Szilizek, castrum Sclavoniæ; *Cæsarea*, Tata; *Valcum*, Vatkóvar; *Cibalis*, Valpo, (quod idem cum Valco apud plerosque Geographos reperias,) *Sorega*, Zagrabia. His ita recensitis, Autor *Capite IV* ad quorundam Pannoniæ oppidorum investigationem, duce *Gregorii Hidii*, S. J. Commentariolo *de celebrioribus urbibus*, qui A. 1701 prodiit, progreditur. Hic de *Sirmii* situ, in radicibus nempe Almi montis, interfluente urbem Bacuntio amne, deque Potentiana, primo loco, quid sentiat, aperit. *Hujus*, inquit, *antiquorum scriptorum nemo meminit, sed a recentioribus, iisque patriis duntaxat, in Attila gestis, nominatur. Apud eam tres duces Hunnorum, Bela, Cheva, Cadica, anno Christi 373 cum Materno, Præside Romano, & Detrico, Germanorum duce, ferro decertasse, desideratis utrinque trecentis quinibus ac tricenis millibus.* Credit, urbem eo fuisse loco, ubi hodie pagus Adonius est, septenis milliaribus Germanicis infra

fra Budam, atque primam in ea Romanam coloniam fuisse collocatam, autumat. *Bregetium* ubinam statuatur, dubitat Autor, neque illos audit, qui in solo Jaurini positum arbitrantur, siquidem falsi convincat *Antoninus*, cum in *Itinerario* suo, in Jaurini loco, apud Arrabonis ostium, Scaurinum designat, quod in Jaurinum transferit. *Cluverium*, in Strigonii solo *Bregetium* sibi fingentem, prorsus rejicit. *Lazium* probat, qui inter Tatam & Comaromium, ubi ruinae magnae quondam urbis ostenduntur, urbem collocat. Hoc illud *Bregetium* est, ubi de Suatoplugo & Slavis Hunni, secundo suo adventu, duce *Arpado*, prope Tatam, ingentem victoriam reportarunt. *Carnuntum* inter Hamburgum & Petronellam, non, ut *Cluverius*, & cum eo *Cellarius*, proxime ad Hamburgum ex adverso mari confluentis resedisse ostendit, quod ei omnes, qui rudera, & reliquum arcus triumphalis, non, ut *Cellarius*, portae urbis, in diffusissima planitie contemplati sunt, facile largientur. *Plinius* Pannonica hiberna dixit *Lib. IV Cap. 12*. In lateribus profecto molis inusitatae, qui illic effodiuntur, satis distincte legitur LEG. XIII. GEM. quae illic fuerat in praesidio. Multos agricolae nummos effodiunt, urnas, monumenta sepulcralia, lateres, lampades, gemmas; immo, cum aliquis nostrum olim rimaretur penitus Danubii illud e regione montis, ubi propugnaculum fuisse videtur, praecipitium, aliquot cellas detexit, sed inaccessas, sed sine periculo vix adeundas. Horae spatium, & quod excurrit, inde ab Altenburgo oppido stratae viae Romanorum sunt, atque hinc inde murorum vestigia. Rheldarum incessus sonum edit, quasi excavati illic multi loci essent, ita, ut, multas cellas, multos antiquitatum thesauros reconditos illic esse, suspicari quis possit. Sed pergimus cum Autore, qui de *Sabaria* dein, de *Segesta*, *Murfa*, *Limusa*, *Mogentiana*, *Teutoburgo*, *Sala*, & *Bononia*, mentem suam aperit. Et *Sabariam* quidem cum Geographorum reliquis Coloniam *Claudianii* Augusti, nunc Sarvarum, credit. *Segestam* vero nullibi invenit, utpote quae neque *Strabonis*, neque *Plinii*, aetate extiterit; forsitan a Romanis deleta, quia rebellarat, antea multo labore sub Imperium Romanum ab *Augusto* subjugata. Quia

vero satis claram ejus descriptionem apud *Appianum Alexandrinum* invenit; fuisse nimirum urbem nitidam, & arcem natura & loco munitam, atque adeo in gerendo contra Dacos bello perutilem, vastoque flumini adjacentem, ubi plures amnes navigabiles confluunt; existimat, urbem hanc & arcem ibi existisse, ubi *Dosna* & *Bisquius* in *Savum* incidunt. *Mursam*, seu *Mursiam*, ad *Dravum* amnem collocat, in quo loco hodie *Essekum* est. Ad hanc urbem (nam *Socrates Lib. II Cap. 27* male *Mursiam* in *Galliam* rejecit,) A. C. 353 Imperator *Constantius* pugnam commisit cum *Magnentio*. *Limusum*, de limo appellatam, paludibus circumcludit, eamque veteribus dictam fuisse *Motenum*; primitis vero *Hungaris Musam*, dein *Musum*, postea *Mosonium*, sublatis e *Limusa* primis duabus literis. Germanice urbs ista *Wieselburg* vocatur. Ceterum ignorat *Hungaria Muzon* illud, quod *Cellarius* in *Not. orb. ant.* *Muteni* loco positum arbitratur. *Teutoburgum* cum *Simlero* infra *Essecum* locat, ad *Dravi* & *Danubii* confluentem, ubi *Erdedium* castrum (*Erdöd*) fuerit ante, quam *Turca* *Hungariam* ad exitium & vastitatem vocarent. De *Mogentiana* apud veteres altum silentium. Autor alio nomine *Magnianam* dictam, & a *Gentio*, *Illyricorum* Rege, victo a Romanis, conditam, asserit, positamque infra *Sabariam* ad *Gernzum* amnem. *Salam*, vel *Sallam*, cum *Luzio* *Salavariam* arcem, vel potius *Abbatiam* *Benedictinam*, opinatur, a qua dein successu temporis toti provinciae *Comitatus Szaladiensis* nomen adhæsit. *Bannonis*, *Gratiani* Imperatoris deliciiis, atricique legionis quintæ *Jovis*, in *Sirmiensi* agro, in quo hodie pagus *Bani* *Monasterium* (*Ban Monostor*) appellatus, solum tribuit, pari fere intervallo, *Esseco* & *Belgrado* situm est. His ita disputatis, cum *Anamantia*, quæ illi *Mohacsum* est, *Caput* finit. *Quinto Capite* de *Pannoniæ* *Geographia* quædam exponit, e. g. *Carnunto* convenire campum *Petronellæ*, *Flexo* *Pisonium*, *Gerulata* *Raikam*; (non ergo *Kerlburg*, quod ex nominis affinitate conjectabat cum aliis *Cellarius*;) ad *Flexum* *Ovarinum*; *Quadrato* locum inter *Ovarinum* *Jaurinum*que interjacenti; ad *Statuas* *Szigethum* refert; ad *Muros* angulum *Jaurini* editiorem; *Acincum* *Strigonium*; *Uk-*
siscia

eiscia castra Budam veterem. Atque ita reliqua, Urpano, Dravo, Valdano, Savo, Leitha, Bacuntio, fluviis, adjacentia, profequitur. *Sexto Capite* ejusdem argumenti observationes exhibet, & speciatim de Tauruno. *Septimo* de aliquibus Pannoniæ oppidis, quorum *Ptolemæus* meminit, disserit; quæ ad Geographiam antiquam Pannoniæ illustrandam faciunt plurimum. Sunt inter ea Chertobalus, seu Ovarinum, (*Altenburg*,) Carpis, Andreæ pagus; Corvacum, Bakova; Tarlum, vicus S. *Demetrii*, ubi *Galerius Maximianus* interiit; Carrodunum, Canischa; Marburgum Styriæ, Novidunum. *Capite octavo* de posterioribus Pannoniæ divisionibus, institutis Pannoniorum, & Romanorum in eam terram ingressione, loquitur Autor. Res digna, quam summam commemoremus. Notum est, referente *Sexto Rufo*, *Claudiano*, *Solino*, trifariam divisisse Pannoniam Romanos. Sabariensem Valeriam cognominarunt; interjectam vero Dravum inter & Savum, Saviam ac Savientem regionem, hujusque partem extremam, Danubioque propiorem, Bubaliam. Procedente tempore, Illyrico adjuncta fuit Pannonia. *Secrætes* enim anno post Christi ortum 379, quo *Theodosius* a *Ciriano* Imperatore dictus est Augustus, vicitque Gothos, Sirmium Illyrico adseribit. Quod ad Pannonum instituta attinet, nusquam traditum reperimus, quid domi militæque egerint, antequam opes eorum viresque carpere cœpissent Romani. De Pæonia, quo nomine Græci Pannoniam quoque nuncupant, quædam invenias, sed ea Pannoniæ attribui nequeunt. Eo autem tempore, quo in fortunas terramque gentis tertio imminabant Romani, quæ studia, qui mores eorum fuerint, *Vellejus Paterculus Hist. Lib. II* breviter quidem, sed ad lautem abundanter & copiose, exponit, dum, *in omnibus*, inquit, *Pannoniis*, *non disciplina tantummodo*, *sed lingue quoque notitia Romanæ*, *plerisque etiam literarum usus*, & *familiaris erat animorum exercitatio*. Inceperunt autem Romani armis non tam subigere, quam tentare, Pannoniam, ante natalem Servatoris A. 119 & 160, *Pub. Lucino*, Consulis Legato, ducente exercitum, duobus, nec amplius, oppidis per deditionem occupatis. Qua de re *Livius Cap. 44* in principio: *Eadem æstate, qui in The-*
salis

salia vicere Romani, Legatus a Consule in Illyricum opulenta duo oppida coegit in deditionem vi atque armis, omniaque eis concessit, ut opinione clementiae eos, qui Carnuntum, munitam urbem, incolabant, alliceret. Sed & ingressi Pannoniam Romani, multis excursionibus ac praeliis ad solitudinem redegerunt Valeriam, ut meminit *Plinius*. Segesta capta, (cujus incolarum virtutem *Ammianus* extollit,) Romani & Pannoniæ amice multos annos vivebant, usque dum prioribus illis, adversus *Marobuduum*, Marcomannorum Principem, bellum parantibus, posteriores hi, eo se peti, existimarent, & cum Dalmatis periculi inirent societatem, denunciarentque bellum Romanis. Ast satis infeliciter; cæsi enim & usque ad montem Claudium in fugam acti Pannoniæ: & id quidem ætate prima; neque feliciter altera; tertia, protinus, collatis in Saviensi Pannonia signis, misera gens, capto duce *Pinete*, supplex facta Romanorum duci *Tiberio*. Propositum quidem erat *Paterculo*, bellum Pannonicum consignare justis voluminibus; at vix animum suum expleverit. Universi dein Pannonii, *M. Aur. Antonino*, cognomento *Philosopho*, Imperatore, libertatem recuperarunt. Obtinebat hanc provinciam, *Tiberio & Claudio Druso* Principibus, vir consularis, *L. Piso*, & *Publius Attilius Hister*. Capite nono de Imperatoribus Romanis, natis in Pannonia, loquitur Autor, utpote de *Q. Decio*, nato Bubali, de *L. Domitio Aureliano*, in vicinia Sirmii a tenuis fortunæ parentibus procreato, in cujus tempora Wallachorum origo incidit; de *Aurelio Probo*, Sirmii, patre *Maximio*, Tribuno militari, nato, qui vites in Pannoniam intulit, iisque Almam Montem consëvit; de *Hadriano*, *Probi* filio, a *Licinio* Imperatore, ob exprobratam ei Christianorum insectationem, interemto, de *Galerio Maximiano*, Sirmio oriundo, qui *Diocletianum* sibi malus malum adsciverat; de *Flavio Valentiniano I*, ortu Bubalensi, seu Cibalensi; de ejus fratre, *Valente*, quem collegam assumserat; de *Gratiano*, suscepto in lucem Sirmii, ejusque fratre *Valentiniano II*, qui *Gratiano*, ab *Andragathio*, *Maximi* tyranni emissario, interemto, successerat. *Jo. Aventinus* scribit, *Philippum* quoque Arabem Pannonium fuisse, ortu Arrhabonensem, qui locus nunc *Jaurinum* dicitur. At enim

enim vero repugnant hæc invicem, ut quivis facile videt. *Decimo Capite* de religione in Pannonia, id est, de Episcopatibus, Ariana contagione, & sanctis viris, aliquid adducit Autor. Inter Archiepiscopos maxime notandus venit *Photinus*, in minore Galatia ortus, homo Græcis & Latinis literis institutus, & admodum eloquens, Sirmiensium Pontifex creatus, qui, Christum solum esse hominem, propugnavit, hæresique *Photiniane* nomen atque originem dedit. Concilium, Sirmii contra eum habitum A. 357 ab Imperatore *Constantio*, *Spondanus* recenset. Ceterum *Sulpicius Severus* non male proclidit, omnem fere Pannoniam fuisse Arianam. Quæ hoc *Capite* de *S. Hieronymo*, Pannone, Autor refert, eo redeunt: in Liburnia, finitima Pannoniæ provincia, patriam ejus quæri debere Stridonam, nunc Striegova dictam, quam & Papa *Nicolaus I* A. 1447, propter tanti viri nativitatæ memoriam, variis indulgentiis decoraverit. Sed vero & Sanctissimus Pater errare poterat, atque Stridona eo loco quærere, quo quærenda non est. Multum nos in exquirenda Stridone elaboravimus, neque tamen reperire potuimus quidquam, quod ex asse nobis satisfaceret. Lege interim de *la Martiniere* in magno *Dictionario Geographico & Critico Tom. VIII* (edit. Amst. 1738) *Art. Stridon*, ubi, Sdrignam hodie vocari, cum *Blondo* Autor asserit, illa Hungariæ inferioris parte, qua Savus profluit; refert quoque illos, qui ad Muræ & Dravi confluentem, in superiore Pannonia, nunc Styria, Stridonam quærunt. *Conf. & Ferrarium* in *Lexico Geographico*, Londini A. 1657 publicato, qui, nunc Strigonum ab incolis in Dalmatia vocari, credit, item *Ortelium* in *Thef. geogr.* & alios. Est in Comitatu Szaladiensis prædium, Stridon ad hunc usque diem nuncupatum, ad Szala & Muræ confluentem, quod an vetus illud Stridon sit, Geographi, nos licet, disceptent. *Capite undecimo* de Mœsia, sive Mytia, agit, per Pannoniæ finitima. Mœsiæ, cujus pars Servia est, longitudinem *Plinius* Danubii cursu a Savi ostio ad Pontum usque definit. Notatu digniores sunt fluvii, Margis, Pingus, Timachus, Oesus, Urus (*Ogost*), Escamus (*Ossam*), Jeterus (*Isker*, aut *Jantra*); montes, Rhodope & Hæmus; urbes, *Singidunum*, *Augusta*, *Semendria*; *Viminacium*, de quo *Eutropius*, victoriam

Diocletiani referens: Carinum apud Margum ingenti praelio vicit, inter Viminacium & aureum montem. Aureus hic mons fuerit aurifer, aut Rama (Ram), arx olim in monte, supra quam ergo Viminacium investigandum erit. Sub finem Capituli duas Inscriptiones refert Autor, alteram Semendriæ, in latere portæ, quæ ad Danubium spectat, repertam, sed mancana valde; alteram pontis Trajani in Mœsia, petrosæ ripæ inscriptam. Prior ita habet:

GENIO LEGI -- III - E - ODNN --
 DIOC --- IANI --- AVG -- VREL --
 MAXIMI -- IVS -- EX - PRÆF --
 LEG -- EIVS - DEN - - - - VOTVM --
 POSU.

quæ restituta hæc est: Genio Legionis tertiæ, & Genio Domini nostri Diocletiani Augusti, Aurelianus Maximianus, Ex-præfectus legionis ejusdem, votum posuit. Posterior integra est hunc in modum:

IMP. CÆSAR. DIVI NERVÆ
 F. NERVA TRAIANUS GER
 MAN. PONT. F. INDVSTR,
 PATER PATRIÆ.

id est: Imperator Cæsar, divi Nervæ filius, Nerva Trajanus, Germanicus, pontem fecit industrius Pater patriæ. Id observandum adhuc, in utroque latere monumenti effigiem esse aquilæ, quasi tabulam sustinentis. *Capite duodecimo* de Illyrico, quod antiquo nomine Liburniam atque Dalmatiam complectebatur, quæ Lucii Dalmatia illustrat; *Capite tertio decimo* de regione Iazygum Metanastarum, disseritur. Isti ab Iazic (*lingua*) Iazyges, a crebris Danubii traiectionibus Metanastæ, dicti sunt. Eorum termini, ut recte *Ptolemaus*, ad Carpim incipiunt, oppidum inferioris Pannoniæ, finiuntur vero toto Tibisci alveo, Carpatu, montibus Sarmaticis, & Danubio. Omnes, quosquos legimus, Autores Carpatum & Sarmaticos montes eosdem putrunt; quodque magis mirabamur, Carpatum etiam ii, qui eruditiores videri volunt, cum aspiratione scripserunt, quam tamen *Ptolemaus*, homo Græcus, non usurpabat. Carpathus enim cum aspiratione insula est,

est, unde Carpathium mare. Sunt autem *Ptolemao* montes Sarmatici, Hungariæ Arvensis, Liptoviensis, Zoliensis & Barschicenis montes, a Polonia usque ad Danubium & Vacium porrecti; ad Rosenbergam, ubi Thuroczienses a Liptoviensibus dividunt Fatræ, ultra Fatræ nuncupati. Carpatas vero reliquam Poloniam, Russiam, & Moldaviam, ab Hungaria & Transilvania discernit. Amnes nobiliores sunt, Cusus, hodie Vagus; in regione Iazygum Granous, nunc Granus; oppida, *Uscenum* in angulo inferiore insulæ, Borschovæ fluvii, provinciæ Beregh; *Parca*, hodie Pestum; *Candanum*, Agria; *Gormanum*, ad montes, qui montanas urbes cingunt; *Partiscum*, Tibisco appetitum, quod non satis perspectum habens *Plinius*, ipsum fluvium Pathysum appellavit. De Pannonum sermone si quæras; Germanus non fuit, quod *Cornelius Tacitus* testatur: neque Græcus certe. Slavonicum igitur credimus, licet & Græcæ linguæ studium in Sirmio imprimis viguisse, non eamus inficias; Latinus sermo profus familiaris genti fuerat. Ceterum alii fuere Iazyges, qui Mæotin incolebant, Boreales illi, de quibus potius, quam de Metanastis, intelligendus *Ovidius Lib. 1 de Ponto Eleg. 3*:

Aut quid Sauromatae faciunt? quid Iazyges acres.

Capite quarto decimo Marcomannos, Quados, Sarmatas, commemorat, & Marobuduum cum *Vellejo Paterculo* honorificentissime depingit; Quadorum & Marcomannorum fines determinat; *Ptolemaum*, qui, sub Hercinia silva Quados, sub Gabreta Marcomannos agere, hallucinatus est, corrigit. Lunam silvam, de qua *Ptolemaus*, eam existimat regionem, quæ a Bresznensi (*Bresznobanya*) oppido arcuatim in occidentem, usque ad tractum Turocensem, procurrit. De *Tudero*, Principe Quadorum, ita sentit, ut *Marobudui* æqualem putet. Oíos Iazyges esse, Gothinos in Scepusiensi & Gümüriensi terra habuisse sedem, demonstrat. Marcomannorum cum Romanis bellum, *M. Aurelio* Imperatore, initio sic satis felix, quinto autem anno ob acceptam a legione fulminatrice, si vera est fabula, ingentem cladem, exitiale; postea vero Quadorum diuturna cum Romanis dissidia, copiosius enarrantur. Addito, post deletum in Pannonia, vicinisque provinciis, Romanum nomen, populos
hos

hos Marcomannos, Quadi, Sarmatas, Sclavos fuisse dictos. *Capite quinto decimo* Daciam sistit. Pessime *Strabo* Dacos juxta fontem Danubii in Germania ponit, eadem, qua Getas, lingua usos. Quasi vero *Ovidius*, qui in Tomitano suo exilio, *didicerat Getice Sarmaticeque fari*, didicisset etiam loqui Germanice. *Zamofius* Daciam Daniam vel Daviam quoque dictam putat, propterea quod plura oppidorum Daciæ in syllabas *Dana & Dava* exiverunt. At Sclavis hæ familiares erant vocum terminationes, indeque nil, nisi quod Sarmatæ fuerint Daci, conficitur. Varia illis cum Romanis bella. Cotiso unus ex Principibus Pannoniis, dum subjugarentur, auxilium adversus Romanos tulit, adeo quidem, ut ipsam Romam perturbaret, quemadmodum *Horatius Lib. III Od. VI: Pene occupatam seditionibus delevit urbem Dacus*; demum tamen, captis tribus ducibus Dacorum, fusus a *Cornelio Lentulo*, atque inde lætius jam *Horatius Od. VIII ad Mæcenatem*:

Mitte civiles super urbe curas,

Occidit Daci, Cottisonis agmen.

Pergit Autor exponere de Dacorum Regibus, *Boëribista, Darpane*, qui Romanos in Dacia delevit, *Domitianumque* illum ignavum ad veſtigal sibi pendendum adegit, illum *Domitianum*, qui edicto sanxerat, ut Deus ab omnibus salutaretur, qui Romæ de Dacis victoribus triumphavit. Quod ad Dacorum indolem, satis ea armis conveniebat, neque tamen humanitatem omnem exuerant, Græcarum literarum non plane expertes, quod numus *Decubali*, Græcis notis signatus, docet. Finis terræ ex *Ptolemæi Geogr. Lib. III Cap. 8* licet cognoscere. Magna est hic lis Geographis, in qua omnis eruditionis cartlinem credas versari, ubinam Danubius Istri nomen sortiatur. Quanta res, quantis agitata motibus! *Cellarius* anxie exclamat: Quid ergo in tanto dissensu constituendum? Miseros mortales, tantam qui rem tam ignorant turpiter! *Strabo* inde a fontibus usque ad cataraclas, qua per Dacos veteres & Mæcos fluit, Danubium dicit vocari. Aliter *Plinius*; *Ptolemæus* iterum aliter, & ita in infinitum usque. Nos, nisi omnia nos fallunt, cum Autore *Strabonem* si fuerimus secuti, idem statuerimus prope, quod *Cellarius*

Iarius tanto nisu, tanta animi angustia, definit: *Superiora fluminis Danubii nomen; inferiora Istri ferre, certum est.* Flumina regionis notiora sunt *Tibiscus, Abistus*, hodie *Niger*, (*Tscherna*) *Rhabon*, seu *Catarraban*, hodie *Schilus*. *Aluta* antiquum nomen retinuit. Ita *Ptolemaeus*, qui præteriit *Marin*, vel *Marum*, clarum Scytharum amnem, de quo tamen non silet antiquissimus scriptorum *Herodotus*, cum adhuc Scythæ, qui penitissimam Daciæ tenebant, *Agathyrsi* appellarentur. Oppida florentiora Daciæ fuere: *Sarmizegethusa*, regia, quam modo junctim, modo separatim, scribebant veteres. Significasse nihil aliud videtur, nisi urbem *Gethusam* a *Sarmize* conditam; reperti enim sunt aliquando nummi Regis *Sarmezis* in *Transilvania*. *Zamoscius*, olim *Ægethusam* ab *Ægeo*, Rege, conditore, dictam, putat. Interfluebat urbem *Sargetia* fluvius, hodie *Strigus*, *Marusium* petens. Neque tamen satis adhuc innotuit *Geographis* oppidi positus. Hodie aliis appellatur arcis locus (*Varhely*), aliis *Slavonico* vocabulo *Gradischa*. *Zamoscius*, in valle *Hatszegiensi* (*Hatszeg*), in qua jacebat *Sarmizegethusa*, ex multis ruinis conjecit, plura fuisse oppida, interque illa *Sergidavam*, vel *Sigidavam*, regis proximam, *Petorium*, *Volmerium*, alia. Sunt præterea notatu digniora Daciæ *Ulpianum*, subter *Rbuconium* apud *Radvanum*, quod *Bistritio* quadrat, *Amurrium*, ad ostium *Alutæ* amnis, (*Mikovara*) ultra *Salinas orientem* versus, propter eundem amnem *Augusta Præstoria* (*Kézli-Vasarhely*), *Coloniæ Perendanesiorum Parvini*, quam *Ptolemaeus* silet; *Anniam* (*Enyed*), *Comidava* (*Des*), *Devidava* (*Deva*). *Claudiopolis Cellario* est *Napuca*, *Hostilio Zeugma*, *Autori* cum *Baufrando Patruissa*. *Saline Tordæ*, *Napuca* arcis novæ, quæ a *Samosio* nomen habet, *Parolissa Zegenio*, *Marcodana Segesvaro*, *Ziridana Cibjnio*, sic satis respondent. Danda est tamen venia *Cellario*, viro eruditissimo, quod *Marusium* cum *Rhabone* confuderit tantis in tenebris rerum *Dacicarum*. *Sexto decimo* tandem, eoque ultimo, *Capite* Daciæ Romanam & sacram illustrandam aggreditur *Autor*; atque hic primus se nobis *Decabalus* offert, a *Trajano*, cum maxima parte Daciæ, sub jugum missus. Pugnatum in campo cruciatis, *Keresztesmezõ*, quod

pratum *Trajani* Valachi vocitant. Et, licet altera vice spiritus fumeret Dacus, tamen fufus iterum, ipse vitam amisit. De thesauris *Deceballi* inventis monumentum sequens loquitur: *Jovi inventori, Diti Patri, Terræ matri, detestis Dacia thesauris, Caesar Nerva Trajanus Aug. sacrum posuit.* Universam autem Daciam a Romanis subactam non fuisse, indicio est illud, quod in Moldavia & finitimis Romanæ antiquitatis vestigia reperiantur nulla. Romana Dacia divisa fuit in *Ripensem*, quam Danubius alluit; in *Alpeftrem*, seu Transalpinam; denique in *mediterraneam*, seu Transilvanam. Provincia *Colia*, quam aliqua monumenta exhibent, Transalpinæ convenit. *Trajanus* primam coloniam in penitissima Dacia *Sarmizegethusam* constituit, alteram *Apuli*, & hujus quidem non mutavit nomen, illam vero appellari voluit Ulpiam Trajanam. Tertia ejus colonia *Zernensis* fuit, de qua *Ulpianus Lib. I de Censibus*, collocata Aurariæ in ripa Danubii, infra pontem illum decantatum, ubi hodie est Tſchernec, vel Severinum, (*Tſchêrnetz*,) terminus Hungariæ. Ducta erat hunc in locum, & propter pontis custodiam, colonia, & propter aurum argentumque, Sisciam, aut in Italiam, tuto deportandum. *Claudiopolis* municipium fuit, immo sexta *Trajani* colonia, quod reperta illic duplex Inscriptio testatur. *Dio* quatuor in Dacia colonias memorat, *Ulpiam* Augustam, Aquarum vivarum (hodie *Arany-Kut*), Apulensem, & *Parendaneforum*. Sed credimus nos monumentis *Claudiopolitanis*. Viæ, in Dacia mediterranea hinc & inde strata, de Romana magnificentia adhuc testantur; inprimis illa, a Siculo- rum foro (*Marcus-Vasarhely*) ad Orientem quæ tendit, ejus est structura, ut imperitum vulgus cacodæmoni opus tribuat. Magnificentior quoque ceteris erat, ab Ulpia Trajana ad Apulum ducens, quadrato saxo complanata; quænam vero inter has sit *Clodia*, quæ *Annia*, quæ *Cassia*, quæ *Gemina*, illi, quibus felicior nasus contigit, odorentur, quantum volent, per nos licet. Romanis in Dacia dominantibus, tyranni turbare imperium coeperunt, adeo quidem, ut priores illi, quasi re jam desperata, præsidia sua oppidis deduxerint, traduxerintque in *Mœsiam* trans Danubium. Illic geminas primum, deinde
quinas,

quinas, appellaverunt Dacias, mediterraneam, Ripensem, Mœsiae primam, Dardaniæ, & Prævalitanam. E quibus una fuit Consularis, altera Salutaris, Præsidiales tres. Inciderat ea Romanorum transportatio in annum a Christo nato 273, antequam *Zenobiam* moveret *Aurelianus*. Ante adhuc, quam in Mœsiam Romani transmigrarent, Gothi plures e Scandinavia, seu Gotlandia, egressi, in Borealem Daciam penetravere, præsidisque eam subinde occupavere; usque dum penitus stipendiarios facerent Romanos. Sub finem *Capitis*, de Dacia sacra, Autor subjungit de Divo *Andrea* Apostolo quædam, de Gothorum Episcoporum in Concilio Nicæno primo A. 325 præsentia, atque inde concludit, Romanorum temporibus Christianam religionem altiores jam illic radices egisse. Primi omnium, qui sacra hæc amplexi sunt, Bessi fuere & Gothi. Finit *Caput* & librum Autor quæstione illa de *Ovidii* obitu & sepulcro. *Brusebius* Sabariæ tumulatum Veneris sacrificulum hunc credit, alii Temesuari sepultum credunt. Certius est, quod *Eusebius* narrat in *Chronico*, defunctum esse *Ovidium* anno *Tiberii Cæsaris* IV, a nato Christo XVII. Sepulcro autem illatum Tomis, oppido inferioris Mœsiae.

Atque istud est, quod *Liber I* continet. Quæ duo reliqui habeant, non nisi per summa capita jam referemus. *Libri II*, qui agit de Hunnis & Hunno-Avaribus, *Caput 1* de Gothis, inter se armis decertantibus, multis Christianæ militiæ adscriptis, Hunnorumque adventu, disserit; *Caput 2* de regione, unde prodierunt Hunni; *Caput 3* de gestis Gothorum, sedes quærentium, de *D. Ursula*, deque Hunnis aliquibus factis Christianis; *Caput 4* de gestis Hunnorum, usque ad regnum *Attilæ*; *Caput 5* de gestis *Attilæ*; *Caput 6* de gestis Hunnorum a morte *Attilæ*; *Caput 7* de Avarum, sive Abarorum, in Daciam adventu; *Caput 8* de gestis Hunno-Avarum, Imperatoribus *Justino* & *Tiberio Constantino*, id est, ab anno Christi nati 565 ad annum 583; *Caput 9* de gestis Hunno-Avarum, principibus *Mauritio* & *Phoca*; *Caput 10* de gestis Hunno-Avarum ætate *Heraclii Cæsaris*; *Caput 11* de gestis Hunnorum & Sclavorum usque ad regnum *Caroli Magni*; *Caput 12* de regionibus Hunnorum, & commentitio Hungarorum

rorum adventu; *Caput 13* de bello *Caroli Magni*, Francorum Regis, Hunno-Avaribus exitiali; *Caput 14* de Hunno-Avaribus perdomitis, & ad sacra Christianorum adductis, Sclavis item, Marcomannorum & Quadorum progenie, Episcopis utrique genti datis; *Caput 15* de rebus Sclavorum, Hunnorum, ac aliis, se offerentibus ab anno Christi nati 828 ad 866; *Caput 16* de S. S. *Cyrillo & Methodio*, Sclavorum Apostolis; *Caput 17* de gestis *Suentopulchri*, qui aliis *Zventibaldus*, aliis *Suatoplugus*, vel *Suatoplucus*, aliis aliter, dicitur. *Libri tertii*, de motu Hunnorum, sive de Hungaris, *Capite 1* de adventu Hungarorum sententiæ Autorum expenduntur; *Cap. 2* de gestis agitur Hungarorum usque ad finem *Arnulphi*, Regis; *Cap. 3* de gestis Hungarorum ab anno 900 ad 914, cum primis vero de subacta ab iis Pannonia, terrisque Iazygum, Metanastarum, & Quadorum; *Cap. 4* de cladibus, per Hungaros exteris gentibus illatis, & vicissim acceptis, ab anno 915 ad 954; *Cap. 5* de horribili clade Hungarorum, patrata A. 955; *Cap. 6* de iis, quæ apud Ungaros & Sclavos consequentibus annis acta sunt; *Cap. 7* de rebus *Geisa*, sive *Gaisa*, ducis, & incremento Christianæ religionis apud Ungaros; *Cap. 8* de ceteris rebus Ungaricis usque ad annum 1000. Quæ singula qui volet accuratius pernoscere, ipsum Autorem legat; nobis satis fuit summa *Libri I* capita delibare. Reliqua eadem elegantia, eodem iudicio, *Timon* noster profequitur; & si ex ungue leonem, e libri certe exordio antiquæ & novæ Hungariæ Autorem, ipsamque Commentationem, dignoscas.

JO. FRID. BOECKELMANNI, *JCTI ET ANTECESSORIS*, *Tractatus posthumus de Differentiis Juris Civilis, Canonici, & hodierni*. **CORNELIUS VAN ECK**, *JCTus & Auteccessor*, edidit, recensuit, & *Præfatione auxit*. **EVERARDUS OTTO**, *JCTus & Antecessor*, in usum Auditorum, *Notis illustravit*, & **JOACH. HASSÆI**, *JCTi*, *Differentias Juris Civilis & Canonici adjecit*.

Trajecti ad Rhenum, apud viduam & filios G. Kribber, 1737, 8 maj. Alph. 1 plag. 6½.

Utilissi-

Utilissimus hic liber est, & iis de meliori nota commendandus, qui ad Juris Canonici disciplinam appellere animum volunt. Cum enim alias in addiscendo cum Civili, tum Pontificio, Jure facile oriri rerum confusio possit, diligenter hic docetur atque ostenditur, quomodo unum ab altero recte feliciterque debeat secerni. Novis igitur meritis rem eruditorum publicam devinxit sibi Amplissimus *Otto*, quod suo eundem studio comtiorum audientemque in manus tironum iteratis typis tradiderit. Invenient etiam provectiones, quæ suos convertere in usus queant. Præmisit enim Vir Celeberrimus Præfationis instar prolixiorem copiosam, & rerum delectu & dictionis elegantia præclaram, in qua ad Jus Canonicum studiosius pertractandum graviter cohortatus est Auditores suos. Et id quidem per hæc tempora eo videbatur magis necessarium, quoniam communis fere totum Belgium opinio oppleverat, nullius esse usus Juris Canonici studium, postquam Pontifici Romano, ejusque sanctionibus, unice ad Hierarchiam sedisque suæ prærogativam stabilendam directis, valedixerit illa provincia. Sed, aliter se rem habere, turpissimeque falli, qui hanc animo sententiam imbiberunt, non sine argumentorum pondere luculenter comprobavit laudatissimus *Otto*. Idem singulis paginis eruditissimas observationes, calamo quondam ab Auditoribus exceptas, adjecit, partim ut dictandi scribendique onere levarentur illi, partim ut amplior ipsi de rebus notatu dignis disserendi, quædam etiam curatius rimandi, campus aperiretur. Sic v. g. *pag. 72 seq.* de jure decimarum; *pag. 204 seq.* de variis jurandi modis ac formulis apud paganos veteres & Christianos; *pag. 268* de origine ac poena criminis Sodomitici; & *pag. 319 seq.* de jurejurandi ritu ad SS. Evangelii tactum, non trita nobis ac proletaria videtur protulisse. Plura non addimus. Quis enim *Ottomem* ignorat, & quis unquam legit scriptum, ex politissimo ejus ingenio profectum, quin solennem illam inscriptionem: πάντα καλῶς! læto hilarique animo præfixerit? Gratulentur sibi omnes, quibus ab ore tanti Viri pendere contigit olim. Utinam modo in Academicis laboribus consensescere eidem datum fuisset! In alio enim, eoque altiori, dignitatis gradu nunc apud Bremenses constitutus,

fitutus, vix tantum habiturus otii videtur, ut novis ingenii monumentis novum sibi decus conciliet, quod sane non potest non ægre graviterque ferre eorum Jctorum ordo, qui elegantioribus Musis delectantur, nec in solis *Mascardi* aliorumque id genus hominum doctrinis acquiescunt.

GE. HENR. AYRERI, D. SERENISS. AC POTENTISSIMI M. Britann. Regis atque Electoris Brunsvico-Lunenburgensis a Consiliis, & in Academia Georgia Augusta Juris Publ. Prof. Ord. Commentatio Juris Ecclesiastici publici, Jus primariarum precum, quam late patet, ex genuinis fontibus deductum, & ad amissim legum Imperii fundamentalium, Actorum publicorum, Statutorumque Capitularium, examinatum, ipsis rerum argumentis illustrans. Juncta est Appendix documentorum, huc spectantium, cum Indice Autorum ac rerum locupletissimo.

Gottingæ, apud Abrahamum van den Hœck, Academiæ typographum, 1741, 4.

Alph 2 plag. 22.

Satis superque argumentum hoc jam olim a Viris doctioribus explicatum esse credent, qui, ex rubro de scripti cujusque dignitate existimandi, dictatoriam sibi potestatem sumunt. Longe autem aliter judicabunt, qui, ad legendum hunc sane egregium libellum conversi, ordinem in recensendis, examinandis, & decidendis, quæstionibus animadvertent, & additam Operi Appendicem documentorum maximam partem adhuc ineditorum, non solum plenam optimarum rerum, sed ad magnum etiam legentium usum accommodatam, intelligent; quo factò, minime est dubium, quin Opus hoc doctissimo Autore suo judicaturi sint dignissimum. *Sex Capitibus* Celeb. Autor omne hoc, quantumvis **Pag. 1.** grave, argumentum exhaustit; quorum *primum de origine Juris primariarum precum* inscriptum est. Dictæ sunt hæ *preces* ab Imperatoris, vel alius Principis, persona, pro aliis intercedente; *primariæ* autem nominantur non tam ab effectu, quam potius, quia semel,

semel, non bis aut sapius, ab uno eodemque ad unam eandemque ecclesiam conferuntur. His fundamenti loco positis, variorum, qui de *precibus primariis* scripserunt, definitiones, admodum inter se diversas, prout jus ipsum Cæsari, Regi Romanorum, & Vicariis, tribuerunt, Noster recenset, a quibus tamen omnibus ita abire ei visum est, ut illud non Reservatum Imperatoris tantum, sed facultatem etiam Principibus Imperii competentem, dicat, ideoque definiendum censeat, quod sit *facultas, iis, qui juribus majestaticis gaudent, & una persona constant, adcoque mutari possunt, competens, personam idoneam in quolibet Capitulo vel monasterio, ubi usu receptum est, sine iteratione ad beneficium ecclesiasticum presentandi.* Quod ad originem, sunt quidem plerique, qui jus hoc ex jure majestatis, eique annexo sacrorum, deducunt; sed vix sententia hæc rerum peritis satis se probabit, quia potestas Principum, præcipue circa sacra, in conferendis beneficiis ecclesiasticis restricta sæpe deprehenditur, ideoque ex consuetudinis jure derivandum potius esse Cel. Auctori videtur. Totam ecclesiam a primis Christiani cultus incunabulis Clericos elegisse, mox vero Episcopos hanc sibi solis curam & potestatem vindicasse, & novum electum ordinasse, satis constat. Postquam vero ipsi Imperatores Christo nomen dederunt, summa rerum ecclesiasticarum moderatio ab ipsis pependit, ita, ut personas ecclesiis præficiendas & consecrandas ad Episcopos miserint. Eandem Majestatis circa nominationem Episcoporum aliorumque Presbyterorum exercendæ curam adhibuerunt Francorum, tam Merovingicæ, quam Carolingicæ profapæ, Reges. Plures etiam beneficio *Conradi I, Henrici I, Ottonis M.*, & sequentium Regum ac Imperatorum, constitutos, vel, necessitate id urgente, depositos fuisse Clericos minoris & majoris ordinis, imo & summos Sedis Romanæ Præsules, constat, licet negandum non sit, omnem Pontifices de eripiendo hoc Imperatoribus jure lapidem movisse. Ferreo quidem sæpe pectore ictus fulminis Romani exceperunt & repulserunt Imperatores, jusque circa sacra tam carum atque justum, & cum eo conjunctam constituendi Clerum omnis dignitatis, & conferendi beneficia ecclesiastica, facultatem, tuiti sunt; sed vi-

cit

Pag. 8.

11.

14.

16.

17.

21.

22.

26.

- cit tandem anilis & superstitiosus ille anathematis metus *Henricum V*, Imperatorem, ut, pacto cum *Calixto II*, Pontifice, A. 1122 in Comitibus Wormatiensibus inito, *Deo & S. S. Apostolis, Petro & Paulo, sancteque catholica Ecclesia, omnem investituram per baculum & annulum remitteret*. Bene injustitiam & iniquitatem cessionis hujus extortæ animadvertabant Imperatores sequentes, *Lotharius, Fridericus I*, ceterique, & varios Episcopos aliosque Clericos constituendo, postliminii jure recuperare sua magno opere studebant; sed effectu carebant conatus illi, nihil ipsis remanente, nisi vano & satis oneroso *Advocatorum Ecclesie* titulo, cujus prætextu in Ecclesiis, præcipue a se fundatis, personas ad beneficia nominabant & præsentabant; unde primariæ preces ortæ, & ad alias ecclesias, ab ipsis non fundatas, extentæ, sensim in jus perfectum abierunt. Ex hisce ergo præmissis Cel. Autor ulterius deducit, *fundamentum juris primariarum precum esse consuetudinem*, ad quam & in Rescriptis suis *Rudolphus I, Carolus IV, Wenceslaus, Sigismundus, Carolus I'*, & reliqui, provocarunt. Non ergo sententiæ *B. Gribneri* accedit, ex potestate circa sacra illud deducentis, utpote cui secundum ante dicta renuntiarunt Imperatores. Nec magis favet sententiæ eorum, qui ex ipsa fundatione Ecclesiarum illud derivant. Non enim omnes Episcopatus & Cœnobita, in Germania sita, ab Imperatoribus fundata sunt, & tamen in dubio in omnibus jus hoc exercent, nisi exceptio doceri possit. Similiter iis, qui ex coronatione peracta illud oriri volunt, assensum denegat, coronationem Romanam dudum jam cessasse, Germanicam vero Imperatori nihil novi tribuere, cum omnia jam ex electio re jura habeat, præclare docens. Omnium autem minime habent, cur Autoris sibi suffragium promittant, qui ex dignitate Imperatorum canonicali, quam in quibusdam Capitulis susceperunt olim, & hodiernum suscipiunt, illud jus deducunt, cum vix ratio, a quibusdam Capitulis ad reliqua omnia concludendi, locum habere possit. Sed magis anceps est quæstio: an ex beneficio Pontificis illud jus Imperator hodie exercent. Ita post plures assueverunt *Conr. Oligenius*, vel, qui sub ejus nomine latet, *Justus Fontanini*, cujus tamen argumenta solide *B. Gribnerus* noster aliique

aliquæ eliserunt. Bullæ enim curiæ Romanæ, facultatem hanc largiter Imperatoribus concedentes, nihil ad rem faciunt, cum ipsum primariarum precum jus iis tanquam facultas propria jam competat. Id ergo potius probare debuisset *Pontunini*, Imperatorem aliquem, concessionem Curie Romanæ negligere volentem, ob contradictionem ejus sententiam mutasse, atque hoc modo indultum sibi expetiisse; quod tamen, cum doceri non possit, optimo jure consensum Pontificis ad exercendum jus primariarum precum tanquam superfluum neglexerunt recentiores Imperatores, interque eos præcipue D. *Josephus A. 1705. Capite II* Autor Celeberrimus *Jus primariarum precum Imperatoris Romani, ejusque exercitium determinatum*, exponit. Ambigebatur post sancitam in Imperio pacem religiosam, an Imperatori in Collegiis Augustanæ Confessionis juris sui usus quidam superesset. Ratio enim dubitandi tunc temporis ex eo desumebatur, quod, Imperatorem illud non nisi ex indulgentia Sedis Romanæ habere, putarunt, id quod merito, ob rationem supra allatam, rejicitur. Unde & in *I. P. O. Art. V §. 18 & 26* Imperatori jura sua sunt reservata, addita hac restrictione, ut præcipue in foundationibus mediatis secundum possessionem anni 1624 exercean- tur. Ipsum tamen eorum exercitium præcisè ad 1 Jan. restringere, iniquum *Conf. Autori* viderur eodem modo, quo alii, nimis extendendo, peccare videntur, qui Imperatori jus primariarum precum in omnibus foundationibus, ubi illud ante 1 Jan. anni 1624 quocunque demum tempore exercuerit, tribuunt; quorum rationes & recensuit diligenter, & doctissime refutavit, docens imprimis, vocabulum *exercuit* in *I. P. O.* non de facultate exercendi, sed de ipso exercitio, ejusque possessione, intelligendum esse. Interim ab altera parte extensivam interpretationem eatenus admittit, ut Imperator in quietâ juris sui possessione relinquendus sit, si modo præcisa d. 1 Jan. anni 1624 adhuc vixerit, ipso quamvis beneficio nondum percepto, sed tantum non recusato; licet ceteroquin preces suas v. g. a *Matthia* Imperatore jam obtinuerit. In fine hujus *Capitis* exempla quedam precum Cæsarearum, a variis terrarum Brunsvicensium & Osnabrugensium Cœnobiis mediatis ob rationes antea recensitas

Pag. 49.

55.

63.

66.

72.

74.

75.

91.

94.

97.

- Pag. 106. fitas rejectarum, annectuntur. *Caput III de Jure primariarum precum Regis Romanorum & Vicariorum* inscriptum est. Regi Romanorum qua tali nullum jus primariarum precum tribui potest, nisi forsitan Imperator illud ipsi delegaverit. Majestate enim reali haecenus caret. Sed magis anceps est quaestio: an
109. Vicariis Imperii competat. Pro sententia affirmativa omnino
112. militat 1) natura officii Vicariorum, & regula satis nota: Quaecunque jura competunt Imperatori, ea nec Vicariis Imperii denegantur, nisi exceptio lege Imperii definita doceatur. 2) Ipsa
114. *A. B. Cap. V §. 1* expressis verbis potestatem ad beneficia ecclesiastica praesentandi ipsis attribuit. 3) Accedunt praxis &
115. exempla. Sed, non attentis his, res ab aliis in dubium vocatur, imo negatur, quibus & ipse Auctor, post longam argumentorum recensionem, tacite subscribere videtur. Sed longiora
126. haec sunt, quam ut recenseri, aut sub examen vocari, hoc loco possint. Majori contra fundamento Principes Imperii juris hujus in terris suis participes facere conatur Consultiss. Auctor in *Cap. IV, de Jure primariarum precum Principum Imperii* inscripto; non quidem vi superioritatis territorialis: alias enim precibus ad Capitula directis non indigerent; neque ob fundationes vel dotationes ecclesiarum: non enim omnes in territoriis hodie fitas fundarunt; neque ob jus Episcopale: cum ex communi regule ne quidem ad Episcopum, sed ad Capitulum, praebendarum collatio spectet; sed ob eandem, ob quam Imperatori competit, consuetudinem antiquam. Proinde graviter errare Auctori videntur J.Ci. Brandenburgenses, qui Serenissimo Electori suo illud tanquam jus singulare tribuunt, quod omnibus reliquis
148. Imperii Principibus commune est. Idem enim Electorem & Duces Brunsvicensis in variis terrarum suarum Cœnobiis, & imprimis Sereniss. Hanoveranum Electorem, qua Archiepiscopum Bremensem, in Capitulo Hamburgensi, hodiernum exercere, ex actibus variis, ubi frustra contradicere conati sunt nonnulli, probat Auctor. In *Cap. V de Jure primariarum precum Augustarum Conjugumque Principum Imperii* disserit. Sicuti enim Germani Imperatores Augustas suas praeclaris honoribus exornare semper consueverunt; ita & quaestio inter eruditos agitata fuit:

fuit: an non idem primariarum precum honos Imperatrici tribui possit. Recte monet quidem Cel. Autor, Diploma *Eleonora*, uxoris *Friderici III*, Imperatoris, quo plerique sententiae suae fidem facere student, ambiguum esse; sed ex alia *Anna*, *Caroli IV*, Imperatoris, uxoris, charta, quam B. Jo. Pag. 177. *Burch. Menckenius* in *Scriptoribus rer. Germ. pag. 201* ex Codice chartaceo Bibliothecae Paulinae Lipsiensis publici juris fecit, & quam ex eo in *Appendice Diplomatum num. 81* apposuit Autor, omnino probari id potest. Moderate tamen simul addit, non aliter, quam accedente vel expressa vel tacita mariti concessione, hoc fieri debere, quod & 178. saepius ita contigisse probat. Inde ulterius sequitur, mortua prima uxore, secundam illud iterata vice exercere non posse, cum Imperator in uxorem plus transferre non possit, quam ipse 179. habet. Probato ergo hoc, eodem jure, eodemque modo, conjuges Principum Imperii gaudere concludit. In ultimo 182. *Cap. VI*, quod *de beneficiis, ad preces primarias spectantibus, effectibus illarum, precum qualitate & officio, precum amissione, & reliquis questionibus, huc pertinentibus*, agit, argumenta lectu dignissima continentur. Sed ob fines brevitatis nobis propositos sufficiat, tribus tantum verbis de his dicere, quo sic salivam lectori moveamus ad librum ipsum diligentius inspiciendum. Monstrat hic Autor, quænam beneficia preces primariæ afficiant. Agit de modis vocationis, & de diversitate mensum, quibus beneficia vacant. Recenset effectus primariarum precum, & quid tam generatim, quam speciatim, intuitu natalium in precibus requiratur. Nec de jure dispensandi circa statuta, de conditionibus, precibus adjectis, de insinuatione precum, de optione præbendæ, & de concurrenti duorum precistarum, dicere omittit. Ostendit porro, preces primarias non morte concedentis, sed precistæ, expirare. Claudat tandem librum suum, agendo de renuntiatione & revocatione precum, de earum cessione, & de causæ cognitione in precibus controversis. Hæc sunt summa argumenta libri doctissimi, & omnibus Juris publici studiosis vehementer commendandi. Huic adjecit Cel. Autor Spicilegium C Chartarum varii generis, prolata probantium, & in gravi hoc

hoc argumento multum omnino momenti habentium. Illud addimus, & adli, pro humanitate sua, patietur Autor, eo in loco, ubi de jure primariarum precum Vicario Saxonix competente differit, non videri eum rem acu tetigisse, nec, qui faciant cum ipso, adeo multos habiturum.

DE PULSIBUS AC URINIS FASCICULUS INDICATORIUS, omni perutilis, qui se Medicinæ dicat, sive Memoriale, hoc est, succincti Canones practici, ad praxin medicam facilitandam collecti, sibi atque aliis conscripti, a CONRADO ZUMBAG DE KOESFELT, Med. Doct. Poliatr. Lugd. Batav. atque ibidem Coll. Med. ad res obstetr. ac chirurg. Assessore, Soc. Reg. Boruss. Sodali.

Lugduni Batavorum, apud Gerardum Potuliet, 1741, 8.

Plag. 10.

Quoniam de morbis ex pulsuum urinarumque conditione maxime fit judicium, bene agit Medicus, si illam memori temper mente teneat, ejusque rationem in omni morbo diligenter habeat. Labili igitur consulturus memoriæ Cl. Autor, omnia, quæ eo pertinent, ex præstantissimis Autoribus conquista & collecta, in libellum hunc mole exiguum, quanta fieri potuit, brevitate contraxit, quem nunc ad publicos usus divulgat, ut omnes id emolumenti ex eo capiant, quod ipsemet jam tot annos & secum alii perceperunt. *Capitis I parte 1* de pulsuum diagnosi speciali, ex singulis morbis speciatim desumpta, acturus, ordine alphabetico morbos, & qualis in iis observetur pulsus, indicat; *parte autem 2* pulsuum diagnosin generalem a tactu &ensione exponit, e. g. pulsus durus quibus in morbis occurrat. *Capitis II,* quod agit de urinis, *parte 1* uroscopium particulare tradit, in quo urinæ, earumque conditiones variæ, pro singulis morbis, ordine itidem alphabetico consignatis, sigillatim describuntur; *parte autem 2* uriscopium universale exhibet, ut ex urina, e. g. cruda, flava, &c. morbi, eorumque causæ, conjiciantur. Denique *Cap. III*
pra-

praxeos generalia subjungenda putavit, ubi, novem segmentis per ordinem morborum eundo, indicat, quibus purgantia, vomitoria, sudorifera ac diaphoretica, diuretica, venæsectiones, clysteres, opiata, vesicatoria, & ptyalismus, conveniant.

*JO. ERNESTI HEBENSTREIT, MED. DOCT.
Anatomie & Chirurgie Professoris Publici Ordinarii,
Academie Imperialis Naturæ Curiosorum & Gallicæ
Massiliensis Sodalis, de Vermibus, Anatomicorum
administris, Commentatio.*


Immortalis famæ Vir, *Friedericus Ruyschius*, postquam arte sua, vasa corporum cera replendi, Anatomem ad rerum culmen evexit, tam utilitati scholarum, quam ornamento Museorum, suppellectilem struxit, quam ipso equidem magistro nemo unquam elegantiore habuit, quam tamen haud pauci ex discipulis assecuti haud infeliciter fuerunt. Mirabantur eo tempore omnes Viri dexteritatem, qua vasa ceris facta luculenter exponere, & ex viscerum medio habitu, parenchyma dicto, exculpere, brevior, quam scalpello fieri potuit, opera, solebat. Admirabilis illa res visa fuit omnibus, & fascinationi perquam similis, donec, prout in novarum rerum enarrationibus fieri solet, summi artificii admiratio fere in ludibrium abiit, postquam intellectum est, quos summi ingenii Vir satellites suos & operis administris appellare solebat, vermes esse carniū destructores. De satellitibus hinc suis quædam memoriæ prodidit in *Curis renovatis*, seu *Thesuro Anatomico* post curas posteriores novo, edito Amstelodami A. 1728, 4. Expertus sum animalculorum istorum industriam cum damno hætenus, cum aliqua utilitate, postquam eorum forficulis in commoditates meas uti cœpi, nuper. Cum enim hepar infantis, quod vena umbilicali ceram acceperat, negligentius haberem, jucundissimum subito spectaculum percepi, cum vasa visceris, quæ venam portæ attinent, nuda, recte ordinata & integra, quousque cera abiverat, contemplerer. In opere suo versabantur imo viscere reconditi ascarides, & quod ubique esset cera vacuum, rotabant,

182 **NOTA ACTA ERUDITORUM**


bene, quodammodo proficiebant quondam. Hærebant alii circa
 membrana, tamen tunicas, sapere abstricci, leviter
 membrana delati, eadem intacta, glandulosam, si tamen est,
 substantiam avide devorabant; alii denique visum subterfuge-
 bant penitus. Intellexi autem, non numerum, sed copiam, sub-
 esse. Admiratus rei novitatem, a me nondum vise, veritus-
 que, ne gulosi commessatores, absumta visceris parte vacua,
 quod jam factum esse sentiebam, grassarentur in vasa, excussi
 omnes, & in opere perturbavi, alio tempore experimentum
 rei facturus denuo. Fecit mihi animalculorum qui in *Schemate*
 (vid. *Fig. p. p. p.*) expositus est, labor scribendi facultatem, nec
 sine jucunditate in hoc argumento versatus sum. Repetam au-
 tem rem paulo altius. Versari solet inter preparata sicca re-
 rum humanarum Scarabeus hemisphericus, pisi magnitudine,
 corpore ovato, qui cum Scarabeis omnibus id, quod Scarabeo-
 rum est, commune habet, alas membranaceas binas, duplici
 ala coriacea obductas, sex pedes, forficulos ad horizontem mo-
 biles, ex omnibus tamen antennas omnium minimas habere vi-
 sus est. Convenit enim cum Scarabeo *Joannis Gadarti*, deli-
 neato in *Metamorphoses naturelles, ou histoire des Insectes*,
Tom. II. Colore nigricat, vertici propius alba notatur ma-
 cula. Nec ille quidem est supellectilis nostræ destructor,
 utpote quem quiete errantem, nec moleste sedulum, deprehen-
 diamus. Habent enim id plurima insecta, ut, postquam meta-
 morphosi ex reptili volatile animal facta sunt, parum com-
 edant, sed proboscide res liquidas sugant, prout de omni pa-
 pillone & musca novimus. Neo Scarabei devorant, quamvis
 haud paucis florum destructores, dum in calyce rosarum vel
 anicorum sunt, esse videntur. Scilicet, quod exesum est,
 non Scarabeus, sed Scarabei vormis, exest. Temere accusa-
 mus Gallinsecta & Progallinsecta, Scarabeos, qui foliis arborum
 insunt. Vermes rodebant, nunc, postquam, per statum me-
 dium, diversam a priore vitam habent, quiescunt. Quare
 nec nosse Scarabeus aliam, quam fertilitatis, noxam habet,
 nec homines, quam corpore crassiore, & tarditate ingressus,
 cogno-

T.A.B. II ad Nov. Act. Erud. A. 1742 Mens. Mart. Part. II pag. 182 seq.





MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1742

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 K 4⁰

cognoscas, mari copulata, hinc fœcunda, innumera parit ova. Quare illa haud raro interest vermium rodentium gregibus, non devoratura, sed paritura. Parit autem innumera ovula, tomento (vid. *Fig. d. e. n.*) prout visum est, involuta. Habent id erucæ gregaria, illæ potissimum, quorum ovula per hyemem durant, ut sericea tela fœtum obducant. Scarabæi etiam sub terra, fimo, inque corporum cavis, quales sunt cadaverum, Germanis *Aas-Kæfer*, simile quid exercent, quo ovula tenacius hæreant; quare ex ovulis istis subito & brevi admodum temporis mora vermiculi enati sunt, quos triplici magnitudine, minimos, medios, maximos, (vid. *Fig. f. g. h.*) in viscere observavi, non quod tres essent vermium species, sed quod diversæ ætatis acari, nascentes, adolescentes, & adulti, operis communione perfruerentur. Qui ex omnibus corpore est præstantior, & statura procerus, (vid. *Fig. i.*) operosior non est, sed ignavus, fere emarcidus, qui sese ex latebris rei destructæ proripit, quam longe potest, ab eadem recedit, hinc subito quiescit, utpote qui suæ mutationi sit propinquus. Ea lex omnibus & erucis & vermibus lata est, ut ætate proveci, imminente metamorphosi, parum esuriant, tandemque motu locali destituantur. Quare & ex vermibus cadaverum, qui maximus est, fere totus obrigescit, dum interea minimi cum mediis sunt voraciores. Vidi etiam minimos inter vasa capillaria versatos, & proinde maximam gratiam meritos, dum medii vasis majoribus exedendis operam impenderent. Quomodo autem adolescant, scire decet. Statuta est insectis & animalibus crustaceis lex naturæ immota, ut, exuvias ponendo, adolescant. Sic astaci, scolopendræ, arachnei, erucæ, angues, viperæ, vermes, ad staturam evehuntur, dum quotannis, quæ corpori circum est, crustam, futuris crepantibus, exuunt, subnascente nova cute, paulatim induranda. Ex volaticis etiam quædam, prout bruchus, anteaquam fit locusta, vel cicadæ, vel blattæ, id habent, ut exuvias ponant. Quare &, simile quid administris Anatomicorum accidisse, deprehensum est, quo exuvias ponerent. Vidimus autem, sicut triplicis magnitudinis vermes, ita triplicis magnitudinis exuvias, in eadem statione. Quare intellectum fuit, singula ætate singulum deponi corium, (vid. *Fig. e. o. k.*) hac tamen diversitate, ut ex prima & secunda exuvia
prodeant

prodeant vermes statura aucti; ex tertia tandem mutatus emergat Scarabæus. Quare scimus, ex illa classe vermium esse nostros, quorum cutis indurata tandem fit nympha, ejusdem, quæ vermi fuit, formæ, ita, ut vermem superesse putes, quando jam medius ille, qui omnibus insectis inevitabilis est, status vermi supervenit. Ea tamen deprehenditur inter vermem & Scarabæi nympham diversitas, prout comparatis inter se *Figuris*, in *Schemate i & k* notatis, clarum esse puto, quod, quamvis utrinque & numeri annulorum, (sunt autem quatuordecim,) setularum etiam, quibus corpusculum inhorrescit, hinc illius conditionis, qua pedibus destitutus est venter, intercedat similitudo, staturæ tamen, qua vermis erat, decesserit haud parum in nympha, quæ propterea crassior est tanto, quanto longior esse desit. Postquam ergo quietus & rigidus aliquamdiu mansit vermis, (mansisse autem puto per octiduum,) subito juxta cervicem animalculi nympha ad perpendiculum diffissa est ad primum usque thoracis annulum; deinde evasit Scarabæus, (vid. *Fig. l.*) quem paulo ante lenti similem, pedibus & capite in se contractis, sub nympha videram, altero statim die aliquantulum auctior, (vid. *Fig. m.*) mox disparsens, & vago vitæ genere delectatus, utpote quem, si foemina fuerit, deceat novas stationes quærere, & ovula defigere in rebus passim obviis, musculis exsiccatis, membranis ligamentorum, visceribus, & aliis rebus anatomicis, quas, mala plerumque gratia misere dilacerant, ex ovulo, vermes. Singulare illud est, quod hyemi propior foetura Scarabæi, sub tertia exuvia, quæ nympha fit, per hyemem quiescat, quod aliis etiam insectis ita evenire solet, ut calore æstivo parum adjuti, sub nympha sua omni hyeme delitescant. Equidem affirmare non auisim, carnibus siccis admordendis parem tantum esse hunc vermiculum, quem haud raro etiam cerealia attingisse deprehendi, sicut etiam factum esse memini, quo Curculio, Scarabæus, cujus vermiculus fruges consumere natus est, & granorum interanea admirabili artificio exest, inter præparata mea errabundus, ovula ponere tentaret, ut dubius eo tempore fuerim, num ab ejus foetura noxam passæ essent res meæ. Certissimum est, vermes, & pedatos & apodes, qui Scarabæi tandem fiunt, rodendis artificiose

ciose rebus potissimum vacare. Talem vermem exhibet *Gedartus Metamorph. Nat. Tom. II Exp. 51*, ex quo fit *Cantharus* & *Scarabæus Xylophthorus*, sonitu suo, quem edit, notissimus, & celebratus etiam Prophetæ *Habacuc II, v. 11, 12*: *Lapis ex pariete clamat, & udydaeos ex ligno respondet ei*. Exemplum industriæ in lignis rodendis habemus vermes, qui *Scarabæi* fiunt lignorum antennis longissimis. Habui, prout in *Schemate* exhibetur, vermiculi, foliorum destructoris, mirum opus, cuius labore admodum delectatus sum, cum animalculi solertiam perspicerem, qua, quod inter foliorum mediam substantiam retiformem est, succidi, ita destruit, ut, omni virescine foliorum absumpta, membranaceum superfit reticulum, quo parum elegantius dabit ars illa, quæ foliorum nervos & vasâ minima separat, & sceleti vegetabilis specie sistit. Potuerunt, qui primum in ista foliorum sceletopoiia versati sunt, laboris argumentum a foliorum effossore desumpsisse. Eadem est utriusque vermis, & illius, qui viscerum interna rodit, & vasis cera plenis parcit, & illius, qui foliorum parenchyma mordet, nascendi conditio, idem instinctus, eadem metamorphosis, nec *Scarabæus*, utrinque enascens, magnopere difert. Postquam enim *Scarabæus* fœmina, mari copulata, quod illius generis coleopteris averso fit corpore, ovula in averâ folii parte inter nervos defixit, exoriuntur acari, (Vid. *Fig. q. q.*) annulorum numero & hirsutie convenientes cum Anatomicorum satellitibus, in eo tamen discrepantes, quod intense nigrescant, & tubercula bina pro pedibus sub pectore habeant, quorum auxilio folio fortiter adhærent, nec excuti se facile patiuntur. Gregarii sunt, & in eadem folii parte plures proboscidem defixam habent; hinc fervet labor, & brevi tempore folia cancellis perspicua, omnique virescine exuta, conspiciuntur. Folia sua, parenchymate exeso, satellitum quorundam ministerio ita eleganter elaborasse *Ruyfëbium*, prout in ejus *Thesauro* maximo depinguntur, ipse loquitur *l. c.* Diversa tamen ab hoc nostro fuisse & minutissima, ex aquis putridis, infecta, ipso ejus sermone clarum est. Talis fuit rami ex ostrya decerpti facies, in quo vermes habui jam adultos, de quibus adeoque, num triplicî vice, quod per analogiæ leges fieri de-

buit, exuvias posuerint, affirmare non audeo. Habui tamen illam, qua Scarabæus prodiit, exuviam, folio, imo sericea tela, juxta thoracem, firmiter alligatam, quod etiam erucis ita contingit, quæ, quo quiete per statum suum medium ad vitam aeream papilionis adspirare possint, circa se fila ducunt, & ab iisdem vel ad perpendiculum hærent, vel ad horizontem vegetabilibus adnascuntur. Eadem est huic exuviæ juxta cervicem fissura, (vid. *Fig. t.*) qua Scarabæus exiit, paulo tamen secus egit Scarabæus, (vid. *Fig. s.*) qui intra scatulam conclusus, & auxilio telæ suæ sericæ non adjutus, exuviam in medio (vid. *Fig. r.*) fregerat, quo tempore figuram ejus ediscere potui. Instituendum est rei experimentum, quod tamen fieri posse dubito, num foliorum acarus carnes admorsurus sit, prout tineæ docente Cel. *de Reaumur* in *Memoires pour servir a l'histoire des insectes* Tom. III. Non telas tantum, ex lanis confectas, sed & membranas & ligna, mordent, si pabuli penuria ingruit. Nollem autem utriusque vermiculi, & nostri & sylvestris, operas instinctui & connatæ cuidam industriæ tribuere, cum necessitatis sit, parcere rebus, quarum duritiem superare nequeas. Habemus foliorum tineas, quæ pro corporum suorum tenuitate minimis foliorum vasis intersunt, nec tam destruunt folia, quam cuniculos inter utrumque folii corticem agunt, hinc tumores excitant, in quibus, donec muscarum minimarum quadripennium egregie lucentium facie evolent, quiete delitescunt. Provincias in tenui foliorum lamina obtinent, & colonias stabiliunt. Grandiora mole infecta, & ferocioris indolis, integra depascuntur folia, vix pedunculum superesse sinunt Erucæ, alia, admirabili arte, durissima ligna effodiunt, sicut vermium, ligna infestantium, variæ apud Scriptores notæ sunt species. Dex, & quæ enxyla vocantur, sunt apud *Theophrastum*, *Aristotelem*, & *Plinium*. De Thripe est apud *Lucianum* in *Lexiphane*, qui dicit, *olivus se suas servare sub sigillis, a Thripe maxime erosus*. Celebratissima penes antiquos sunt nomina Thripum; quæ lignis tabulisque ligneis infestæ, graphica velut arte rodunt; hinc Græci, maxime Lacones, leguntur ante annuli signatorii usum lignis, Tripe excisis, usi fuisse. De his *Mouffetus* in *Theatr. Insect.* Lib. II Cap. 19 pag. 249: „Vermiculoso processu, varias cha-
 „racterum,

rastrum, herbarum, animaliumque, formas exsculpunt, & di-
 vinam illam Phidiae, Praxitelis, Myrmecidis, Bupalis, Sophro-
 nisci, Antherni, glypticam fere superant. Simili fere modo in-
 teranes lignorum, tractibus artem æmulantibus, exedunt Ligni-
 perda & alia enxyla. Illustre voracitatis in Xylophago marino
 exemplum cum insigni suorum damno habuerunt Belgæ, quam-
 vis non vermis, sed conchylum, istam stragem ediderit. Inte-
 gram hanc Terebinthi marini historiam erudite recensuit *God-
 fredus Sellius* in Historia naturalis Terebinthi, seu Xylophagi
 marini, tubulo conchoidis, edita Trajecti ad Rhen. A. 1733, 4.
 Nec saxa suis destructoribus vermibus carere, indicavit *Gæ-
 dardus* in Metamorph. naturell. Tom. III. Qualem, nomi-
 ne שמר, Judæus Magister, *Salomoni*, templum exstruenti,
 notum fuisse, superstitiose fabulatur, cujus ministerio ille po-
 tissimum in saxorum politura usus fuerit. De hoc verme *Seba-
 mir* ad 1 Reg. VI, 7, quo usus sit *Salomo* in templi edificio,
 multa fabulantur Judæi doctores. Conf. *Balthaf. Scheidius* in
 Præteritis præteritorum, quæ exhibet S. Rev. *Meuschenius* in
 Novo Testamento ex Talmude illustrato pag. 225. Non
 obscurius his, ast verius, nomen habent vermes, Ana-
 tomicorum administri, quorum historia, quantum experimen-
 tis hæcenus constitit, tradita est. Non autem tantum illi, qui
 Scarabæum in viscere habent, sed & illi, qui mulcæ, bene de
 nobis mereri cupiunt. Scilicet est carniæ muscæ, domesticis
 major, colore livida, importuna, si quæ unquam, & alarum
 strepitu, quibus chorda elastica sustentâ est, admodum sonora.
 Hanc, foetore carniæ putrescentium illectam, & moleste se-
 dulam, animadvertimus. Postquam confedit gravida plurimis
 ovulis mater, defixo, qui ano prope est, aculeo, parit pro-
 lem, quam, dubium est, ovum, vel nympham vermiformem, ap-
 pellare cum *Schwammerdammio* debeamus. Multa enim insecta
 nascuntur ex Nympha, quæ statim est animal. *Jo. Schwammerdam*
 in Bibl. Nat. seu Hist. Insect. huc refert formicas, pediculos, cic-
 das; quarum ova putata crescunt, postquam nata sunt, tandemque
 adultum insectum emittunt. Certe vermes vivos nasci putares, adeo

breve, a partu ovi ad animalculi vitam, tempus intercedit, nec forma quidem ovi, qualis plerorumque insectorum esse solet, respondet. Ova tamen esse puto, cum non nisi exuta, quam circumductam habent, membrana, vermibus moveatur, parvus primum, mox adolescens, tandemque adultus. (Vid. *Fig. a.*) Haberes, quo tibi de isthoc satellitio gratulari posses. Voracissimi enim sunt, & vasa promptissime denudant, sed subito existantur, quiescunt, & opus imperfectum relinquunt, parum etiam propterea proficiunt, quod siccas partes non attingant, & deleantur putridis, nec aliud eorum famulatio beneficium percepi, quam quod pinguedinem, quæ musculis interest, nitide consumserint, plus tamen damni semper, quam commodi, habitum est. Exuvias, dum adolescit vermis, poni, auctor est *Reaumurius* Tom. IV pag. 26. Quo magis ad maturitatis terminum accedit, eo plus crassescit, fit tardigradus, deserit opus, & in remoto loco prorsus obrigescit, dum cutis ejus mutatur in nympham (vid. *Fig. b.*) totidem annulis, quam qui fuerunt vermi, id est, duodecim. Diu in mutatione est, mensis spatio nondum apparuit musca. Si sero nascitur vermis, hyemem intra nympham statu medio transigit, hinc, nympa juxta locum, qui vermi vertex est, fissuram agente, prodit musca, madore primum humida, mox agilis, statim magna, quod omnium insectorum est, quæ metamorphoseos leges experiuntur, ut ea, quam omni vita servant, statura sua ex nympa efflerantur. Vix effugit musca, quam carnes appetit, quæ equidem ex muscæ deprædationibus noxam habent nullam. Muscæ enim omnes proboscide sugunt res liquidas, nec mordent, nisi ex ovulorum foetura habent non levem. Ea est muscæ matris industria, ut per media lintea, quibus cadavera obvolvimus adacto aculeo, ovula ordine disponat, nec uno loco omnia ponat, sed in diversis. Quodsi in hoc argumento paulo liberalius versatus fuero, quodsi meo oblectamento, nec utilitati Lectoris, scripsisse videar, pro me perorantem habeo *Quintilianum*: *Parva docemus, est etiam sua studii infantia.*

NOVA LITERARIA.

Omni laude dignum est institutum doctissimi Viri, Jo. Pauli Raderi, Gymnasii Ægidiani, quod Norimbergæ floret, Rectoris, libros, quicunque sub ipsis Typographiæ incubulis Norimbergæ sunt excusi, in justum quendam indicem redigendi, sicque optime merendi de his, qui literariæ Historiæ non vulgari quodam studio tenentur. Explicavit omnem eam rem longa haud ita pridem Epistola, ad Viros doctos data, quam, ne quidquam eorum, quæ scire tua interest, ignores, hic legendam damus: *Cum ex festa in secularem Typographiæ inventæ memoriâ habita solemnitate haud ægre singulis constare possit, cur & librorum, Seculo XV Norimbergæ typis expressorum, catalogum in vulgus edamus; non meum esse veor, multis eam rem ambagibus commendare. Neque tamen sola causa est, ut verum ipsarum testimoniis probemus, habere vel imprimis Norimbergam, cur de primo fusorum typorum beneficio gratuletur sibi; sed quia non ingratum putamus fore literatis viris, si pleniorẽ uberioresque librorum, Norimbergæ exscriptorum, cognitionem haurire licet, quam quæ sparsim ex scriptis Historiæ literariæ desumi potest. Vellent quidem, ut, quod præfiscine dixerim, omnes, quos rogavi, tam faciles ad communicandos antiquæ notæ libros fuissent, quam ego promptus paratusque ad describendum fui; multo sane, quod nullus dubito, majorem numerum & ampliorem librorum, Seculo dicto impressorum, copiam offerre legentibus potuissem. Tancum vero abest, ut de plurimis justè aut merito queri possim, ut potius virorum genere, honore, & ingenio, summorum gratiam & favorem ea in re nunquam satis collaudare valeam. Tanta quidem virorum illustrium doctissimorumque nomina reticere nullo modo nec possum, nec volo; sed tamen, ut distincte omnia recensere queam, totam rem ex successione temporis enarrabo. Primus igitur loco & tempore nominandus est Vir Perillustris ac Generosissimus Dom. Hieronymus Guilielmus Ebner ab Eschenbach, S. Casaræ Majestatis Consiliarius, Coronæ & Insignium Imperialium Custos, Civitatis patriæ Triumvir, rerumque ecclesiasticarum ac literariarum Curator primarius, Mæcenas mihi divinitus datus; qui non*

modo totius Operis & hujus etiam Catalogi primum consilium cepit, mibique exarandi legem imposuit, verum etiam illud ipsum conamen studio industriaque juvit, librorum communicatione promovit, commendatione propagavit, & autoritate demum auxit & amplificavit. Hinc etiam factum & effectum est, ut R. P. Frœlichius, S. J. Vir in re numaria, Mathesi, & linguis, versatissimus, librorum Seculo XV Norimbergæ impressorum, qui in Bibliotheca Universitatis Viennensis & Societatis Jesu continentur, indicem, cum notis adjectis, Celeberrimus item Vir Philippus Lambacher, Secretarius & Bibliothecarius Civitatis Vindobonensis, Catalogum ejusmodi librorum, qui in Bibliotheca civitatis Viennensis asservantur, benevole humaniterque communicarent. Neque vero minorem ex patria civitate nostra diligentiam industriamque navavit in perlustranda Bibliotheca publica Norimbergensi Reverendus Vir Jo. Sigismundus Mœrlius, ad S. Sebaldi Diaconus, qui parentis indulgentissimi, Viri Summe Reverendi, Gustavi Philippi Mœrlii, Ecclesiarum Norimbergensium Antistitis & Bibliothecarii, nomine curam in conscribendis libris, in excerpendis operam, & in conscribendis fidem suam, omnibus ubique commodavit. Unde etiam, cum instituti nostri rationem videret & audiret Vir Reverendus Raidelius, ad S. Sebaldi Diaconus beatæ memoriæ, non intermisit ille, quantum potuit, huc symbolam conferre, ita quidem, ut, quem habebat scriptum Bibliothecæ Luneburgensis catalogum, pro scopo nostro perlegeret, librosque Seculo XV Norimbergæ impressos exciperet & communicaret. Hæc interea cum peragerentur; omnes fere, quotquot novi per civitatem, rogavi doctos, ut ex suo Bibliothecarum instructissimarum promo condo aut libros, ad Historiam præcipue literariam & ecclesiasticam pertinentes, aut Catalogos indicesque Bibliothecarum splendidissimarum, depromant mihi. Cujus favoris ergo Virum Amplissimum humanissimumque M. Engelhardum Geigerum, Schola Sebaldina Rectorem, multoque vero magis Reverendum Virum M. Conradum Schœntlebium, ad S. Ægidii Diaconum, Collegam tunc temporis amicissimum, nominare possum. At omnium maxime impensissimeque laudare fas est magnum illud rei literariæ medicæque decus, Godofredum Thomasium, qui tam benigno, tam prolixo animo, tam largæ manu, Bibliothecam selectissimam

fmam ornatissimamque aperuit, monstravit, obtulitque, ut ne vo-
ris quidem conceptis melius sperare potuissem. Ita sane est, ut,
quo magis tanti Viri humanitatem expendo, hoc minus dijudicare
valeam, utrum facilius mihi obtulerit librorum etiam pretiosissimo-
rum usum, an eundem benignius liberaliusque permisisset, utrum
se in exhibendo promptius, an in recipiendo letius, & ad plura
subinde offerenda proclivius, ostenderit. Tanta igitur librorum &
catalogorum selectissimorum copia instructus, nullam quidem ego in
iis perlustrandis operam recusavi; sed tamen ex concisi temporis
parfymonia latus accepi juvenum quorundam honestissimorum, com-
militionum meorum, alacritatem & voluntatem, qua mihi occu-
patissimo in Catalogis perlegendis & excerptendis manus prontas
& auxiliatrices praebere voluerunt, suamque mihi & aliis diligen-
tiam comprobarunt. Ita quidem, collectis ubique nominibus edi-
tionibusque librorum, Seculo XV Norimbergae exscriptorum, prima
duxi lineamenta Catalogi, eumque adhuc rudem & imperfectum ad
Virum de Universitate Altorfina bene immortaliterque merentem,
Christianum Gottlibium Schwarzium, praecceptorem quondam meum
nunquam non colendum, nisi; qui, qua pollet humanitate & gra-
tia, non sive modo Bibliothecae instructissimo apparatu, sed illorum
etiam, qui in Bibliotheca Universitatis continentur, librorum titu-
lis & subscriptionibus Catalogum nostrum augebat & ornat. Ne-
que etiam reticere ullo modo possum Viri Perquam Reverendi
Lochneri, ad Parochiam Sebaldinam Senioris, benevolentiam &
promittitudinem, quam in perquirendis Bibliothecae Dillherrianae li-
bris libens volensque ostendit, & ad plura sese obligavit. Tanta
igitur librorum, partim novorum, partim recursorum, accessione mi-
rum in modum auctus, & ad trecentorum numerum productus est
Catalogus; qui cum typis exscriptus esset, & ad Germaniae litera-
tos mitteretur, non sine larga suorum fructuum messe revertebatur.
Factum est enim, ut non modo V. C. Biedermannus, Convector
Schole Numburgensis ad Ecclesiam cathedralem, librorum ex Bi-
bliotheca Schole Portensis excerptorum indicem benevole commu-
nicaret mihi, verum etiam Vir magna eruditionis laude ac fa-
ma clarissimus Jacobus Burekhardus, Consiliarius Aulicus & Di-
rector Bibliothecae Augustae Cuelpherbytanae, pro sua, qua pollet, hu-
manitate designationem accuratissimam eorum, qui Seculo XV
Norim-

Norimberga excudabantur, librorum per sacratissimum Reineringium, qui a commentariis Bibliotheca est, exarandam curaret ac transmitteret; porro etiam Vir multa doctrina industriaque nominibus celeberrimus J. C. Wolf, Professor Graecae Linguae in Gymnasio Hamburgensi, ex diversis Catalogis & Bibliothecis, potissimumque ex Bibliotheca Paulina Lipsiensi, Freybergensi, & Cygnensi, symbolam conferret suam. Neque minus praeter ea, qua viri humanorum literarum genere laudatissimi, Rector Schola Solisbacensis, M. Franciscus Zettelius, & Gesnerus, Schola Rothenburgensis Rector, & Rector palaestra Windsheimensis G. W. Dietzius, transmitterunt, doctrinaque studiis florentissimus vir, Jo. Gottlieb Breikopfius, ex Bibliotheca Freybergensi excerptanda curavit, nova librorum excerptorum accessiones Vienna facta sunt: cum illinc nimirum Praefationes & subscriptiones Codicum, in Bibliothecis supra dictis contentorum, lubentissime diligentissimisque ad ipsidem Auctoribus collatas, accepissim. Est etiam, quod Viro Maxime Reverendo Hasselio, generalissimo Ecclesiarum Brunsvicensium & Lunenburgensium Superintendenti, grates agamus devotissimas pro eximia benignitate, nobis ex Bibliotheca Principali Wolfenbytelana selectos libros communicandi. Neque sane minorem exhibuit mihi pro instituto nostro adjuvando humanitatem & operam Vir de re literaria bene immortaliterque meritus, & Ecclesiastici muneris dignitate reverendus, Jo. Georgius Schellhornius; qui, quantum potuit, librorum Seculo XV Norimberga impressorum numerum auxit, nostrique Catalogi rationem promovit & amplificavit. Tandem vero totum Opus nostrum ex singulari quadam benevolentia ac facilitate coronavit Reverendissimus Dom. Godetridus, liberi & exempti Monasterii Gotwicensis, Ordinis S. Benedicti in Austria inferiori, & S. Adriani in Szalavvar in Hungaria, Abbas, Vir in summa literarum cultorum & antiquitatis luce famaque conspicuus maxime; qui, quod Ebnero nostro satis abundeque promisit, expleturus, quos in Bibliotheca Gotwicensi libros ejusdem generis invenit, eorum omnium catalogum largissime transmissit & communicavit. Rite igitur debiteque peracto grati animi pietique officio, nihil est, quod addam nisi verba ista, quae ex Animalibus Maisterianis Tom. I Pars. II A. 1733 edit. pag. 527 n. 9 excerpta dabo: Operæ pretium videtur uberiores & pleniores catalogum, quam quem Saubertus dedit, de antiquis editionibus Bibliothecae publicae Norimbergensis ab aliquo ducto Norimbergensi requirere. Ibidem celeberrimi Polyhistoris & Medici Norimbergensis Thomasti Bibliotheca esset consulenda. Quantum desiderio hujus ingenui devotissimi Viri satisfactum fuerit, non meum est disjungere.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXLII.

THE HISTORY OF THE LIFE OF MAR-
cus Tullius Cicero, &c.

id est,

**M. TULLII CICERONIS VITA, AUTORE
CONYERS MIDDLETONO, S. Theol. Doct. & Bi-
bliothecario primario Universitatis Canta-
brigiensis.**

Volumina II.

Londini, impensis Autoris, 1741, 4 maj.

Vol. I Alph. 3 plag. 10, Vol. II Alph. 3 plag. 6.

C*ceronis* vitam tali scriptione enarrare, quæ digna sit tantæ viri persona, & quæ lectoris animum alliciat ac adjuvet, uti res certe est magnæ utilitatis, ita & multæ artis, ac non exigui laboris, esse videtur. Primo enim eandem Romanæ historiæ ac Reipublicæ notitiam, eandem in evolvendis Græcis Latinisque monumentis assiduitatem, eandem ingenii aciem, prudentiam, eloquentiam, requirit hoc genus scripturæ, quam universo Romanæ historiæ illorum temporum, in quæ *Cicero- nis* ætas incidit, pertractatio. Deinde, quæ prima est omnis Historiæ lex, ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat, & ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, eam cum in omnis viri magni vita scribenda, tum maxime in *Ciceronis*, assequi difficile est; non quod hic spes aut metus animum scriptoris a vero possit avertere, sed quod difficile sit cavere, ne tot illu-
B b strium

strium tanti viri factorum & dictorum splendore mens ita afficiatur, ut vitia ejusdem aut plane non videat, aut dissimulare cupiat. Tacebitus laborem, qui omnibus illis locis, quæ rerum ad *Ciceronis* vitam pertinentium mentionem faciunt, & per magna *Ciceronis* volumina hinc inde sparsa sunt, colligendis, iisdemque ordine & judicio dispensandis & disponendis impendendus est. Has, & si quæ sunt aliæ his affines, difficultates in vita *Ciceronis* scribenda omnes recte perpendens Reverendus *Middletonus*, parum absuit, quin hoc munus, a Mecæate suo sibi demandatum, recusaret. Est autem ille Vir non solum gloria majorum conspicuus, & in summa dignitate constitutus, sed etiam doctissimus, & ob eruditionem inter cives suos celebris, *Joannes Herveus*, Regi Magnæ Britannæ a Sigillo privato. Hunc Virum amor *Ciceronis*, quem ex libris ejus hauserat, non prius quiescere passus est, quam Opus hoc, cui doctissimum *Middletonum* parem judicaverat, ex animi sententia ad finem perductum vidisset. Et certe, si hic Vir talis est, qualem nobis Autor in Dedicatione depingit, de quo minime dubitamus, mirum non est, ejus autoritati, nedum precibus, Autorem resistere non potuisse. Sed, quantum Autor ad explendum Illustris hujus Viri desiderium fecit, tantum hic ad splendorem Operis, ab illo elaborati, contulit, cum non solum editionem ejus omni modo juvare & ornare studuerit, sed & illud, antequam ederetur, perlegerit, & nonnullis in locis, tanquam olim *Scipio Polybii* Historiam, expoliverit. Hæc de occasione hujus Operis scribendi ex Dedicatione referre voluimus, quam Autor ad *Herveum* præmisit, & quæ, ut hoc addamus, ita est elaborata, ut profiteri non vereamur, nos, ea perlecta, nescivisse, quid potius miraremur, rarasne his nostris temporibus Illustris Viri laudati virtutes, an elegans eorum laudatoris ingenium.

In Præfatione, ad quam nos nunc convertimus, tria præcipue Autorem videmus egisse. Primo, ut a suspitione gratiæ in scribenda *Ciceronis* vita se defenderet, deinde, ut, quibus Commentariis & Autoribus in contexenda hac Historia usus sit, indicaret, suumque de iis judicium exponeret, tertio, ut, quæ forma
 Romanæ

Romanæ Reipublicæ inde ab Urbe condita usque ad *Ciceronis* natales fuerit, iis lectoribus, qui in historia Romana non satis versati sint, breviter, sed perspicue, ostenderet. Ad primum quod attinet, postquam ostendit, quantum sibi semper displicuerit vulgaris Biographorum mos, qui fere solent pro Historia Panegyricum lectori obtrudere, affirmat, se sibi omni studio cavisse, ne in idem incideret vitium, etiamsi forte hoc vitium facilius excusationem invenire posset in eo, qui ad viri tantis virtutibus ex omni parte splendentis, quantis *Cicero* exornatus erat, vitam enarrandam se applicavit. Sed, ne tamen in hoc vitium incideret, operam dedit, ut ne quid traderet, quod non authenticis testimoniis suffultum esset. Quod an affectus sit, ut lectores recte judicare possint, hæc duo illos monere, e re sua duxit. Primum est, ut in Opere hoc legendo vulgarem istam opinionem ex animo deponant, quasi bellica illa virtus quorundam imperatorum, qui *Ciceronis* coætanei fuerunt, quamvis victoriis splendens, & triumphorum pompis condecorata, majori admiratione & laude digna sit, quam togata virtus & civilis prudentia, quæ, inhumanum ferri & flammæ usum abhorrens, pacata magis & magis salutari humano generi via patriæ salutem quærit, & civium libertatem ab oppressione vindicare studet. Alterum, de quo lectores monet, est, ne, si quem forte locum in hac Historia invenerint, in quo *Cicero* justo magis laudatus videatur, sententiam prius pronuntient, quam totum hoc Opus perlegerint, quo scilicet possint de particula characteris tanti viri ex toto judicare; & simul rogat lectores, velint eandem sibi veniam dare, quam alii Historici jure postulant, ut, si quid forte non satis claris testimoniis probaverit, fidem in eo ipsi non denegent, sed potius credant, propterea se luculentioribus testimoniis superfedisse, quod idem lectoribus clarum fore putavit, quod sibi ipsi ob plenioris disquisitionem manifestum erat. Hisce præmonitis, & indicatis legibus, quas in contexenda hac Historia observavit, (hæc autem illæ sunt, quas ipse *Cicero* in *Libro II de Oratore* constituit,) recenset Commentarios, quibus usus est. Fuere autem illi præcipue ipsa *Ciceronis* volumina, quæ, simul

ad Historiam hanc scribendam animum applicavit, semel iterumque relegit. Sunt enim fide dignissimi Commentarii non earum solum rerum, quæ ad *Ciceronis* vitam, sed & earum, quæ ad Reipublicæ *Ciceronis* temporibus statum, pertinent. Ea igitur loca, quæ ex *Ciceronis* libris decerpit, suæ narrationi intertexere studuit, sic tamen, ut ne tanquam splendidi panni assuta viderentur. Quare illa in Anglicam linguam convertit, non verbum verbo reddens, sed ita, ut ipsum *Ciceronem* scripturum fuisse, si Anglis scripsisset, verosimile sibi videbatur; quæ antiquorum Autorum scripta convertendi ratio optima quidem sine dubio est, sed certe satis difficilis. Verum non solis *Ciceronis* libris contentus fuit Cel. Autor, sed, his perlektis, aliorum quoque Autorum, tam Romanorum, quam Græcorum, libros in manus sumit, ut ex illis depromeret, quibus ea, quæ *Cicero* aut leviter attigit, aut prorsus præteriit, magis illustrare, vel supplere, posset. Sed inter Græcos Historicos, qui *Ciceroniana* ætatis historiam tradiderunt, *Plutarchus*, *Appianus*, *Dio Cassius*, etsi multa nobis reliquerunt, quæ illorum temporum historiam illustrent, caute tamen, inquit doctissimus *Middletonus*, & circumspicte legendi sunt, quod in enarrandis Romanis rebus, partim ob inscitiam linguæ & morum Romanorum, partim ex malevolentia, sæpe peccarunt. Et *Plutarchus* quidem, cum in lingua Latina, licet multos annos Romæ degens, admodum parum profecerit, quod ipse in *Demosthenis* vita confessus est, quam idoneus fuerit ad vitas illustrium Romanorum scribendas, unusquisque facile judicare potest. Hinc cum in aliorum Romanorum vitis, tum in *Ciceronis* maxime vita, incuriam & festinationem suam sapius prodidit, splendidissimas & memoria dignissimas res, a *Cicerone* gestas, negligenter percurrens, & in somniis ac fabulis hærens. Ad *Appianum* quod attinet, idem fere de eo, quod de *Plutarcho*, est Autoris iudicium, quoniam in multis, iisque præcipuis, locis *Plutarchi* libros exscripsit. Sed omnium maxime *Dionis Cassii* fides suspecta esse debet, utpote qui nimis aperte prodidit, quam infenso erga *Ciceronem* animo fuerit. Nam, sive *Ciceronem* *Dio* propterea vere odisse censendus est, quod ille,

ille, civibus suis omnes Philosophiæ partes Latine tradens, effecerat, ut postea non esset, quod multum desiderarent Romani Græcas literas, quibus famelica hujus nationis ingenia, uti Autor noster loquitur, tam famam, quam victum, debebant; sive sic optime *Dio* tyranni, sub quo Romæ florebat, gratiam se posse captare putavit, si ejus famæ detraheret, cujus nomen omni Romano patriæ & libertatis amanti carissimum esse debebat; hoc certe nemini potest esse obscurum, hunc hominem in iis, quæ de *Cicerone* scribere ausus est, non negligentem Historicum, sed diligentem calumniatorem, se præstitisse. Hoc de *Dione Cassio* judicium Autor noster excitatis aliquot ex ipsius *Dionis* Historia locis, tanquam præclaris testimoniis, confirmat. Sed ante, quam ad tertium hujus Præfationis locum accedamus, superest, ut indicemus, quid Autor noster de recentiorum libris, *Ciceroniana* ætatis historiam complexis, sentiat, & quomodo iisdem fuerit usus. Quanquam ipsi, post veterum Commentariorum usum de recentiorum libris sollicito, multi innotuerunt, quorum tituli *Ciceronis* vitam pollicentur; paucos tamen invenit, quos usui sibi esse posse intelligeret: quoniam plurimi eorum aut ineptos in *Ciceronem* Panegyricos, aut breves & imperfectas enarrationes præcipuarum rerum, a *Cicerone* gestarum, continere videbantur. Qui igitur aliquid utilitatis ipsi attulerunt, hi duo fere sunt: *Sebastiani Corradi Quæstura*, & *Francisci Fabricii Historia M. T. Ciceronis*. Ille enim, ut inter Criticos ætatis suæ eminebat, & multum temporis in explanandis *Ciceronis* scriptis consumserat, sic in his Dialogis, quos tanquam Apologiam pro *Cicerone* contra *Plutarchum* & *Dionem* evulgavit, res *Ciceronis* multis in locis egregie illustravit; quamquam propterea reprehendi mereatur, quod nonnunquam, nimia *Ciceronis* reverentia inductus, quædam in *Ciceronis* vita defendit, quæ nec ipsi *Ciceroni* probata fuisse constat, & quod inepte per totum librum continuata allegoria Quæstoris, numeros adulterinos Græcorum de *Cicerone* testimoniorum cum probis numis fide dignorum testimoniorum conferentis, lectori nauseam movet. *Fabricius* autem, etsi res *Ciceronis* non descripsit, sed numeravit, tamen, quod ordinem temporum studiose

diolē observavit, & annos tam Urbis, quam *Ciceronis*, ubique diligenter addidit, magno adjumento Autori fuit ad rite dispensanda Historiæ suæ capita. Neque tamen *Fabricio* contentus, *Pighii* quoque Annales hoc in negotio consuluit. Inter Gallicos libros, qui de *Ciceronis* temporibus tractant, tres Autor commendat, sic inscriptos: *Histoire des deux Triumvirats; Révolutions de la République Romaine; Exil de Cicéron*, maxime vero hunc, quem ultimo loco nominavimus, propterea quod hujus Autor singulorum gestorum, quæ recenset, veritatem perpetuis testimoniis Autorum classicorum confirmat. Ex hisce libris hunc fructum Autor hujus Operis percepit, partim ut ea loca, in quibus horum librorum Auctores secum dissidentes deprehendisset, curatius examinaret, partim ut de nonnullis, quorum aut fere oblitus erat, aut quæ satis non explicaverat, admoneretur. Præter Auctores horum librorum est alius quidam inter eruditos Gallos, cujus in illustranda aliqua parte *Ciceronianorum* voluminum & temporum operam justis laudibus extollit. Est autem ille doctissimus *Mongault*, Academiæ Regiæ bonarum artium adscriptus, qui *Ciceronis* ad *Atticum* Epistolas, optimos historiæ illorum temporum Commentarios, non solum in linguam patriam eleganter transtulit, & selectis doctissimorum Commentatorum notis versionem suam instruxit, sed etiam ex suo ipsius penu multa depromsit, quibus difficiliora & obscuriora earum Epistolarum loca explanaret & illustraret; quo in negotio tam erudite & feliciter, *Middletoni* judicio, versatus est, ut multa loca, ab aliis interpretibus frustra tentata, ingenio ipsius explicata, & quæ has Epistolas premebant, tenebræ nunc maxima ex parte dispulsa sint. Quo magis miratur doctissimus *Middletonus*, celebres illos Patres Societatis Jesu, *Catrou & Rouillé*, hujus eximii Critici & civis sui opera & eruditione, in conscribenda ea, quam evulgarunt, Historia Romana, usos non fuisse; quod si fecissent, multos errores vitassent, in quos iis in locis, quæ ad res & personas *Ciceronianæ* ætatis attinent, inciderunt. Accedimus nunc ad tertium locum hujus Præfationis, de quo brevissimis agemus, hoc præmonito, hunc locum ab Autore optime tractatum

tractatum nobis esse videri. Scilicet, ut diximus, in eo est Auctor, ut, quæ forma, quis status, fuerit Reipublicæ Romanæ a *Romulo* temporibus usque ad natum *Ciceronem*, in tabula quasi exponat. Ostendit ergo primum, eam hujus Reipublicæ formam jam inde a *Romulo* fuisse, quæ ex tribus illis generibus, regio, aristocratico, & populari, consula est. Deinde, expulsis per Senatum & Populum Regibus, qui potestate sua abuti cœperant, non tam immutatam fuisse Reipublicæ formam, quam pristinae suæ integritati restitutam. Mox, divisa civitate in duas partes, Patriciorum scilicet & Plebejorum, cum illi horum libertatem labefactare cœpissent, post secessionem plebis in sacrum montem, jus æquum redditum esse civitati, creatis Tribunis, qui plebem tuerentur adversus Patricios, & qui postea Senatum cogebant, ut Plebejos in honorum & magistratuum societatem admitteret. Denique, cum Tribuni, iis, quæ huc usque ad salutem Reipublicæ feliciter immutaverant, non contenti, multas seditiones excitassent, & Senatum omni autoritate privare studuissent, cura *Q. Servilii Cæpionis*, quo Consule natus est *Cicero*, Senatus autoritatem reviviscere cœpisse, lata lege, ut judicia Senatui cum equestri ordine communia essent.

Hæc fere sunt, quæ ex Præfatione hujus Operis cum Lectoribus nostris communicanda duximus. Sed, quemadmodum nos ipsos, perlecta hac Præfatione, magna cupido invasit, aliquot *Sectiones*, in quas *Cel. Middletonus* Opus suum divisit, perlegendi, ita non dubitamus, quin Lectores nostros per ea, quæ hæcenus attulimus, cupiditas incefferit, ad plenioram quandam ideam hujus Operis perveniendi. Qua in re ipsorum cupiditati eo magis serviendum nobis esse putamus, quod in nostras regiones paucissima hujus libri exempla allata sunt, quippe qui eorum potissimum gratia, qui nomina sua apud Auctorem professi erant, (& hi omnes, si recte meminimus, præter unum *Menckenium* nostrum, sub alieno nomine in præmissis Operi Indice occultatum, Angli sunt,) typis descriptus est. Moneandi ergo sunt Lectores nostri, hoc Opus non *Ciceronis* solum vitam, sed totius Reipublicæ Romanæ statum & historiam, ab infantia *Ciceronis* usque ad ejus mortem, ut par erat, complecti. In qua

Historia

Historia conscribenda Autor ordinem temporum secutus est, & ab eo tempore, quo *Cicero* Consulatu abierat, in superiori margine singularum per reliquum libri paginarum annos Urbis, annos *Ciceronis*, & Consules, quibus quæque res, ibi enarratæ, acciderunt, indicavit. Deinde, quoniam hæc Romanæ historiæ periodus, in qua *Cicero* vixit, maximis & memoria dignissimis rebus abundat, operam dedit Autor, ut perspicue doceret, quibus consiliis quis eventus responderit, & per quos viros magnæ illæ res gestæ fuerint. Hinc animum & indolem cujusvis illorum virorum, quos illa ætas in evertenda tuendave Republica Romana occupatos vidit, ita depinxit, ut in cujusque imagine id maxime in oculos incurrat, quod ad dignoscendos a se invicem illorum virorum animos comparatum est. Neque est reticendum, Autorem, quotiescunque se præbuerit occasio, Historiam suam ejusmodi annotationibus distinxisse, quæ lectorem de moribus vel antiquitatibus Romanis erudire, aut ad intelligendos *Ciceronis* libros prodesse, aut animum legentis ad honesta quævis & excelsa erigere, possunt. Quæ contextui Operis inferere, nisi rupto narrationis filo, non poterat, ea in notis proposuit, quæ per inferiores paginarum margines disponuntur. Ibidem comparent citationes eorum locorum, quibus pro testimoniis usus est, & quæ, si non nimis copiosa fuerint, sæpe ad verbum transcripsit. Utrique *Voluminum*, ex quibus hoc Opus constat, Indicem plenissimum subjunxit. Eorum, quæ ad externam libri typis exscripti pulcritudinem hæc nostra delicata & nimis fere elegans ætas requirit, ut nihil deesset, curavit.

Hanc rudem hujus egregii Operis adumbrationem, vellemus, ut speciminibus aliquot augere & ornare possemus. Sed, præterquam quod difficilis nobis foret optio inter ea loca, quæ ad confirmandum ea, quæ diximus, tanquam specimina, ex hoc Opere excerpti possent, veremur, ne, si id fieret, hæc narratio præfinitos nobis limites sit excessura. Hoc ergo tantum addeamus, ultimam præ ceteris *Sessionem* hujus Operis, quæ *duodecima* est, magna cum voluptate nos perlegisse, in qua Autor vitæ & morum *Ciceronis* quandam quasi *ἀναγεφυλακίαν* instituit, ac in ejusdem philosophiam & religionem inquirat. Et hic, quamquam

quam se magnum *Ciceronis* admiratorem ostendit, non tamen temerarium, sed talem, qui eandem admirationem aliorum animis facile informare possit. In tanta enim luce *Ciceronis* virtutes & vitam collocavit, & ea, quæ cum aliqua veri sibi eicie a multis ipsi objecta fuere, vitia tam probabili excusatione defendit, ut, quid pertinaces ejus obrectatores dicere contra possint, vix habituri esse videantur. Unus est nobis observatus locus, quem dici posset Autor nimio *Ciceronis* amore abreptus scripsisse. Nam, ubi inter villas *Ciceronis* Puteolanum descripsit, hanc in margine notam subjunxit, cujus verba Latine Vol. II
 converta sic fere se habent: *Hæc villa postero tempore Palatium pag. 512*
*Hadriani Cesaris facta est, qui & ibi mortuus est & sepultus. Ibidem is fertur ultimum istud & celebratum vale animula sua pallidula, rigida, vagula, dixisse, quæ sine dubio minori cum ægitudine ipsum reliquisset, si ex Ciceronis in his terris mansione viam in illas calesces regiones didicisset, in quibus verisimile est Ciceronem adhuc vivere, & æterna beatitudine perfui. Quam sententiam etsi doctissimus Autor Erasmi autoritate tueatur, qui in Præmio in Quæstiones Tusculanas ad Joannem Vletterum, Me certe, inquit, non admodum adversum habituri sint in severis calculis, qui sperant, illum apud superos quietam vitam agere; tamen agre possumus huic autoritati concedere, si eo perpendimus, quæ contra probabilitatem hujus opinionis e Christianæ doctrinæ institutionibus peti possunt, & quæ ne ipse etiam doctissimus Middletonus perpenderet, nimius in *Ciceronem* amor obsticisse videretur. Verum, si quid hic humani passus est, id certe omnes boni facillime ipsi condonabunt, cum eum locum perlegerint, qui post aliquot paginas sequitur, & de religione *Ciceronis* egregie tractat. Dignissimus enim esset hic locus, qui magnopere commendaretur, si vel id solum ex eo disci posset, ad cujus considerationem legentis animum ipse Autor his verbis excitavit, quibus illi loco finem imposuit, & quæ Latine reddita huc apponere lubet. Sunt autem ea verba, quæ sequuntur: *Ex hoc examine religionis, quæ Ciceroni fuit, neminem fore confido, quin intelligat, tantum abesse, ut humana ratio, si vel summam, quæ ipsi conceditur, perfectionem**

562.

attigerit, supersedere possit magis explicita revelationis usu, ut illa potius humanae rationis excelstitas ejusmodi revelationis beneficium demonstret. Utenim naturae lex in ea perfectione, ad quam a Cicerone perducta est, sufficiat, ut ea duce pauci illi utantur, quibus, ut ipsi illi viro, excultus est animus & felix ingenium; tamen eadem haec lex jam dudum prevalidis hominum erroribus & vitiis adeo depravata fuit & adulterata, ut nec ipsi illi pauci eam cognoscere, nisi summo studio & animi contentione adhibita, possent, & cum eam cognovissent, ad summum spem aliquam, minime vero plenam & certam assensionem, adepti essent; maxima vero humani generis pars, & vel eorum ipsorum, qui virtuti & contemplandis rebus vacabant, sine cognitione Dei, & sine expectatione futurae vitae, viverent; plebs autem in omni civitate crasse idololatriae popularis religionis relicta esset. Quae si probe perpendimus, non possumus non intelligere, quam multa sint, quae nos movere debeant, ut maximas Deo gratias pro divina Evangelii sui luce habeamus, quod ipsis infantibus revelavit, quae sapientibus istis occulta erant, quod nobis citra omnem inquisitionis molestiam, & citra omne erroris periculum, non spem modo beatitudinis, sed fiduciam quoque, dedit, & quod nos non tantum immortalitatis certos, sed & immortalitatis heredes, reddidit.

Sed ante, quam hoc Opus mittamus, juvat adhuc aliquot earum annotationum, quae per margines paginarum dispersae sunt, commemorare; partim quod eae breves sunt, sed ad Auctoris tamen diligentiam & ingenium declarandum idoneae; partim quod tales sunt, quas quis in hoc genere scripturae non facile quaerat. In Voluminis I pagina 43 Auctor occasionem nactus, sacrorum Eleusiniarum mentionem injiciendi, quippe quibus Cicero Athenis initiatus fuerat, ostendit se non admodum remotum a doctissimi Warburtoni sententia, qui in libro, *The divine Legation of Moses* inscripto, affirmavit, mysteria illa fuisse propterea instituta, ut initiati illis unitatem Dei, & animae immortalitatem, & quae hinc consequentia sunt, docerentur. Quam sententiam Middletonus duobus locis apud Ciceronem confirmat. Alter est in *Tusc. Disp. Lib. I Cap. 13*, ubi Cicero,
post-

postquam *Atticum*, quocum disputat, monuerat, ipsos maiorum gentium Deos natura sua Deos non esse, sed homines fuisse, *reminscere*, inquit, *quoniam es initiatus, quæ traduntur mysteriis, tum denique, quam hoc late pateat, intelliges*. Alterum locum habemus in *Lib. II de Legibus Cap. 14. Illis mysteriis*, inquit *Cicero*, *ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem & mitigati sumus; initiaque, ut appellantur, ita re vera principia vite cognovimus, neque solum cum letitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi*. Quæ verba dum exscribimus, recordamur ingeniosissimi *Pluchii*, qui in libro, quem inscripsit *Histoire du Ciel, Tom. I pag. 377 & 378 ed. Paris*, iisdem verbis utus est ad confirmandam opinionem suam, quasi illa mysteria inter alias salutare veritates præcipue artes etiam ac media docuissent, quæ primi post diluvium homines, per orbem terræ dispersi, & in summa vite sustentandæ difficultate constituti, ad victum & amictum sibi parandum invenerant. At, quanquam illa *Ciceronis* verba a *Pluchio* ita sint adducta, ut pro sua opinione facere videantur, ubi tamen curatius examinatus fuerit hic locus, videri potest ingeniosus *Autor* vim quandam illi intulisse. Nam primo illud, ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem & mitigari, nihil tale significare putamus, ex quo hanc opinionem *Cl. Pluchius* exculpere possit. Optimum in hæc verba commentarium esse credimus illem locum, qui est in principio *Catonis Majoris*, in quo, cum *Atticus* Athenis humanitatem & prudentiam dicitur deportasse, per humanitatem non intelligi nisi æquam in rebus secundis & adversis mentem, nemini obscurum esse potest. Hinc autem, quid sibi velit agrestis illa & immanis vita, ex qua *Cicero* mysteriis illis se mitigatum profiteretur, non difficile erit ad intelligendum. Deinde, si hæc se ita habent, neque per antecedentia verba, neque per consequentia, licet his verbis: *initiaque, ut appellantur, ita re vera principia vite cognovimus*, eum sensum cum *Cl. Pluchio* tribuere, quasi *Cicero* dicere voluisset: nos horum mysteriorum ope media cognovimus sustentandæ vite, via ac ratione labori præscripta. Magis ergo nos hic placet *Middletoni* interpretatio, secundum quam illis verbis

hoc significare Cicero voluit, initiationem suam veræ vitæ principium sibi extitisse; quanquam ab aliis hunc locum aliter, & forte commodius, explicari novimus. Sed, ut redeamus in viam, postquam Autor noster calculum suum conjecturæ Warburtoni de natura Eleusiniorum sacrorum adjecit, augendam quoque sibi sumit probabilitatem ingeniosi illius Commentarii, quem idem Warburtonus ibidem in *Librum VI Æneidos* dedit, & in quo ostendere studuit, *Virgilium* in descriptione descensus *Æneæ* ad inferos singulas scenas spectaculorum Eleusiniorum ordine descripsisse. Observat enim *Middletonus*, ad illa spectacula, cum idoneam poësi materiam præberent, veteres Poetas sæpe alluisse; & locum excitat ex *Ciceronis* ad *Atticum Epistola 7 Lib. I*, in qua *Cicero Atticum* Εὐμολπίδων πῶτερια, sive, ut Autor noster interpretatur, Eleusiniorum rituum descriptionem, rogat, *Chilii* Poëtæ nomine, qui ea forte ad *Episodion* cujusdam poematis usus erat. In eodem *Volumine primo pag. 496* Autor illustrare voluit versum 8 *Sat. I Lib. II Horatii*. In eo enim *Sermone*, cum *Horatius* inducat *Trebatium* hæc dicentem:

- - - - ter uncti

Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto;

mirum videri poterat, cur hoc consilium *Trebatio* Poëta affingat. At, horum verborum leporem se declarasse, putat Autor, postquam ex *Epistola* quadam *Ciceronis* ad *Trebatium*, quæ 10 est *Libri VII*, docuit, ipsum *Trebatium* studiosissimum natandi fuisse. In *Voluminis II pagina 180 Baylium* notatum videmus, quod in *Diction. Art. Tullia not. k Asconium Padianum* referentem, *Tulliam Ciceronis*, mortuo *Pisone*, *P. Lentulo* nupsisse, & post partum domi ejus mortuam esse, erroris accusavit. Quod dum fecit, ipse erravit, nescius, *Tullia* marito nomen *P. Cornelii Lentuli Dolabella* fuisse, eumque a veteribus & *Lentulum* & *Dolbellam* promiscue appellatum esse. In *pagina 540* attingit Autor noster vexatum illum locum in *Libro I Ciceronis de Natura Deorum Cap. 1*, quem plurima exempla sic habent: *De qua tam varia sunt doctissimorum hominum tamque discrepantes sententia, ut magno argumento esse debeat, causam, id est, principium,*

capium, philosophiæ esse scientiam, prudenterque Academicos a rebus incertis assensionem cohibuisse. Putat, cum Aldo Manuzio & Davifio inscientiam legi oportere. Recte id quidem, ut etiam nobis videtur. Sed cur ita censet legendum? Quoniam putat, Ciceronem hic illa Philosophorum de natura Deorum dissensione confirmare voluisse Academicorum placitum, homines rerum obscuritate & ignorantia suæ conscientia primum excitatos ad studium Philosophiæ fuisse. Atqui, cum hac ratione Autor adductus sit, ut Manutianam lectionem vulgata præferret, profecto non credere possumus, eum veram vim & potestatem illorum verborum perspexisse. Et sane non dubitamus, quin hanc, quam dedit, hujus difficilis loci explicationem ipse facile rejecturus sit, si quando sibi ea legere contigerit, quæ doctissimus noster Jo. Augustus Ernesti ad hunc locum notavit in Clave Ciceroniana sub voce Inscentia; ubi Manutianam lectionem probavit, & simul hujus loci veram sententiam adeo clare demonstravit, ut nulli dubio locus relictus sit. Sed hæc de egregio hoc Middletoni Opere Lectores nostros monuisse sufficiat.

S. H. VAN IDSINGA, J. U. G. VARIORUM
Juris Civilis Liber singularis; quo Leges quedam Regiæ, & Decemvirales, cum Pandectarum, & Codicis, illustrantur, explicantur.

Harlingæ, apud Folkerum van der Plaats, 1738, 8 maj.

Plag. 14½.

Dignus profecto est, qui in plurimorum notitiam perveniat, & in Annalibus nostris non sine laudis præfatione indicetur, præsens libellus, qui, a juvene compositus, senilem fere gravitatem quandam redolet, & doctrinam maturam satis, satis etiam dulcem, variisque scriptorum veterum testimoniis, pulcherrimis veluti floribus, conspersam, lectoribus degustandam proponit. Si perrexerit ea, qua cepit, via Nobilissimus Autor, eleganti jam Dissertatione notus; habebit aliquando patria ejus civem, præstantissimis annumerandum ingenii, ordo vero

Jctorum socium nanciscetur, qui non sustinere tantum, sed amplificare simul quovis modo, possit famam ejus atque auctoritatem. Quod ille jam typis imprimendum curavit Opusculum, specimen esse vult integri, quem molitur, ad *Fragmenta Juris Decemvralis Commentarii*; cui sane instituto non poterit non favere, qui noverit, in antiquissimis his Romanorum legibus nondum ita versatos esse Criticos, ut omnis emendatio, illustratio omnis, supervacanea haberi omnino debeat. Quid vero de isto expectandum aliquando sit, ex præmissis isthoc specimine luculenter apparet, cujus nonnulla capita ut delibemus in præsentem, nostrarum esse partium intelligimus. Violenta in jus vocatio jam ante latas *XII Tabulas* sub Regibus obtinuisse videtur Auctori; cui sententiæ fundamentum & præsidium quaerit in *Dionysio Halicarnassensi*, *Livio*, aliisque Romanæ Historiæ scriptoribus, qui eam cum primis sub *Servii Tullii* initium commemorant. Quod vero, si amici partium compositio effectu suo caruerit, actor rogare debuerit reum, an vellet permitteretque antestationem fieri, quæ *Jacobini Hopperi de Juris arte Lib. III pag. 541* est sententia, persuadere sibi ideo nequit Auctor Clarissimus, quoniam verba illa *sicet antestari?* semper ad testes directa fuerint, prout perspicuis veterum locis confirmat. Abrepto, sine prævia antestatione, reo, injuriarum is agere contra abripientem poterat jure antiquo; cujus rei testem nominat forte unicum, *Acronem ad Horatium Lib. I Sat. 9*, qui, cum de antestatione prius discessisset, hæc subjicit: *aliter, si injecisset manum actor, injuriarum poterat accusari.* Aliud obtinuisse tamen in personis vilibus infamisque notatis, imo & in causis criminalibus, ex *Plauto in Persa Act. IV Sc. 9* colligendum putat Auctor, & huc etiam refert *l. 15 §. 33 & l. 13 §. 7 D. de Injur.* Denique, ipsam violentam in jus vocationem intelligendam in Legibus esse Decemvralibus, contra *Robertum*, *Vaudum*, *Donellum*, &, qui hos sequitur, *τὸν πᾶν Gundlingium*, evincere studet, hujusque juris facta paucis commemorat, dicens, violentiam hanc in usum adhuc fuisse tempore *Edicti perpetui*, imo & sub *Augusti Domitiani*que imperio, ceu ex *Horatio l. 6.* atque *Juvenali Sat. X v. 87* probat;

Pag. 43
seq.

bat; certum vero tempus, quo abrogata hæc plane sit consuetudo, ob scriptorum silentium definire non audeat. Verba *XII Tabularum*: *Sol occasus suprema tempestas esto*, fontem quarundam legum indicant, & observat primo doctissimus Autor, præcunte *Dione Lib. XXXIX* cum populo Romano noctu agi non potuisse, porro, SCrum, ante exortum, vel post occasum, solis conditum, irritum nullumque fuisse, atque opus Censorium fecisse existimatos esse eos, qui hoc tempore SCrum fecissent, autore *Varrone* apud *Gellium XII, 7*, cum quo conferri vult *Fragmenta Varronis*, a *Scaligero* edita, pag. 12, ex quibus lucem scenerari credit *Tullii* verba *Orat. Philipp. III Cap. 10*: *Quam misera fuga! quam fæda! quam turpis! præclara tamen SCra, illo ipso die vespertina*. Ex eodem hoc *XII Tabularum* jure derivandum quoque censet, quod supplicia nocturna, si non prohibita legibus, insolita tamen & inaudita Romanis, fuerint. *Quid tam inauditum, quam nocturnum supplicium*, inquit *Seneca de Ira Lib. III Cap. 19*. Idem eod. *Lib. Cap. 18* invehitur in *Caligulam*, quem adeo fuisse impatientem refert differendæ voluptatis, ut in *Xysto* maternorum horretorum inambulans, quosdam ex Romanis Equitibus, cum matronis atque aliis Senatoribus, ad lucernam decollaret, ubi addit: *Quantulum fuis lucem exspectare?* Et alter *Seneca Controv. IX, 2*, *Lucium Flaminium* notat, quia, cum Consul fuisset in Gallia, rogatu meretricis, quæ nunquam decollari se vidisse affirmabat hominem, unum ex damnatis noctu occidi iusserat, quod impune non fecit, a *Catone* quippe eam ob causam ex Senatu ejectus, postquam septem annis Consulis dignitate cinnuerat, ipso teste *Catone* apud *Ciceronem de Senect. Cap. 12*, quem locum paucis illustravit *Petr. Faber Semestr. II, 9*. Quod vero ex Jure Decemvirali originem habet suam, & quam nixime huc pertinet, illud esse monet Clariss. Autor, quod cognitiones judicum tam in criminalibus, quam civilibus, causis nunquam, nisi extra ordinem, institutæ sint post occasum solis, adeo, ut hæc suprema judiciorum tempestas semper apud Romanos fuerit. Libera certe republica nunquam sessiones suas ultra solis occasum produxisset iudices, aut nocturno

nocturno tempore jus dixisse, ex eo colligit Autor, quod inconveniens fuerit Magistratibus Romanis, verspertinis horis esse in publico, *l. 2 §. 31 D. de O. J.* atque huc referenda putat bina Autoris *Dialogi de Oratoribus* loca *Cap. 34 & Cap. 36*. Et, quanquam Imperatores, si quando extra ordinem jus dicerent, solitam judiciorum formam interdum neglexerint, ceu ex *Suetonio in Aug. Cap. 33*, & ex *Xipolino pag. 273 edit. Stephani*, probatur, mansit tamen jus vetus, ut die sederent tantum ordinarii iudices, quo *Petronium* trahit Autor in *Satyr. Cap. 15*. Erudite deinceps evincit, fallere nos Glossatores, ceterosque interpretes, qui contra Juris historiam, contra diserta legum verba, etiam jure novo valere sententiam, nocturno tempore latam, statuunt, imo *arg. l. 1 §. 10 D. de Ventre inspic.* inter pronuntiationem tria minimum requiri lumina addunt; quali vero eadem literarum, quæ ventris, ratio, & iudex ad unam lucernam, paulo crassiores, non possit ex periculo recitare. Subductis ergo rationibus, *Bartolo & Jo. Oldendorpio* accedit Nobilissimus Autor, ipsoque jure nullam hodie esse sententiam, quam noctu tulit iudex, arbitratur. Idem historiam & progressum Juris Decemvralis *de monstroso partu* non contemnenda doctrinæ copia enarrat. Libera adhuc Republica semper illud in usu fuisse, ex tot monstroforum partuum, arbitrio Pontificum aqua suffocatorum, exemplis, quæ *Livius Lib. XXVII Cap. 37 & Lib. XXIX Cap. 22* aliique plures afferunt, suspicatur. Ad idem jus alludentem producit *Senecam de Ira Lib. I Cap. 15*, ubi loco vocis *mergimus Lipsium* malle refert *abjicimus*, quam tamen lectionem improbandam ideo censet, quod isthæc vox non ita cum Romanorum moribus conveniat, sicut illa. Plurimum enim, ait, & tantum non semper portentosi aut monstrofi partus aquis mersi suffocari solebant, quamvis negandum haud sit, eos & interdum legi combustos; quam in rem testimonio utitur *Lucani de Bello Phars. Lib. I v. 561 seq. cum primis vero v. 589 seq.* Atque huc etiam pertinere fortassis arbitratur illud *Ennii* apud *Nonium* voc. *Auscultare: Mibi auscultate, nate, pueros cremari jube.* Androgynos autem, quos libera Republica inter prodigia retulisse Quirites, ex adscriptis jam

Livii

Livii locis apparet, præcipue si jungatur *Tullius de Divin. III, 43*. Mox sub Imperatoribus non amplius necatos, sed in deliciis potius habitos fuisse, memorat ex *Plinii Hist. Nat. VII, 4, &*, qui hunc exscripsit, *Gellio Noct. Att. IX, 4*; quin, fuisse, addit, qui foetus ejusmodi conquirerent undique, & quos expositos susceperant, debilitarent, ut caro admodum pretio venderent. Vid. *Seneca Controv. X, 4*. Ipsi etiam Principes eos in aula nutriverunt, ceu comprobat exemplum *Augusti*, qui, licet, *Suetonio* docente in *ejus Vita Cap. 83*, pumilos atque distortos, & omnes generis ejusdem, ut naturæ ludibria, semper abhorrebat, neptem tamen ejus, *Juliam Conopam*, duos pedes altum cum palma aluisse, neque Imperatores sequentes talia averfatos esse prodigia, ad hunc *Suetonii* locum observavit *Casaubonus*. Atque hinc derivandum putat Autor noster duplex responsum in *Digestis*, ad materiam testamentorum referendum, unum *Pauli l. 15 §. 1 D. de Testib.* alterum *Ulpiani ex Lib. I ad Sabin.* (quo pariter de testamentis agebatur, uti ex collatis inter se hujus libri fragmentis liquet,) *l. 10 D. de Statu hom.* Ratio dubitandi ex jure vetusto petenda est, quo foemina Comitibus, quibus solis testamenta condebantur, interesse vetabantur; quæ ratio quamvis cessaret postea, mansit tamen prohibitio, adeo ut hinc illustretur harum legum sensus, juncta *l. 6 in f. D. de Lib. & posthum.* Clariss. Autor contendit, & ægre simul fert, *Dionys. Gothofredum* tantum commississe *ἀνισορίας* errorem, cum in notis ad *l. 10 de Stat. hom.* scribat, *ἀνδρογύνες* apud veteres pro monstris habitos non fuisse. Sed neque alia monstra jure *Digestorum*, aut *Codicis*, mergi, aliove modo necari, solita videntur Autori, saltem nullam invenire legem potuit, quæ necessitatē imposuerit parentibus, tales foetus inconsulto necandi Principe, ideoque persuasum sibi plane habet, cessante antiquo expiationis ritu, sensimque in desuetudinem abeunte, pariter non observatam amplius esse legem *Romuli & Decemvirorum*, quo respicere credit *Ammianum Marcellinum XIX, 12*; cui loco addi vult alium *Divi Hieronymi Epist. 63*. Et hinc jure conjicere sibi videtur Clariss. Autor, priscum illud jus revocatum esse non longe post *Justinianum* ab

Imperatore *Maurizio*, si quidem *Nicephoro* fides *Lib. XVIII*
 Pag. 112 *Cap. 35*, cujus verba id non obscure indicare videntur. In *l.*
 seq. *§. 2 D. de Edendo* Florentinus Codex hæc habet verba: - -
Et pralato die fiat. Vox illa *pralatus* multas peperit erudito-
 rum & emendationes, et interpretationes. *Eguinar. Baro* ma-
 luit *prolatus* legere, *Accursium* forte securus, ut nempe *pro-*
latus hic idem denotet, quod *mutatus*, vel *prolongatus*. Se-
 cus placuit *Cujacio Observ. III, 7*, qui lectionem Florentinam
 probat, & *preferre diem* significare ait *antevertere & anticipare*,
 ut vetustior esse obligatio videretur; cui sententiæ præstantissi-
 mi illi *Duumviri, Ger. Noodt & Ant. Schultingius*, ad *Tit. D. de*
Edendo subscripserunt. Huic vero *Cujacii* explicationi oppo-
 suit sese *Sam. Petitus ad Leg. Attic. IV, 3, pag. 321, &*, rejecta le-
 ctione utraque, tam *pralato*, quam *prolato die*, legere suadet dua-
 bus vocibus *pra lato die*, quod ita interpretatur, ut adscribi de-
 beat mensis, (quem *latum diem* appellat,) quo instrumentum
 scriptum est, & præterea nihil, adeoque nec dies ejus mensis,
 aut Consul ut ita dies sit incertus & vere *latus*. Miratur Au-
 tor, Virum tantum in ejusmodi incidisse ineptias, & cum ab eo,
 tum a *Cujacio*, dissentit, cujus quippe emendationem ideo re-
 jicit, quod *preferre* sæpius etiam notet *differre*, sensu omnino
 contrario, quam in rem ad *l. 18 §. 9 D. de Quæstion.* pro-
 vocat. Ipse novam proponit conjecturam, *pralatum* scilicet
diem dici talem, quem loco veri diei adversarius suo elegit ar-
 bitrio, ut inde fraudes necerent, & actori instrumentorum fi-
 dem vel plane nullam, vel suspectam saltem, efficeret; posse enim
 falsum æque committi, si dies eo, quo instrumentum est con-
 sectum, posterior ponatur, quam si prior. Rem illustrat ex-
 emplo. Finge, *Mevium*, ait, possidere hæreditatem, quam fi-
 lius petit, testamentum proferens, Calendis Januarii factum; istis
 Coss. edit illud *Mevio*, adjecto die & Consule, qui, bene gna-
 rus, testamentum prius posteriore rumpi, conficit aliud, quo,
 mutato hæredis nomine, alioque die & Consule adscripto, sibi
 per hæc fraudes hæreditatem acquirit, *die pralato*, id est, die,
 qui maxime ei placuit, adjecto. Atque hanc proprie existi-
 mat vim esse *trou preferre* in eo loco, pariter uti in *l. 28 D.*
 ad

ad Leg. Cornel. de Falsis, & apud Lucanum de Bello Pharf. Lib. I v. 46, ubi Neronem Poeta alloquitur:

- - *praelati regia cæli*
Excipiet, gaudente polo, &c.

qua voce *praelati* intelligendum putat, quod in arbitrio *Neronis* quasi fuerit positum, Diisne vellet inferi, an longius morari in terris, vel, si quis ambigue cecinisse Poetam statuat, quod, cum mortalis sit, jam Deus voluerit haberi, & hac ratione cœlum prætulerit. Eodem plane sensu vocem usurpare eandem subjicit *Lucanum* alio loco, nec minus *Sidonium Apollinarem Lib. IX Ep. II & Carm. XV v. 165*. Plura non addimus, vel ex his elegantem Autoris doctrinam unicuique Lectorum posse intelligi, certissime nobis habentes persuasum.

VIRI CELEBERRIMI, ANTONII MARIÆ VALSALVÆ, Opera, hoc est, Tractatus de Aure humana, editione hac quarta accuratissime descriptus, Tabulisque archetypis exornatus, & Dissertationes Anatomicæ, quæ nunc primum prodeunt, ad colon intestinum, ad arteriam magnam, ad accessorios nervos, ad oculos, ad suffusiones, & ad renum succenturiatorum excretorios ductus, attinentes; Tabulis itidem illustratæ. Omnia recensuit, & Autoris vitam, suasque ad Tractatum & Dissertationes Epistolas addidit duodeviginti,

JOANNES BAPTISTA MOR-

GAGNUS.

Tomi II.

Venetis, apud Franciscum Pitteri, 1740, 4 maj.

Alph. 6 plag. 18.

Forum Cornelii, quod sequioribus Seculis *Imola* coeptum est nominari, in eo Cispadanæ Galliæ tractu, quem nunc *Romandiolum* vocant, urbs est, in qua A. 1666 d. 15 Cal. Febr. *Antonius Maria Valsalva* patre *Pompejo Valsalva*, matre *Catharina Tosia*, natus fuit. Parentes eum in Deum pietate, & in

homines comitate, imbuerunt; Patres vero Societatis Jesu in moribus & studiis primæ ætatis conformandis curam adhibuerunt. Erat in puero ingenium docile, acutum, & ad quaslibet artes optimas aptum, dissectionibus tamen avicularum aliorumque animalium non obscure significabat, ad quænam studia potissimum ferretur. Bononiam igitur missus est, in quo Gymnasio *Lalium Trionfetti* in herbarum cognitione, *Petrum Mengolum* & *Geminianum Rondellium* in Mathesi, in re medica, & inprimis anatomica, *Marcellum Malpighium*, præceptores habuit, & quoniam ad hunc, gravissimis studiorum occupationibus distentum, non semper aditus patebat, aliis doctoribus usus fuit, qui in magnis valetudinariis, sive medicaminibus, sive manu, sive etiam utrisque, medicinam faciebant. In studiis itaque suis tantum progressum fecit, ut magna cum laude A. 1687 in albo Doctorum conscriptus fuerit. Observationibus postea magis, quam disputationibus, naturæ abdita quærere constituit. Ægrotantium igitur morbos attentius consideravit, & in illis mortuis vitia partium disquisivit, nec non experimenta in dissectionibus vivarum bestiarum instituit. Ex his graveolentium sæpe corporum dissectionibus varios morbos, imo acutos, contrahebat, & ob incredibilem teterrimi odoris patientiam naribus tandem captus fuerat. Quæ incommoda eum a studio acriter prosequendo minime deterruerunt. Inter hæc studia, cetera non omisit, quæ egregio in Medico Chirurgoque requiruntur, & Materix medicæ ac Chymix studium seculo excoluit. Id autem inprimis egit, ut ipsius exemplo dissectionum accuratissimarum utilitas in Medico Chirurgoque clarius eluceret. Ille enim primus Bononiæ in membrorum amputationibus, ad sanguinem compescendum institutis, atrocissimum ignis auxilium rejecit; arterias obligavit; primus, surditatem posse interdum manu curari, ostendit; primus chirurgica plura instrumenta, pluribusque ex partibus constantia, ad multo pauciora & simpliciora redegit. In cognoscendis itaque & curandis morbis exercitatus, dignam meritis famam est adeptus, ita, ut juveni etiam se suorumque salutem crederent summi viri, & ut crevit ætas atque autoritas, plures accederent tum Bononienses, tum

tum exteri. Quas ob res, & ob editum *de Aure humana* librum, quam Bononiensibus clarus, quam exteris notus, quam utrisque admirabilis, fuerit, indicio esse possunt, quæ utrique & privatim & publice in hunc contulerunt. Nec quidquam detraxit inter illos viventi, quod alienæ erat civitatis. Nam non modo amplo incurabilium nosocomio Chirurgum præfecerunt, non modo inlytræ Scientiarum Instituti Academia Præsidem iterum ac tertium præposuerunt; sed & multo antea, illo in coetu ad aliud munus admitti eum posse, magno omnes consensu censuerunt, non quod civis esset, ut lex jubebat, sed quod scientiæ & fama illustris esset, ut lex sinebat; esse enim illud fortunæ, hoc virtutis. Summus civitatis ordo non solum eum honorarium Anatomæ Professore declaraverat, & aliis muneribus ornaverat, sed præsertim A. 1697 tantum illi honorem habuit, ut unum ex omnibus deligeret, qui in celeberrimo Gymnasio & humanum corpus incideret, quod a pluribus antea quidem, & ab ipso quoque, sed nec quotannis, neque ex publico decreto, factum, & singulas incisæ partes, cum vellet, ex peculiari officio ostenderet, additis juxta Theatrum Anatomicum ædibus, quæ ante ipsum concessa fuerant nemini. Forocornenses quidem eum non neglexerunt, sed præcipuum ei honorem detulerunt, ut ex iis esset, qui nobili præsunt Magistratui Pacificorum; sed domicilium, quod sibi ab adolescentia Bononiæ constituerat, ad extremum usque tempus servavit, cum eoque facultatem studiis obsequendi suis, quam in literatissima & frequentissima civitate sibi magnam dari expertus fuerat. Sic pietate, eruditione, doctrina, & miseratione eorum, qui morbis, & simul inopia, conflictarentur, inclaruit *Valsatva*. Matrimonium iniiit A. 1710 cum *Helena Livia*, ex qua liberos sex procreavit, mares duos, fœminas quatuor, sed virilem sexum non reliquit. De obitu ejus hæc annotanda sunt. Gracilis ad virilem ætatem pervenerat, sed sensim deinde pinguescens, honestam primum dignitatem, sed postremo ultra modum obesus, molestiam, morbos, ipsamque adeo, quam & præviderat & prædixerat, mortem, est nactus. Principio tussi vexatus fuit, quæ deinde aucta, & cum magna faucium siccitate conjuncta fuit.

212 NOVA ACTA ERUDITORUM

Augebatur interim pinguedo, & stomachus infirmabatur, ut ad cetera incommoda ciborum vomitus a prandio, & nonnunquam noctu vehemens dolor colicus, accederent. Tandem somniculosus fere semper & stertens etiam inter negotia inveniebatur, & A. 1723, postridie Cal. Februarii, apoplexia graviore ingruente, vivere desit. Elatus est honesto funere in Aede, quæ a Divo *Juane* in monte Bononiensibus appellatur, &, quanta omnium de vivo opinio, quantumque mortui desiderium fuerit, ex monumentis quinque, ipsi positis, cognosci potuit. Inter omnes constat, eum maximam vitæ partem in dissectionibus consumsisse; namque in auris duntaxat anatome sedecim ipsos annos fuit, dissectis ejus rei causa capitibus humanis amplius mille. Hinc Tractatus existit *de Aure humana*, qui unus maxime apud Philosophos, Medicos, atque Anatomicos, *Valsalvum* illustravit, & post Bononiensem editionem anni 1704, Trajecti ad Rhenum iterum A. 1707, Genevæ autem tertium A. 1716, prodit. Nunc quarta hæc novum assidui *Valsalvæ* laboris specimen, scilicet Dissertationes, addit. Recitaverat vero Dissertationes has in Instituti Scientiarum Academia primam A. 1715, alteram A. 1717, tertiam denique A. 1719. Nos, quoniam Tractatum *de Aure humana* ex editione Bononiensi in *Actis* nostris jam recensuimus A. 1705 *Mens. Octobr. pag. 461*, de Dissertationibus pauca nunc addemus. Ipse vero observationes Dissertationis primæ, in epitomen contractas, sic nobis proponit: Fibræ carnes longitudinales intestini recti versus colon in tres partes dividuntur, quæ per totam ejus longitudinem fibrosæ procurrunt, ad Appendiculæ vermiformis initium desinentes. Has fibrarum intestini recti productiones appello, quarum interventu colon crispum redditur, hocque pro re nata breviori factò, ejus recrementa versus podicem propelluntur. Initium arteriæ magnæ a tribus sectionibus circularibus efformatur, quibus totidem respondent sinus, contra valvulas semilunares locati, cavitatem sectionis sphericæ habentes, posterior unus anteriores duo, a quorum ultimis in parte superiori, ubi horum cavitates sectantur, descendunt coronariæ arteriæ, hi sinus ita disponuntur, ut duo constituant orificia, unum a corde ad sinus, alterum

alterum a sinibus in continuatam aortam; & hoc videtur & est illo angustius. Spatium vero inter orificia medium, majorem habens, quam hæc, latitudinem, ab illis tribus sectionibus circularibus, totidemque sinibus, efformatur. Horum sinuum aliquod est, sed leve, indicium in arteria pulmonari. Sinibus aortæ accedit sinus maximus, major illa videlicet arteriæ magnæ capacitas, in hujus flexione paulo supra illos sinus occurrens, antequam superiores emittantur rami. Ex quibus arteriæ magnæ dispositionibus plura per Hydrostaticam possunt deduci. Nervus ad par vagum accessorius, si productæ observationes subsistunt, erit potius dicendus nervus, a pari vago ad spinalem cervicis medullam recurrens, hujusque nervi antiquo neglecto usu, alius erit excogitandus. Musculi, oculum moventes, si minorem obliquum demas, non insiguntur in orbitam, sed omnes in nervum opticum concurrunt, ubi, unitis simul propriis fibris, tum eundem nervum, tum nervum oculi motorem, circumligant, duos annulos efformantes, quos apte eorundem nervorum moderatores dici posse existimo. Verum quidem est, distinctiore artificio nervum opticum, quam nervum oculorum motorem, ab iis fibris circumligari; at tamen horum ope ii nervi possunt magis aut minus constringi, & a musculorum insertionem in nervum opticum hic potest tendi & laxari, ex quibus omnibus non pauca possunt expectari ad visionem spectantia. *Dissertationis secundæ* hæc summa est. Tunicam innominatam oculus non habet. Sclerotica non a dura matre, sed a tendinibus musculorum oculi, & a pia menynge, constituitur. Ii musculi non in orbitam oculi, sed omnes, excepto obliquo minore, in nervum opticum, implantantur, ab eorum fibris annulus efficitur, qui nervi optici moderator appellari posset. Ab annulo hic nervus tum in longitudine, tum in crassitie, variatur; quæmobrem spiritus copiosius, vel parcus, hæc vel illa peculiari ratione ad retinam mittuntur. Ad retinam, compositam ex filamentis, non in retis formam implicatis, sed radiatim dispositis, sic retina ipsa varie, ut opus est, diversi generis impressionibus aptatur & responder. Quodsi annulus ille vel convulsione, vel paralyti, vel alia affectione, corripitur, diversos

versos in oculo morbos, diversasque & insolitas imagines, exhibit. Cataracta, illa videlicet, circa quam Chirurghi oculoarii versantur, oculi morbus est, non in membranacea expansione inter pupillam & humorem crystallinum sita, uti communius in scholis traditur, nec modo in membrana illa, modo in crystallini humoris vitio, consistens, uti ab Academia Parisiensi traditum est, sed perpetuo in eo ipso humore constituendus, cum videlicet hic a diaphano in opacum transit, consistentia eadem servata. Hoc observationes, hoc ratio, confirmant. Ex quibus multa eruuntur, per quæ facilius ac tutius in ejus morbi curatione procedatur. *Tertia Dissertatio* de renum succenturiatorum excretoriis ductibus agit. Cani renem sinistrum & testem dextrum exsecuit Autor, & experimento cognovit, eundem postea minime fecundum fuisse. Dissectionibus volatilium didicit, testes ope membranarum cum renibus colligatos esse; invenit porro, vas ejaculatorium ex renibus succenturiatis ortum trahere, & postmodum testibus uniri, indeque super renes una cum ureteribus ad intestinum rectum dimitti. Similem vero structuram harum partium in testudine aquatica & vipera deprehendit. In his animalibus sexus foeminei ovaria cum renibus succenturiatis peculiari nexu colligari, cognovit. In mure foemina ovaria firmiter alligata renibus vidit, sed & corpus quoddam albicans, a rene succenturiato ad ovarium ferri, ad similitudinem excretorii ductus observavit. In cane vero & vitula hujus rei obscura tantum judicia habuit. In homine quondam vidit propagines quasdam, ab rene utroque succenturiato ad testes descendentes, quæ neque sanguiferi, neque nervi, neque lymphatici, videbantur canales, sed potius alius cujusdam naturæ. Exhinc, ductus, a renibus succenturiatis profectos, probabiliter aliquid ad generationis negotium conferre, concludit. His de *Valsalva* vita & scriptis, *Morgagnii* imprimis & ipsius *Valsalva* ductu, expositis, ad *Joannem Baptistam Morgagnium*, in Patavino Gymnasio primarium Anatomæ Professore & Præsidentem, nos convertimus, qui in hac *Valsalva* editione novum & exemplum industriæ anatomicæ specimen exhibuit. Bononiensis Instituti Scientiarum Academia, & haec *Valsalva*, Dissertationes & scripta

cetera eidem miserant, ut illas recenseret, hæc autem, si quid dignum luce videretur, seligeret, & cum Dissertationibus illis ederet. Non recusavit *Morgagnus* laborem suscipiendum, sed maxima cum cura id egit, ut non solum *Valsalvæ* annotata, & aliorum scriptorum recentiorum doctrinas pervestigaret, sed ipse quoque omnia, de quibus disserendum erat, in cadaveribus perquireret. Inde vero Opus ita exerevit, ut, quod primo sperabat, brevibus annotatiunculis, quas in imis paginis adscriberet, rem confici non posse intelligeret. Variis igitur sine successu sperato tentatis, tandem in Epistolis, Operi annexendis, ea, quæ & *Valsalvæ* annotaverat, & ipse ex Dissertationibus cognoverat, omnia colligere constituit. Summa vero *Cel. Morgagni* industria effecit, ut Epistolæ duodeviginti multum mole superent ipsam *Valsalvæ* tractationem, cuncta autem tanta cum cura, experientia, & eruditione, elaborata sint, ut attentum lectorem quam maxime delectent & instruant. Sed viginti numerantur *Morgagni* Epistolæ, quarum *prima* & *secunda*, quæ Lugduni Batavorum A. 1728 prodierunt, & in *Actis nostris A. 1728 Mensè Maio pag. 216* laudatæ fuerunt, huic Volumini non insertæ sunt, quoniam ad *Valsalvam* nihil attinent, reliquarum octodecim vero, quæ hic exhibentur, hæc sunt argumenta: *Tertia* spectat ad *Valsalvæ* Tractatum de *Aure humana* Cap. I n. 3 & Cap. II n. 7, sive ad glandulas sebaceas, & ad vesicularem glandularum structuram; *quarta* ad reliqua fere omnia, quæ eodem Cap. I continentur, de auricula meatuque auditorio; *quinta* ad Cap. II n. 1, 2, 3, sive ad tympani membranam & cavitatem; *sexta* ad ejusdem *Capitis* n. 4 - 12, hoc est, ad tympani ossicula, horumque musculos; *septima* ad cetera, quæ deinceps eo *Capite* scribuntur, de fenestra ovali & rotunda, tuba *Eustachii*, & tympani vasis ac nervis; *octava* ad n. 19, 20, & 21, *Capitis* ejusdem, sive ad plerosque uvulæ & pharyngis musculos; *nona* ad idem argumentum, vel potius ad pharyngis terminos, & glandulas etiam vicinas, aut ad œsophagum attinentes; *decima* ad omnes musculos uvulæ; *undecima* ad omnes musculos pharyngis reliquæ, & ad continuatum œsophagum; *duodecima* ad *Caput III*, sive ad universum labyrinthum; *decima tertia* ad reli-

qua tria *Capita IV, V, VI*, sive ad partium auris usus, sed præfertim ad curationes, observationes, experimenta, aliaque, iis *Capitibus* proposita, quæ ad palpebrarum cysticos tumores attingunt, ad surditatem manu curandam, ad tumores sanguineos, ad nervorum uisionem, potissimum in odontalgia, ad vulnera membranae tympani, ad hemiplexiam, & ad nervorum in collo & carotidum arteriarum constrictiones; *decima quarta* ad primam partem *Valsalvæ* Dissertationis Anatomicæ primæ, de ligamenti & cellulæ coli intestini, de recto cæco & appendicula vermiformi, de lumbricis, &c. *decima quinta* ad partem alteram ejusdem primæ Dissertationis, de sinibus arteriæ magnæ, de hujus ac pulmonaris arteriæ valvulis, tum de cordis vasis coronariis, ovali foramine, vena sine pari, jugulari interna, subclavia, cava inferiore, valvulisque præsertim, quæ iis omnibus sunt assignatæ, tum de cordis sede & positu, aliisque, ad ejus externam internamque faciem attinentibus, denique de valvularum inventoribus, & de artuum quibusdam venis; *decima sexta* ad reliquas partes duas primæ Dissertationis, itemque ad Dissertationem alteram. De nervis ad partem vagum accessorii, de cerebri pari decimo, de secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, & de nervis intercostalibus, ac simul de musculis omnibus, qui circa oculum sunt locati, de annulo optici nervi moderatore, & de extimis ejusdem nervi atque oculi tunicis; *decima septima* ad easdem Dissertationes, de aquosis ceterisque oculi vasis, de tunica choroide, de iride, ciliari corpore, de aqueo humore, ejusque cameris, de tunica crystallina & vitrea, & de humoribus, qui his continentur, denique de retina & de nervi optici structura; *decima octava* ad alteram *Valsalvæ* Dissertationem, de utilitatibus & noxis annuli moderatoris optici nervi, tum de cataracta & glaucomate; *decima nona* ad eandem Dissertationem, absolvens sermonem de cataracta; *vigesima* ad tertiam *Valsalvæ* Dissertationem, de renibus succenturiatis, horumque usibus. Speciatim vero nunc quædam Epistolæ recensendæ erunt, quo plenior idea laboris Viri Celebrissimi exponatur, & cum in omnibus egregiæ prorsus doctrinæ
inve-

inveniantur, *tertiam* & *sextam* imprimis examinabimus. Prior enim doctrinam de glandulis accuratius exponit, altera vero de ossiculis auditus, & musculis eorundem, fusius agit. In *tertia* igitur Epistola Autor occasione glandularum, in superficie auris externæ deprehensarum, in structuram glandularum, speciatim sebacearum, accuratius inquirit. Summa cum modestiâ dijudicat opiniones eorum, qui corpuscula hæc glandulosa, tumores præter naturam, in sinibus arteriolarum obstructis ortos esse judicant, qui cum cutis papillis confundunt, qui denique materiam sebaceam, in illis contentam, a pinguedine deducunt. Quæstionem hic movet: an glandulæ sint dicendæ, an folliculi, an cryptæ; & in hac disquisitione observationes quatuor *Valsalvæ* de vesiculis minimis, in hepate inventis, adducit, in quibus structuram quoque diligentius disquirere potuit. Licet igitur morbosum hunc statum alii non assument; tamen genesis harum vesicularium alia ratione non commode explicari posse monet Autor; quamobrem observationem *Littvii*, de vesiculosa renis substantia, hac data occasione disquirat. Porro examinat, cur non vesiculæ tales in intimis viscerum esse possint, cum etiam, illis præsentibus, secretionis negotium explicari queat. Ad injectiones vero anatomicas, & subsequenter macerationem, quod attinet, illas non tutum sistere experimentum, monet, in minima viscerum structura indaganda, quoniam folliculus destruitur. Quod argumentum, ab aliis indicatum, sollicite perpendit, & non ipse tantum præparata talia ratiociniis prosequitur, sed testimonia aliorum quoque adducit, qui, visis præparatis anatomicis, subtilissime injectis, dubii tamen hæserunt, an glandulosam fabricam assumere debeant, an vasculosam, & an non potius omne illud, quod repletum fuit, in maceratione relicum sit, reliqua vero non repleta, & sic etiam folliculus, abierint. At non tantum illorum argumenta, qui viscerum habitum magis vasculosum, quam glandulosum, dicunt, dubia & infirma reddidit, sed ipse quoque objectiones *Malpighii* sententiæ opponendas proponit, examinat, & refellit. Objectio prima est: *Malpighium* folliculos ope microscopii ostendisse. Sed nihil hoc ipso veritati decedit, quoniam multa alia agre-

gia, microscopiis visa, assumta & approbata fuerunt; imprimis cum *Malpighius* simplicissimis ut plurimum usus fuerit microscopiis, quæ non abnormia & incredibilia, sed iis, quæ per alia experimenta sic satis retexerat, maxime consentanea, demonstrarunt. Porro etiam ostendit, & *Malpighium*, & alios, glandularum folliculos in sanis corporibus demonstrasse, quo objectioni respondeat, quæ adversarii asserunt, eum hoc tantum in morboſis præstitisse. Adducit vero potissimum folliculos in intestino recto & lingua, & de illis disquirat, an melius cryptæ dicantur, quod negat, cum jam ante *Malpighium* glandulæ dictæ fuerint, & derivatio vocabuli exacta nec in aliis glandulis valeat. Tertia objectio est, *Malpighium* non in omnibus partibus demonstrasse glandulas, in quibus easdem assumsit. Faterur quidem, in rebus minimis non omnia tanta pertipicuitate conspici posse, neque tamen contrarium asserentes in rebus his subobscuris sententiam prolatam vasculorum continuatorum evidenter satis declarare posse, sed eodem modo a partibus cognitæ ad incognitas argumentari, putat. Adducit tamen testimonia nonnulla, quibus evincit, *Malpighium* etiam hoc imprimis in conglobatis præstitisse. Objectio tandem quarta urget, folliculos hos, a *Malpighio* ostensos, ad glandulosarum partium naturam non pertinere; partem enim vesiculosam pro glandulosa haberi non posse. Sunt enim doctissimi viri, qui non modo non, ubicunque secretio est, ibi esse glandulam, sed neque, ubicunque glandula est, ibi esse secretionem, contendunt, quod posterius quidem satis demonstratum est. Sed, si hac in parte ex habitu externo tantum glandulæ naturam determinare, & cum veteribus assumere volunt, non deerunt exempla, quibus comprobari potest, cerebrum aliasque partes glandulas dictas fuisse. Et, si etiam hoc non factum fuisset, cur non, interna structura simili invento, simile etiam nomen imponere volumus? Hac occasione Autor ad definitionem glandulæ deducitur, eos dijudicans, qui ad vasculosam tantum viscerum structuram attendunt, & differentiam inter glandulam, cryptam, & acinum, magis fingunt, quam demonstrant. Ipse vero difficilem glandulæ definitionem formari dicit, cum ad autoritatem, structu-

structuram, & usum, & ad ultimum magis, quam ad precedentia, respiciendum sit, ipsumque fecisse satis arbitratur, si tantum ostenderit, non repugnare, partem aliquam esse vesiculosam, eandemque glandulosam. Sed, si etiam ad structuram magis, quam ad usum, attendere velimus, tamen exemplis superius prolati, hincque iterum adductis, vesiculosam structuram ostendere annuitur. Cum vero aliæ etiam partes, quæ vesiculosæ sunt, nec glandulis annumerantur, ut pulmones, glandulosæ partes dicantur, tunc, monet Auctor, attendendum esse, quem illæ potissimum habeant usum, & si intelligeretur, aliquam id unum, aut id maxime, agere, ut aliquid e sanguine secernat, posse illam vocari glandulam; sin autem manifestum sit, aliud omnino agere, vocari glandulam non posse; sin vero & aliud agere, & tamen etiam aliquid e sanguine secernere, conspiciamus, non videri illos esse arguendos, quibus non absolute quidem, sed ea saltem ratione, qua aliquid secernit, spectatam, vocare glandulam, aut glandulosam partem, placeret. Alternas tandem de his rebus sententiarum vicissitudines recenset, & egregiæ huic & difficili tractationi finem imponit. Accedamus nunc ad Epistolam sextam, qua non tantum egregia observata anatomica, sed & nonnulla ex Historia literaria anatomica, Auctor exponit. Describit autem ossicula auditus, & musculos, iisdem annexos. In ossiculis auditus considerandis ea adducit, quæ *Guernerus Rossincius* de eorundem inventoribus in medium protulit, & quæstionem movet, an hæc assumerit Auctor quidam, qui *Valsalvam* notat, quod *Achillinum* potius, quam *Carpum*, pro inventore mallei & incudis venditaverit. Præcipua igitur nonnulla de vita *Achillini* & *Carpi* exponit, ostendens, *Carpum* non ante *Achillinum* ossicula descripsisse, licet forsitan ante hos viros ignobilis quidam professor inventor extiterit. Simile etiam iudicium addit de *Ingrassia*, qui stapedem primo descripsit, licet incertum sit, an primus invenerit. De reliquis vero ossiculis, quorum mentio ab aliis Auctoribus facta est, quæ vel in mallei & incudis articulo, vel ad incudis crus brevius, vel a latere capituli stapedis, & alibi, inventa commemorantur, tradit, se nihil unquam deprehendisse, & *Valsalvam* quoque, licet asserta Autorum varia

agnoverit, nihil annotasse. De quarto vero ossiculo, quod orbiculare dicitur, & quod *Valsava*, cui illud jam cognitum erat, ovale dicere maluisset, monet Autor, quod peculiare ossiculum sit, nec pro cartilagine, nec pro epiphysi, incudis vel stapedis assumi possit. Ostendit etiam, quosdam veteres illud obscure indicasse, & imprimis perspicuam quandam descriptionem ex *Arantio* adducit. Sigillatim nunc ossicula hæc considerat. Mallei processus sunt tres, major, sive manubrium ipsum, minor, membranæ tympani infixus, & minimus, qui interdum ab instauratore *Ravianus*, vel ab inventore processus *Folii*, dicitur. Hac occasione multis, ex vita *Vestlingii* & *Folii* adductis, probat, *Folium* ante *Vestlingium* hunc minimum processum descripsisse. Multa præterea addit, eademque accuratissima, quæ sicut, structuram, & administrationem anatomicam, in separando & cognoscendo hoc processu tenerrimo spectant. Musculi mallei, tribus ejus processibus annexi, diversimode a variis Autoribus denominati sunt, ita, ut imprimis externi vocabulum ambiguum factum sit. Ostendit itaque, hos musculos optime in intimum extimum & medium distingui posse; assumit tamen, ne a *Valsava* denominationibus recedat, denominationes majoris, minoris, & minimi musculi. Major vero musculus, a latere tubæ *Eustachiana*, tum osseo, tum aliqua ex parte cartilagineo, tendineo-carneus oritur, in semicanali, vel potius canali, vagina involutus ducitur, donec sese inflectat circa trochleam, & in manubrium mallei prope cervicem inseratur. Has condiciones ortus, transitus, & insertionis, diligenter disquirat, & usum ostendit: nimirum hunc musculum introrsum ducere malleum, & speciatim manubrium, cum annexa membrana tympani, neque, ut quibusdam visum fuit, hunc musculum cervicem introrsum ducere, manubrium vero cum annexa membrana tympani extrorsum vertere. De minori musculo, qui in superiori meatus auditorii latere describitur, *Cel.* Autor fatetur, se fibras musculosas distincte conspiciere non potuisse, licet aliorum observationes adductas in dubium plane vocare solit. Pergit in consideratione musculi minimi, qui minimo mallei processui alligatus est, & illum non coherere cum musculo majore ostendit,

ostendit, nec tam longum eundem esse. Progreditur tandem ad incudis, ossis orbicularis, & stapedis, descriptionem. Qua de re, brevitatis ergo, tantum monemus, Cel. *Morgagnum* stapedis medium spatium; duplici membrana, membranæ, cavitationem tympani investienti, continua, superinductum deprehendisse. Quibus observationibus expositis, varia de nexu stapedis in foramine ovali, nec non de musculo stapedis, tandem de perioftio ossiculorum auditus & cavitatis tympani, addit, & ubique in his etiam minimis perquirendis, summam industriam accuratamque diligentiam ostendit. Ex his igitur, brevius tantum indicatis, quilibet perspiciet, quantam in illustrandis & perficiendis *Valsalva* demonstratis curam adhibuerit Cel. *Morgagnus*, qui disquisitionem aliorum Autorum minime negligit, & tamen ipse partium structuram studiose perquirat. Ea etiam modestia ab aliorum sententiis recedit, ut humanitate plane singulari assensum contradicentium acquirere videatur. Præstantissimus igitur hic Anatomicus, merita *Valsalva* in rem anatomicam accuratius ostendens, propriis meritis cumulum addidit, & assensum literati orbis feliciter promeruit, in posterum etiam promeriturus, si nova specimina Anatomies subtilioris & Historiæ anatomicæ excudere perrexerit.

ASTRONOMIE PHYSIQUE, &c.

id est,

ASTRONOMIA PHYSICA, SIVE PRINCIPIA generalia Naturæ, applicata ad Mechanismum astronomicum, & comparata cum principiis Philosophiæ Newtonianæ, Autore Domino DE GAMACHES, de Academia Regia Scientiarum.

Parisiis, apud Car. Ant. Jombert, 1740, 4.

Alph. 2 plag. 6, Tabb. æn. 22.

Præclarus Autor, iudicio illustris Academiæ Scientiarum excitatus, & pro gloria nationis suæ pugnandi desiderio flagrans, summo conatu, in egregio Opere, quod nunc recensemus, id agit, ut doceat, non alia, quam *Cartesiana*, principia
in

in explicanda mechanica mundi & astrorum constitutione locum habere posse. Et fatendum profecto est, tanto apparatu, tanto ingenio, hanc ab eo causam defendi atque ornari, ut nihil admodum, quod vel addi, vel melius dici, queat, superesse videatur. Qui si non vincit *Newtonianos*, fortissime certe dimicat, novosque sibi poscit adversarios, haudquaquam vulgares. Quanquam, nostra quidem opinione, nullius unquam in hoc genere victoria propria atque omnino expedita erit, quamdiu & cum summa circumspectione errandi, & exquisitissima etiam Geometrarum ratiocinia in partes trahendi, occasiones tantum non infinitæ suppetunt. Sed nunc ordinem Operis præsentis summamque videamus. Distribuit illud Autor in Dissertationes *novem*; quibus & satis amplum præmissum Proœmium, & sub finem, præter illustrationes nonnullas, etiam Index rerum adjectus est, brevis ille quidem, sed non plane inutilis. In *prima* Dissertatione de ipsis generalibus Philosophiæ *Cartesiane* principiis disserit; de fide sensibus deneganda; de causis secundis & occasionalibus; de materia & corpore; de spatio vacuo, quod nihil esse aliud docet, quam ipsam materiam, sive corpus, sive extensionem, omni qualitate sensibili, tanquam veste detracta, consideratam; (nam extensionem, figuram, motum, in iis non numerare videtur, quæ sensibus subiecta sunt,) denique de vera constitutione & natura motus, quem & ab uno Deo oriri, & necessario semperque relativum ac reciprocum esse, non modo contra alios motus absoluti defensores, sed etiam contra multos eorum, qui se *Cartesianos* profitentur, contendit. In *altera* Dissertatione de legibus motus disserit, quas quidem, si motus res absoluta esset, omnino arbitrarías fore, nunc autem certo hoc & necessario niti fundamento, demonstrat, uti ad omnes apparentiarum varietates sine errore applicari possint, sive (ut pluribus propriisque Autoris verbis dicamus,) ut effectus, quos producere causæ mere apparentes videntur, nunquam repugnent iis, quos producant causæ, pro veris ac realibus habitæ. Cujus ille principii, non quidem plene novi, sed & aliis & principi *Hugenio* concelebrati, vim ac fecunditatem non solum hoc loco & in extremo libro

bro exponit, sed suo quoque tempore se copiosius declaraturum pollicetur. In *tertia* & *quarta* Dissertatione principia Philosophiæ *Newtonianæ* tradit, cum hujusmodi fere exordio: Novus hic, inquit, Philosophus, rara sua eruditione in rebus geometricis jamjam illustris, cum impatienter ferret, nationem externam in eam gloriæ possessionem venisse, ut ceterarum magistra esset, nobili quadam æmulatione excitatus, & magno suo ingenio adjutus, omni cura & cogitatione in id incubuit, ut Britannos suos necessitate, quam sibi impositam credebant, a Gallis arcana naturæ discendi, liberaret. Idem, ut omnis coercionis hostis, qui assidue perentisceret, quantum a Physicis coerceretur, hanc totam scientiam a Philosophia sua proferendam duxit; veritusque, ne eam aliquando in subsidium revocare necesse esset, id cepit consilii, ut ipsis intimis singularium phænomenorum causis vim & naturam legum primitivarum assereret. Quo facto, omnem sublatam difficultatem vidit. Neque enim nunc labor ejus circa aliud quidquam versabatur, quam circa res sibi familiares, facile tractabiles, & notis calculis subjiciendas. Phænomenon geometricè resolutum erat ipsi phænomenon omnino explicatum. Eaque via illustris iste *Cartesii* æmulus celeriter hanc voluptatem consecutus est, ut magnum se Philosophum cerneret, ob eam rem unam, quod magnus Geometra esset. Hæc Autor noster. Atque idem, sub finem Dissertationis *tertiæ*, Concludo igitur, inquit, nihil facilius esse, quam methodo *Newtoniana* naturam evolvere. Nam, si phænomeni cujusque complicati rationem reddere cupis, nihil tibi aliud agendum est, quam ut illud geometricè exponas. Quicquid restare videtur, quod Physico negotium facessere possit, id totum certissime, vel a lege quadam primitiva, vel a peculiari constitutione, dependebit. Et in Dissertatione *quarta*, ubi de attractione *Newtoniana* pluribus disserit, Si quando, inquit, magnus ille Geometra concedere videtur, fieri posse, ut id, quod vim attractricem vocat, a causa quadam mere mechanica dependeat, non difficulter licet intelligere, hoc unum ab eo agi, ut asseclatam illiusmodi orationem ad imbecillitatem eorum accommodet, qui nihil ad-

mittere valent, quod capere nequeunt; vel etiam, ut ab hypothefi fua fpeciem illam fubridiculam removeat, qua præjudicium induere res omnes nititur, occultis qualitatibus affines. Sed, nullis his Philofophi noftri, ut *Cartefiani* & Galli, dictariis, ad alia & majora veniamus. Poftquam igitur ex celeberrimis indubiisque *Kepleri* legibus omnino confequi faffus eft, planetas perinde ut in vacuo moveri, eorumque, verfus folem, tanquam commune centrum, tendentium, gravitates rationem habere duplicatam & inverfam radiorum vectorum, fivo diftantiarum a fole, utrumque cum hypothefi mundi pleni egregie convenire, & alterum quidem ex natura fluidi ætherei tenuiffimi, alterum ex constitutione vorticum, fatis luculenter demonftrari poffe oftendit. Hinc *quinta* Differtatio de motu corporum in fluidis; *ſexta* de mechanifmo vorticum, inferibitur. Corpori cuivis, in fluido progredienti, eo minus refiftit fluidum ambiens, quo subtiliores folutioresque hujus particule, & quo tenuiores adeo lamellæ funt, quæ cedere continuo ad latera & tergum corporis debent: quo etiam ipfa corporis figura, & frequentia pororum, fivo foraminum, fluido patentium, non parum confert. Nec quidquam impedit, quo minus ætherem tam perfecte fluidum concipias, ut nihilo per eum difficilius, quam per inane, planetæ moveantur. Nam, quod ad demonftrationem *Newtoni* attinet, qui globum quemque, per fluidum æque denfum progredientem, quo tempore octo partes tertias diametri percurrit, dimidiam celeritatem fuam amittere debere affirmat, hæc tota demonftratio, fi recte poſitus ab Autore noſtro calculus eft, affumto quodam nititur, haudquam legitimo. Fateri tamen convenit, fluida, quæ plane non refiftant, niſi in mundo pleno, minime habere locum poſſer. Quodſi adeo errant, qui, planetas in ſpatiis vacuis moveri, opinantur, ipſi certe *Cartefianorum* plerique nihilo errant minus, cum ætheris impreſſioni planetas exponunt, quippe quod conciliari cum legibus *Keplerianis* nullo pacto poteſt. Quanquam enim haud dubie primum vorticum conceptum *Carteſio* ſuppeditavit ſimilis planetarum in motibus ſuis directio, cujus phaenomeni rationem non aliunde, quam ex

mero

mero divino arbitrio, *Newtoniani* repetere valent, non tamen istius convenientiæ hæc causa statuenda est, quod planeta a vortice solari abripiantur, sed quod particula, ex quibus minores vortices singulorum planetarum coaluerunt, jam antea motum majoris vorticeis solaris secute sunt. Declarare igitur ingeniosus Autor originem vorticum laborat, ostenditque, ad induendam figuram globosam, opus illis esse, ut undique æqualiter comprimantur, sive ut ipsi materiam circumfluam pari vi ubique impellant; quo pacto nihil obflare, quo minus considerari tanquam fluida in sphaeris cavis inclusa queant. Hoc etiam diligenter notandum putat, uti impressio motus, quam recipit corpus quodlibet, ad superficiem, cujus interventu impellitur, semper ac necessario normalis est, ita strata sphaerica vorticeis rotundati non aliter agere in se mutuo posse, quam secundum directionem radiorum sphaeræ, neque ob aliam causam particulam quamlibet, quæ in sphaera cava circulum maximum describere sola deberet, in vortice per parallelum progredi, quam propter continuam oppositionem materiae, inter æquatorum & parallelum interjectæ. Quibus ita expeditis, demonstrat, ad perfectum in vortice æquilibrium opus esse, ut strata sphaerica inferiora nec plus, nec minus, habeant virium centrifugarum, quam superiores, utque adeo celeritates ubique rationem inversam radiorum distantiarum a centro, & vires ipsæ centrifugæ proportionem inversam quadratorum istarum distantiarum, sequantur. Porro hæc docet, vortices novos, in majori exortos, directionem fere stratorum sphaericorum, ubi coaluerunt, tenere, parique directione circa propria centra revolvi, & quo minus a centro majoris vorticeis absint, hoc minus etiam a plano æquatoris desletere debere; vortices contiguos viribus suis centrifugis se mutuo impellere, atque imbecilliores a fortioribus eo usque despoliari, dum par in utraque superficie contigua exstiterit velocitas; denique errare *Newtonum*, cum per calculum frictionum demonstrari posse credat, tempora planetarum periodica in hypothesei vorticum *Cartesianorum* esse debere, ut quadrata distantiarum a sole. Jam, ut hypothesei *Cartesiana* totus ille concilietur ambitus, qui ei convenit, vorticeis

ticibus etiam vorticulos adjiciendos esse, a junioribus inventos, & a lege analogiæ oblatos, Autor noster contendit. Si enim, inquit, nihil, nisi cum alio comparatum, parvum magnumve est, eademque & una ratio mechanica motum in spatiis maximis & minimis æque dispensat, non difficulter intelligitur, ætherem, quo vortices majores constant, nihil aliud esse, quam congeriem minorum vorticulorum, qui, rursus e minoribus compositi, ne in poris quidem suis aliam materiam complectuntur, quam vorticulis constantem. Hæc materia, in centris vorticum maxime collecta, & globulis sive vorticulis æthereis nihil resistens, ea ipsa est, quam *Cartesius* materiam subtilem primi elementi appellavit. Sequitur autem ex natura elastica vorticulorum æthereorum, ut alternis vicibus terti & laxati, perpetuo quodam motu versus peripheriam & centrum fluant ac resiliant, & resili quidem corporibus & vorticibus, quibus incumbunt minoribus, gravitatem concilient. Cum enim motum versus peripheriam ipsa peripheria sustentet, contrarius autem motus nullum fulcrum habeat, necesse est, ut columnæ sive pyramides detruncatæ ætheræ, inter vortices quosque minores & inter peripheriam majoris comprehense, tum saltem, cum magnitudine vortices minores indefinite excedunt, tota sua vi eos urgeant deorsum, idque tali prorsus ratione, qualem lex *Kepleri* postulat. Breviter de his rebus nobis dicere concessum fuit; brevius etiam de reliquis dicemus. Dissertatione *septima* theoriam planetarum generalem, principiis suis & accuratissimis recentiorum observationibus congruam, Autor persequitur; *octava* corporum cælestium, & ipsius potissimum telluris, figuram definit; & *nona* denique ex limitatione nonnullorum, quæ antea liberalius assumerat, novas conficit demonstrationes, rerum naturam apprimè illustrantes. Fatetur scilicet, ætherem non plane omni vi resistendi privandum esse; vorticibus minoribus, in majori coortis, figuram non exacte spheræ, sed spheroidis latæ, competere; & columnas, sive truncatas ætheris pyramides, vorticibus planetarum incumbentes, si cum his comparentur, non habere altitudinem infinitam. Ex limitatione primi assumpti ratio apparet cum præcessionis æquinoctiorum,

tum

tum motus directi nodorum; quod ipsum quidem phænomenon in his Autor numerat, quæ ex principiis *Newtonianis* declarari non possunt. Alterius assumpti limitatio, ad vorticem telluris applicata, causam manifestat eorum, quæ in theoria lunæ potissimum inordinata videntur; itemque eorum, quæ ad æstus maris pertinent. Denique, dum tertium suum assumptum Vir doctissimus restringit, gravitates planetarum majorem, quam inversam & duplicatam, distantiarum a communi centro rationem habere, ob eamque rem & nodos orbitarum, secundum ordinem signorum, progredi, & tempora, quibus planetæ superiores revolvuntur, aliquanto longiora fieri, demonstrat; quæ rursus cum per observationes egregie confirmari, tum vero a principiis *Newtonianis* manifeste discrepare, arbitratur. Restat, ut etiam de illustrationibus, sub finem libri adjectis, mentionem faciamus. Prima respicit hypothesein Autoris de motu relativo, de quo supra dictum est. Altera quodammodo retractat & corrigit, quæ in *Newtonum* jactata fuerunt; ejus nunc sententia utique a sententia plerorumque *Newtonianorum* distinguenda, nec fere ob aliam rem improbanda, censetur, quam quod ipsum solem nihilo minus versus planetas, & planetas primarios versus secundarios, quam hos versus illos, & omnia omnino corpora versus se invicem, gravitate quadam impelli contendit; quod, forte mireris, cur ei tantopere displicere possit, qui nullum in natura motum, nisi relativum ac reciprocum, agnoscere se profiteatur. At enim vero, si cuncta corpora mutuam haberent versus se invicem gravitatem, primo quidem, inquit, superiores planetæ breviori tempore, quam lex *Kepleri* postulat, revolverentur; deinde planetæ secundarii, contra ordinem signorum, primarios circumirent; luna & corporum terræ propiorum gravitates ac delapsus aliam requirerent proportionem; si-gura telluris ab ea differret, quam phænomena pendulorum postulant; planeta Jovis formam haberet notabiliter, quam nunc, depressiorem; & universa denique corpora mundana accedere pedetentim ad commune gravitatis centrum, atque ibi aliquando accumulari, necesse foret. Quarta res, quæ non ab ipso Autore, sed ab ejus amico quodam, illustratur, est directio gra-

vitatis reductæ, & magnitudo graduum telluris. Postremo loco a Domino *de Cury* constructio curvæ docetur, quam meridiana planeta alicujus, vi proportionis, in *octava* Autoris Dissertatione commemoratæ, exhibet.

DE L' ETAT DES SCIENCES EN FRANCE, DEPUIS
la mort de Charlemagne, jusqu' à celle du Roi Robert, &c.
id est,

DE STATU SCIENTIARUM IN FRANCIA, IN-
de a morte Caroli Magni ad obitum usque Roberti, Re-
gis, Dissertatio, quæ A. 1737 in Academia elegantio-
rum literarum præmium accepit; Autore Abbate
GOUËTO, Canonico S. Jacobi hospitalis.

Parisiis, impensis Collegii Bibliopolarum, ad imprimendam Colle-
ctionem Historicorum Franciæ conjunctorum, 1737, 12 maj.

Plag. 5^l.

Quantum huic Commentationi præmium sit statuendum, vel ex ipsa ejus inscriptione patet. Limitissima profecto sit oportet, quæ in istiusmodi literata Societate vincere ceteras pretio debet. Et sane in hoc libello egregias reperimus, ad historiam Seculorum maxime alias obscurorum spectantes, annotationes, cum Criticum simul decente judicio conjunctas. Non quidem omnino desunt, qui Seculum nonum atque decimum illustrarunt, scriptores. Vel unius *Joh. Henr. Bæleri* Commentarium de istis rebus per seriem Germanicorum Cæsarum appellasse sufficiat. Qui tamen Autoris nostri Dissertationem perlegerit, singularia se reperisse fatebitur, atque indidem supplere partim, partim illustrare, poterit quascunque aliorum lucubrationes. Prudenter omnino, statim ab initio, monet doctissimus Autor, unumquodque Seculum duplicem quasi præ se faciem ferre. Qui alteram solum consideraverit, omnia laude digna, qui alteram, vituperatione, inveniat. Utramque igitur esse attendendam, ut justum illius de statu judicium ferre queamus. Ad primum hinc genus refert, qui nihil prorsus barbarici istis sibi in temporibus reperire videntur; ad alterum, qui omnia recta, tunc eadem
atque

atque suppressa existimant; se igitur mediam, atque adeo tutissimam, ingressurum esse viam, proficetur. En tibi, benevole Lector, summa hujus tractationis capita. *Carolus M.*, A. 814 mortuus, pro temporum ratione splendido in statu literarum studia reliquit; sed bellorum dissidia eandem faciem statim aliquantisper obscurarunt. Nihilominus tamen *Ludovicus* renovato atque iterato mandato, scholas erigi, ordinari, amplificari, precepit. Celebrabatur tunc præsertim schola palatii, ubi & peculiaris erat Bibliotheca, que *Ebbonem*, summum deinde Remensium Antistitem, habuit præfectum. *Carolus Calvus* non minorem literarum curam gessit, qui simili ratione in palatio scholam aperuit perquam celebrem, cui *Jo. Scotus* per longum temporis spatium præsidebat; Bibliotheca autem curam *Hilduinus* susceperat. Tantum exemplum Antistites secuti, frequentissimas & ipsi scholas constituerunt, de quibus rebus *Lauvojus* cum aliis consili poterit. Plures autem ejusmodi scholarum desiderant florere ante finem Seculi noni, ac decimo deinde multo major fuit eruditionis obscuritas. Nihilominus tamen restabant adhuc Antistites, quibus non deerat ingenium; restabant scriptores, naturalium saltem pulchritudine insignes; atque illi præsertim, qui *S. Benedicti* sequebantur instituta, scholas aperiebant, ac doctrinas inculcabant haud omnino spernendas. Hæc pertinebant Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, & Astronomia. Grammaticam si species, *Rabanus* non solum intelligebat artem bene scribendi, bene loquendi, sed etiam notitiam explicandi Poetas pariter & Historicos. Rhetoricæ studium saltem ad juventutem relegabant, atque imperfecte satis illam docebant; id quod vel ex ejusdem *Rabani Institutione Clericorum* apparet. In Dialectica *S. Augustinum* sequebantur. Methodi operam esse navatam, varia *Hincmari* Remensis, *Lupi*, *Rabani*, *Walafriidi Strabonis*, *Abbonis*, atque aliorum, opera testantur. Musicæ, leve quidem studium erat, quod impendebatur; Astronomiæ autem fere majus, sed ita, ut superficialium propemodum videretur, unde & plurimæ præconcepæ opiniones, plurima incommoda, sequebantur. Architectura, ut & Sculptura, laude non indignos habuisse videntur

tur sectatores. Sed præcipuus labor Poesi sacrabatur, licet tali, qualem tempora ista patiebantur. Testantur id tot reliquæ, tam typis exscriptæ, quam manu saltem scriptæ, ut, quid perditum fuerit, taceamus. Poetæ illorum temporum nesciebant fere, præter versus heroos atque elegiacos, carminum quædam genera. Præterea vero rhythmî tunc introducebantur. *Sigefridus* in ejusmodi carminum genus Novum Testamentum transtulit; qualis consuetudo in lingua Germanica jam tum obtinebat. Ad linguam vulgarem quod attinet, Romana tunc in desuetudinem venerat, atque alia, Gallicæ hodiernæ propinquior, introducta erat. Dedit hæc conversio Glossariis aliquo modo initium, quorum quidem hinc a morte *Caroli M.* insignis cepit esse copia, atque etiam utilitas. Ad Theologiam quod attinet, commendabatur quidem sanctissimarum literarum studium, sed non satis earundem lectio ac pervelligatio instituebatur accurata. Inter Patres studium occupabant *S. Hieronymus, Augustinus, Gregorius M.*, sed admodum exiguus ex iisdem capi poterat fructus. Interea tamen omnia istius temporis scripta theologica eorundem ex verbis composita esse videntur. Sed neque controversiæ præsertim sacre negligi solebant, præsertim inter cœtum Orientis atque Occidentis. Disciplinæ sacre ac rituum non paucissimis partibus ista ætas originem dedit. *Azobardus* hic præsertim virum se præstitit, ita tamen, ut neque careat mendis. Calendariorum, Martyrologiorum, Necrologiorum, insignis edebatur copia, ut & Annalium Chronicorumque, si quidem Historiam civilem contempleris. Inter Historicos nomen sibi tunc imprimis comparavit *Flodoardus*, qui vero *Eginbardo* multum cedit. Criticæ artis insignis observabatur defectus, unde si plurimi errores manarunt ac propagati fuerunt, nil mirum. Præsertim autem ejusmodi damnum observabatur in disciplina sacra ac Jure Canonico pariter & Civili. At enim majora sunt ista detrimenta, quam quæ tam brevi spatio complecti queamus; hinc silere præstat, quam latius, ab Autore nostro leviter saltem tacta, exponere ac declarare.

MENSIS APRILIS A. MDCCXLII. 233

NUMOPHYLACIUM BURCKHARDIANUM,
Numos antiquos Græcos & Romanos continens.

Pars I.

Helmstadii, ex Officina Drinborniana, 1740, 8.

Plag. 12.

Nomen habet hoc, cujus indicem jam dedimus, Museum a
Jo. Henr. Burckhardo, Med. Doct. Conf. Aul. & Archiatro
Ducali, ante hoc ferme biennium morte placida extincto. Hic,
ut verus esset *Apollinis* filius, non medendi solum scientiam gra-
viter excoluit, sed etiam, quas suffurari poterat labori-
bus, horas subsecivas politionibus literis, atque in his numorum
explicandorum disciplinæ, qua nulla est alia præstantior, labens
dedit. Dici non potest, quantam in colligendis thesauris nu-
mariis solertiam, in considerandis accuratorem, in explican-
dis dexteritatem, in commonstrandis humanitatem ac mansue-
tudinem, omnibus demonstraverit *Burckhardus*. Ne cum uni-
versa civitate literata supellectilem communicaret, sola prohi-
bebatur modestia. Servavit spartam istam *Julio Carolo Schlegero*,
publico in Academia *Julia* Professori, quem vivus amicum
conjunctissimum habuerat, quoque sagacioris sane interpre-
tem Numophylacium hoc nancisci vix ac ne vix quidem potuisset.
Laudat Vir doctissimus, cujus in rebus antiquis & numariis periti-
tiam, variis dudum argumentis ac specimenibus comprobata, Præfat.
quis est, qui ignorat, eximium *B. Burckhardi* in coemendis numis Pag. 6.
selectum, quo ductus, non falsâ solum numismata exulare voluit,
sed suspectis etiam ægerrime reliquit locum. Interim, ut est in
rebus humanis perfectum nihil, ita nec hoc Numophylacium
essugit commune malum, sed custos existit numorum bigæ, in
quibus conficiendis ars fallendi, quid possit, fuit experta. 14.
Alter *Arsinoes* est, e familia *Protemeorum* oriundæ, quæ primum
Lysimacho, Thracum & Macedonum Regi, iterum *Protemeo*
Philadelpho, fratri *Lysimachi*, nupsisse legitur; cujus numi verni-
cem, pro nobili hætenus æruginis reputatam, cum instrumen-
tum

- rum ferreum tolleret, extemplo intellexit *Schlagerus*, fuscam illam viriditatem (*verd brun* Galli vocant) vel ex charta combusta, vel ex sale ammoniaco, cui admixtum est aceti aliquantum, noviter induciam, totumque numum inter *Valerii Belli* fraudes potius, quam inter veneranda antiquitatis rudera, referendum. Alter numus, quem manus fallarii paravit, ad *Mariam* gentem pertinet, atque *Jugurtha* vicli captique refert memoriam; fraudem extrema primum ora, non, ut in aliis numismatibus, rugosa & inæqualis, sed plana & utrinque acuta, indicavit, confirmavit postea literarum ductus, tam, quæ in antica spectantur, Latinarum, quam, quæ posticam ornant, Græcarum, in quibus nimia venustas ac elegantia, prisca & Romanis & Atheniensibus *Jugurthino* ævo incognita, & figura ☉, in Græcia nunquam visa, occurrit, denique bilinguis inscriptio, a marmoribus quidem haud aliena, sed in numis prorsus inaudita, evicit. Sed tales sunt & multo plures Antiquariorum fallacia, quibus in disciplinæ formam redigendis, & justo ordine recensendis, utilem operam impendit Cl. *Beauvais*, acrioris ingenii Gallus, cujus libellus, etsi brevis sit, plurimis tamen lectu dignissimis rebus abundat. Eminuerunt istæ, quas nominamus, fraudes in numismatibus æreis *Orbonis* Augusti fabricandis, qualia quidem genuina a celeberrimis viris, *Henr. Th. Chiffletio*, *Ludov. Joberto*, *Chryssist. Hantulevo*, immo ab ipsa æterni nominis Regina *Christina*, partim negata plane, partim in dubium vocata, constat. Ast causam *Orbonum* æreorum peculiari libello *Jo. Bapt. Capponus* peroravit, egit & *Car. Patinus*, quando, se sex & viginti manibus contrectasse suis, in Notis ad *Suetonium* testatur. Horum sententiæ non modo jam olim *Henr. Th. Chiffletius*, ex quo palinodiam cecinerat, subscripsit, sed nunc etiam accedit Cl. *Schlagerus*, & æreum numum genuinum, Romæ ex SCo in honorem *Orbonis* Aug. percussum, inter cimelia Musei *Burckhardiani* asservari, opinatur. Quod enim adversantis causæ patroni urgere solent, tantum fuisse odium *Orbonis* in urbe Roma, ut vix ac ne vix quidem in numorum fabricam consensisset Senatus, id unius *Taciti* testimonio *Histor. 1, 47*, satis consultatur, qui, *magistratus*, scribit,

scribit, cum Prætoro urbano adulationibus certasse, accurrisse patres, Cæsari decretam tribunitiam potestatem, & nomen Augusti, & omnes Principum honores. Inde colligit Schlegerus: Tantum abest, ut monumentum hocce supposititium aut dedecori esse credamus elegantissimo Numophylacio Burckhardiano, ut potius ejusdem splendorem mirum quantum augere, atque agmen ducere, censeamus inter rarissimas eruditæ antiquitatis reliquias, quarum numerus non exiguus hæc serinia nobilitat. Nobilitat autem præ ceteris quoque gazam rarissimus *Philistidis*, Reginae numus maximi ferme moduli argenteus, eo majore habendus in pretio, quod non nisi sex *Φιλιστιδης* huc usque Numismatum collectores invenerunt. Jungi merentur aureus Syracusanus, qui scriptoribus ne quidem istis, qui res Syracusarum data opera tractarunt, hæctenus innotuit; aureus *Sex. Pompeji*, in cujus antica *Mag. Pius. Imp. Iter.* in postica, quam posita ex adverso utriusque *Pompeji*, patris ac filii, capita ornant, *Præf. Clussi. Et. Ora. Murie. Ex. S. C.* legitur; aureus *Faustina*, qui *Augustam* in thesâ, a duobus elephantis tracta, repræsentat cum epigraphæ: *Æternitas*. Longum foret, eorum contexere catalogum, qui in hac, si numerum spectes, perexigua collectione ob eximiam raritatem sunt commendabiles. Præstitit hoc in notulis subiectis Cl. *Schlegerus*, & quid a *Goltzio* *Vallantio*que laudatum, quid prætermittum a *Morellio*, quid ad supplendos Consulares Fallos imprimis aptum, cum cura annotavit. Sed habuit etiam trigam Numismatum *Burckhardus*, in quibus tyarii vitia spectantur. Ejus generis numi eo sunt rariores, quo sollicitius auro, argento, ærique stando præfecti tyariorum ejusmodi fracturam procurarunt. Nolumus diutius in hæc describendis *Burckhardi* thesauris, quorum potius vicem ingenue dolemus. Contingit enim illis, quod splendidissimæ Bibliothecæ & locupletissima Musæa haud raro sunt experta, fatum, ut, Collectore defuncto, dispergantur, & augendis aliis inserviant. Præclare interim de amico pie defuncto meruit Cl. *Schlegerus*, quando & ipsius & Numophylacii manibus parentavit, atque illius merita, hujus præstantiam, posteris, non sine insigni eruditionis apparatu, commendavit.

Pag. 27.

Pag. 4.

5.

6.

13.

32 seq.

28 seq.

RELATION DE CE QUI S' EST PASSE' DANS UNE
Assemblée tenue au bas du Parnasse pour la reforme
de belles lettres, &c.

id est,

RELATIO EORUM, QUÆ GESTA SUNT IN
Congregatione quadam, ad Parnassum reformandarum
elegantiorum literarum ergo instituta. Opus notatu
dignum, & compositum ex diversis narrationibus secun-
dum scribendi rationem elegantium ætatis nostræ inge-
niorum. *Purpureus, late, qui splendeat, unus
& alter Assuitur pannus.* Horat. Ars
poet. vers. 16.

Amstelodami, apud Jo. T. Lam, 1739, 8.

Plag. 9.

Ridendo dicere verum quid vetat? Plus interdum prodest
pungens satira, quam severa castigatio, plus explicata
frons *Flacci*, quam complicata *Catonis*. Tantum itaque abest,
ut reprehendamus institutam Autoris nostri, ut laudemus in-
primis atque commendemus. Indicat statim aptissimum satiris
genium ipsa Dedicatio, quæ ita inscribitur: Illustrissimo, doctis-
simo, & sapientissimo Doctori *Mathanasio*, Rectori magnifico A-
cademiæ Pedanstadiensis, &c. Phœnici & gloriæ dierum no-
strorum, principi Criticorum antiquorum pariter & recentium.
Neque aliter se habet Præfatio, ubi duo præsertim egisse videtur
Autor. Provocat primum ad scriptores quosdam, similem antea
campum ingressos. Pertinent huc *Gueretus*, qui Parisiis A. 1668
imprimendum curavit *Parnassum reformatum*, ac tribus annis
post *Bellum Autorum*; *Callierius*, qui publicavit *Historiam poeti-
cam belli antiquiores inter ac recentiores indisti*; *Bizardierius*,
Abbas, *Characteribus Autorum antiquiorum ac recentiorum cele-
bris*; atque alii plures, quorum se legere vestigia, Noster inge-
nue profitetur. Alterum Præfationis momentum pari ratione
satiricum est, sed nimis forte, præsertim ad Cel. *Rollinum* quod
attinet.

attinet. Facilis sane est lapsus e virtute in vitium, arctis nonnunquam eandem terminis attingens. Si quidem falso, si nimis acriter atque humiliter, si præsertim viros magnos ac inprimis laudabiles, ita vituperamus, libellos magis famosos, quam satiras, scripsisse videbimur. At hoc saltem generatim dictum esto, neque ad facetum & elegantem Autorem nostrum accommodator. Hic utique non sine causa in copiosissimo suo ac lepidissimo tot nominum ac scriptorum indice *Pasquini* titulum omisit. Integra, quæ hunc excipit, tractatio digna lectu est. Neque adeo quidquam singulatim ex eadem excerpemus, sed leges saltem *Apollinis*, quibus præcipua satiræ momenta repetuntur, laudabimus. Sunt autem hæc potissimum: Interdicimus omnibus scriptoribus, cujuscunque sint generis & conditionis, injurias litibus suis literariis immiscere, ac volumus, ut Autor *Epistolarum Judaicarum* minus sit huic legi subiectus, quam ceteri. Injungimus *Dailleo*, *Belio*, *Clerico*, *Barbayraco*, *Beaufobrio*, eorundemque imitatoribus, ut debita coetus sanctissimi patres tractent veneratione. Serio prohibemus, ne Abbas *Lengletus* edat Commentationes obscenas, anecdotæ, irritamentis malorum referta, explicationes *Spinozæ*, sub titulo refutationum, ac præsertim satiras in viros honestos, qualis nominatim *Brossertus* fuit; & id quidem sub pœna calumniatorum. Commendamus laude dignis scriptoribus, ut reprehensiones *Desfontainii*, Abbatis, ut & *Voltairei*, contemnant. Condemnamus *Chorierium*, ut deprecetur nudato capite ac fune collo injecto, donec in ipso siquæ similibus puniendis statuatur exemplum. Vetamus, ullos Monachorum præfectos, Canonicos, Antistites sacros, Præsules primarios, Patres purpuratos, versus amorum pangere; permitteutes nihilo minus illis, qui genio valent poetico, exercitationem omnis argumenti serii atque ludicri, ad exemplum Abbatis *Gresseti*. Fisco addicimus omnes etymologias coactas, Dissertationes pedanticas, & Carmina, quæ, nisi commentario adhibito, non intelligi possunt. Præcipimus, ut legitimi sapientes honorentur, neque a *Voltaireo* ut affectati saltem tractentur. Volumus, ut commentantium numerus ad dimidium minuatur, & omnino concedimus Doctori *Mathanasio*, ut naso adunco sus-

spendat *Burmamos*, atque illius similes. Interdicimus *Voltaire* & *Nericanio*, laudare opera mediocria sub prætextu, quod fœminæ sint eorundem Autores. Hortamur Ephemeridum, ad res literarias spectantium, Autores, ut, quo tempore vitia exaggerant, eodem, quæ in opere aliquo laudem merentur, patefaciant; neque suas opiniones Autoribus, quorum scripta enarrare debent, affingant, ac verba venentur, ut Abbas *Desfontainius*. Commendamus omnibus bonis lectionem *Homeri* ac *Virgilii*. Condemnamus contemptores veterum, ut legant quolibet die comparationes *Perraulti*, aut *Iliada*, per *Mothœum* conversam. Ejicimus ex imperio nostro omnes collectores novorum, quæ publice afferuntur, ac *Mercuriorum*, qui vulgo dicuntur; jubemusque, ut, qui *Memorias*, sive Commentationes de vita & rebus gestis illustrium vitorum, conscribunt, non imprimendam curent historiam *Bonnevallii*, Comitæ, nisi quatuor post ipsius obitum annis. Igni addicimus omnia scripta Romanensia, quibus artes insunt ad corrumpendos ac inficiendos animos comparatæ. Vetamus omnes Abbates, affectatos eruditos, semisapientes, & alios Hæretos tabernarum, conviciis petere viros illustres; volumus, ut peccantes clave Sancti *Huberti* primum notentur, deinde secundum legum rigorem puniantur. Declaramus, nos non Historicorum loco habere, qui fabulis conspurcant narrationes suas. Supprimimus omnia *literaria Itinera*, quibus nihil inest utilitatis, atque in exilium decem annorum ejicimus *Principem Fanfedinum*. Prohibemus omnes Autores ludicos, male placentes, ac præcipimus, ut *Marivauxius* humili deprecatione placeat Autorem variorum casuum, quibus *Telemachus* fuisse subiectus dicitur. Omnes contra istud mandatum peccantes ejiciantur, ac publicis muneribus minus declarentur idonei. Numerus librorum malorum ac minimi pretii cohibeatur. Et quæ mandata sunt reliqua non adeo magni momenti. Libellus & falsum, & acetum, sapit, suos, ut plerumque fit, & laudatores habiturus, & reprehensores.

NOVA LITERARIA.

Ex Typographio *Manniano* sumtuosum Opus, sed novitate sua & utilitate omnibus futurum, ut speramus, gratissimum, proximo anno in lucem editurus est *Petrus Franciscus Fogginius*, in Seminario Florentino Eloquentiæ Professor celeberrimus, limatissimisque scriptis variis fatis ætati nostræ commendatus, qui *Virgilio Maronis* Codicem, qui *Turcii Rufii Aproniani*, Viri Clarissimi, olim fuit, & nunc in Bibliotheca *Laurentiana* asservatur, Codicem unum instar omnium, qui parvam vetustate nullum per Europam universam habeat, ut de eo jure & merito *Nic. Heinsius* pronuntiavit, literarum forma, versuum in unaquaque pagina & numero & ordine, apicibus ipsis, & ipsis etiam erroribus, & lituris, & emendationibus, religiose servatis, rei familiaris, laboris, & diligentia, in publicum commodum non avarus, nitidissimis typis imprimendum curavit, ita, ut, quisquis apud se habeat *Virgilio* ab ipso editi exemplum, Codicem ipsum pretiosissimum *Laurentianum* apud se habere, jactare possit. Volumini, in quo erunt *Bucolica*, *Georgica*, & *Heroica Virgilio*, prout ea exhibet Codex *Laurentianus*, volumen aliud comes ibit, conjecturas de quibusdam male habitis in Codice locis continens, & Dissertationes de antiquitate & orthographia ejusdem Codicis; de usu veterum in libris scribendis; de antiquioribus aliis *Virgilio* Codicibus, & præcipue de omnibus illis, qui in Florentinis Bibliothecis asservantur; quibus omnibus nonnullæ accedent Tabulae, in æs diligenter incisæ, variam antiquarum literarum formam representantes, & illas inter altera paginam integram ipsius *Virgilio Laurentiani*, altera vero literarum nexus, in eodem Codice passim occurrentes, exhibebit. Utrumque Volumen in charta minus nobili Julios, ut ajunt, Romanos 24 valebit, in charta nobiliori 30, in qua tamen 100 tantummodo exempla imprimuntur. Verum, si quis Operis emtorem se fore profiteatur, antequam Opus ipsum conficiatur, pretio Juliorum 18 exemplum chartæ minus nobilis, & 24 exemplum chartæ nobilioris, obtinebit; dummodo tamen dimidiam pretii partem nunc solvat, dimidiam soluturus tum, cum ipsum Opus receperit.

Præterea, cum nihil utilius sit, quam literariam Historiam, cum veterem, tum recentiore, noisse, ut doctrinarum originem & progressum intelligamus; recentiore autem sæpe neglectam videamus; eadem in urbe Florentina docti quidam Viri animum induxerunt, Italorum doctrina & eruditione illustrium, qui hoc verterente Seculo vixere, vel adhuc vivunt, *Memorabilia* quædam literis mandare, & res eorum gestas præcipuas, & quascunque lycubrationes vel ediderunt, vel scriptas reliquerunt, diligenter recensere, ita, ut eruditorum curiositati abunde satisfiat. Ut autem citius atque commodius eorum votis indulgeatur, duo folia singulis mensibus typis excusa vulgabunt, & Latino quidem sermone pure ac nitide exarata, sed planum, simplicem, ac minime laciniolum, stilum affectantes. Hoc ipso igitur anno 1742 mensè Januario editionis exordium fecerunt, & folia bina iis, qui nomen dederunt, & octo Julios Romanos pro unius anni tractu in antecessum solverunt, accurate mittere cœperunt; quod quidem deinde singulo quoque mensè sacre diligenter pergent. Qui hujus pretii solutionem in annum distulerit, non, nisi quindecim Julis erogatis, libellum consequi poterit. Pecunia solvenda ac numeranda est Florentiæ Antonio Sebastiano Brazzini, Bibliopoltæ ad Insigne Centauri, cui & literas mittere licebit, & a quo ipsa *Memorabilia* statim temporibus cui libet tradentur.

Lipsiæ nos ipsi, qui in edendis *Eruditorum Novis Actis* occupamur, cum aliis nonnullis fama æque ac doctrina præclaris Viris, hoc ipso Mensè publicare cœpimus Opus novum, *Miscellanea Lipsiensia instaurata* inscriptum, cujus & institutum, & rationem omnem, scies, cum, prorsus esse compositum ad formam & exemplum *Miscellaneorum Lipsiensium*, olim in hac urbe non sine docti orbis plausu editorum, te docuerimus. Plura autem te proxime docebinus, cum *Partem* hujus Operis *primam*, foliis constantem 12, & forma, quam octavam vocant, editam, justa recensione prosequemur. Nunc id unum addimus, prodituram, si Deus voluerit, trimestri quoque tempore *Partem* ejusdem molis novam, ut sic, absoluto quoque anno, *Partes quatuor*, hoc est, integrum *Volumen*, in manus venire Lectorum possit.

Cum hoc ipso Mensè *Actorum* prodit *Supplementorum Tomi quarti Sectio XII*, continens, præter aliquot librorum recensiones, *Indices* in *Tomum* universum.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji Anno MDCCXLII.

*ANTIQUITATES ITALIÆ MEDII ÆVI, SIVE
Dissertationes de moribus, ritibus, religione, regimine,
magistratibus, legibus, studiis literarum, artibus, lin-
gua, militia, nummis, principibus, libertate, servitute,
fœderibus, aliisque, faciem & mores Italici populi re-
ferentibus, post declinationem Romani Imperii ad annum
usque M D. Omnia illustrantur & confirmantur ingenti
copia Diplomatum & Chartarum veterum, nunc primum
ex Archivis depromptarum, additis etiam numis chro-
nicis, aliisque monumentis, nunquam antea editis,
Autore LUDOV. ANT. MURATORIO.*

Tomus II.

Mediolani, ex typographia Societatis Palatinæ in regia
curia, 1739, fol.

Alph. 7 plag. 14.

Si, quod vetus fert proverbium, magnus liber magnum sem-
per esset malum, tot prosciendus conviciis foret *Mura-*
torius, quot nunc ab universo orbe literato laudibus ac
encomiis celebratur. Sed sumus omnes omnino persuasissimi,
ipsam proverbii hujus inventorem, si doctissima diligen-
tissimi *Muratorii* Volumina oculis lustraret suis, præconce-
ptam, quam sibi formaverat, opinionem, & ni toti fallimur,
hoc dieterium, cum sententia esse e vestigio commutaturum.

Et si enim lubentes ambabusque largiamur manibus, magnos libros, cædiolis iterationibus, & rerum ab Instituto alienarum apparatu, refertos, tineis vermiculisque relinquendos potius, quam in Bibliothecis esse reponendos; ferendum tamen longe aliud de *Muratorii* laboribus suffragium, qui, quamvis magni sint, magnam simul rerum utilissimarum ac venustissimarum copiam exhibent. Id jam per universum *Rerum Italicarum Thesaurum* comprobavit Vir prindustrius, idemque nunc hoc, quod præ manibus habemus, *Antiquitatum Italiae mediæ ævi* corpore, veluti novo specimine, confirmat. Vix primum utilissimi libri commendatum a nobis fuit *Volumen*, ubi de *secundo Volumine* absoluto exultare nos jubet Celeberrimus, quem totum in literis esse, scripta loquuntur, *Muratorius*. Hic *Tomus* Celsissimo Principi Regio, *Fridrico Christiano*, Electoratus Saxonie Heredi, cuius incomparabiles virtutes Mutinæ demiratus est *Muratorius*, religiosissime inscriptus, *quatuordecim Dissertationes* completitur, numero XIX ad XXXII signatas. *Dissertatio XIX* agit de *Tributis, vectigalibus, aliisque oneribus publicis mediæ ævi*. Longum foret, de charta in papyrum transferre, quæ insigni cum apparatu doctrinæ in hanc rem Celeb. Autor protulit, diversa vectigalium ac tributorum genera. Volupe tamen erit, barbaras quasdam audire appellationes. In Charta *Ottonis III* de A. 998 *Alpaticum*, in Diplomate de fidelitate atque servitiis, quæ a Nimphisinis Ecclesie Romanæ sunt exhibenda, 11. de A. 1108, *glandaticum & platicum*, in Charta *Rogeri*, Sicilie Regis, de A. 1137, *fidantia, salutes, angaria, terratica, herbatia, carnatica, kalendatica, relevum*, aliaque ejus generis, occurrunt. 22. De navibus *ripaticum* exsolvere moris erat, quod aliquando *transitura*, sive *tractura*, itemque *palifictura*, & *portonicum*, audiebat. *Navium ligaturam* pendebant nautæ, cum vel transirent, vel ad ripam navis consistendæ gratia adveharent, palosque, quibus navis continebatur, figerent. Portorium materiam illustrat Constitutio *Caroli M.* de A. 787, qua census Comacensibus per varios portus Italiae pendendus imponitur, quamque ex Regesto Episcopi Cremonensis MSto, in quod olim circa A. C. 1230 Diplomata, ad illam diæcesin spectan-

Pag. 10.

11.

9.

22.

24.

Spectantia, referri curavit *Siehardus* Præsul, primum jam edite *Muratorius*. Pro mercimoniis ordinatas legimus *curaturas*, seu *curadics*, quibus illustrandis inservit eximius locus in *Puricellii Monumentis Basilicæ Ambrosianæ pag. 519*, ad hanc quidem, quam dedit Vir Cl., normam emendandus. Maximi inter reditus Principum momenti sunt mulctæ & banni, cum, si herorum atque conjugum cædes excipias, paucissima morte luerentur crimina. In antiquissimis jam legum Salicarum, Langobardicarum, Bajuvariarum, Ripuariarumque, tabulis illius juris vestigia occurrunt. Et novior ætas multo indulgentior vetusta fuit. Testimonium præbet *Gregorii IX*, Pont. Rom. Bulla de A. 1256, quam ex *Regesto Cœcii Camerarii MSto* descripsit *Muratorius*. Nil sane in monumentis mediæ ætatis frequentius, quam ut bonorum, qui contra Principem suum cornua erexerant, banno regio submittantur. Decretum Cæsarei Legati de A. 1188, in controversia *FridERICI I* Imp. cum Cremonensibus datum, quo dubia quæstio, num *Fulkerii* insula sit imperatoris regalibus annumeranda, examinatur, tria memorat, eaque perobscura, tributorum genera, videlicet *tenfas*, *cacias*, *malgas*. De *malgis* ingenue fatetur *Muratorius*, ne per nebulam quidem conjicere sibi licuisse, quale genus vœtigalis sit. *Tenfas*, quæ vox etiam in privilegio *FridERICI I*, Monasterio S. Mariæ de Vangaditia in securitatem immunitatum suarum A. 1177 dato, legitur, pro eodem genere tributorum vult accipi, quod hodieque alicubi *tasse*, & a Scriptoribus ævi inferioris *taxa*, appellatur. *Hickesius* nomen e lingua Franco-Theodiscæ derivavit; at rectius fortitan a Latino *taxare* *Muratorius* repetiit, quoniam taxæ hæc prævia personarum ac collegiorum ælimatione sisco persolvebantur. Francos enim pro *taxare* vocem *tanfare* substituisse, dubitare nos non sinit mos hodiernum inter Venetos receptus, *le tanse de' Notai*, *le tanse de' Giudei*. Legitur & aliquando *consamentum* pro genere tributum, quod dominis in remunerationem protectionis penditur. *Dissertatio XX Actus mulierum* persequitur. Ex hæc unicam delibabimus observationem, nihil fuisse de dote in Langobardorum legibus definitum, parentes autem filiabus, & sororibus fratres, *phaderphium* pro arbitrio suo

Pag. 28.

34.

81 seq.

83.

112.

- suo dedisse dono, idque simul cessisse in portionem hæreditatis,
 P. g. 113 ipfismet debita. Vid. Leges 181 & 199 *Rotharis*, Regis. Quæ de
 seq. *methio & morgengaba* copiose disputantur, lectionem, sed si-
 mul etiam examen, merentur. *Dissertatio XXI de Italiae situ,*
habitatorum affluentia, agrorum cultu, mutatione civitatum, felici-
tate ac infelicitate per Secula barbarici obnoxia, erudite exponit.
 233. *Dissertatio XXII nobile argumentum de Legibus Italianorum, & Sta-*
tutorum origine, tractat. Cum Gothi sub Rege *Theodorico* Ita-
 liam invaderent, Romanas leges plane non immutarunt, suas-
 que potius illis attemperaverunt actiones. Langobardi quidem
 sequenti tempore Langobardicis, Francique Salicis, legibus vi-
 xerunt; ut integram tamen reliquere præcis incolis ad normam
 legum Romanarum de causis in litem deductis judicandi pote-
 stitem. Postquam aliæ quoque gentes, *Caroli M.* imperio
 subiectæ, trans Alpes commigrassent, suas singula leges tecum at-
 tulerunt, *Bajuvarii, Alamanni, Ripuarii*, ita, ut uno atque eodem
 tempore diversæ sex juris species per Italiam numerarentur.
 237. Unusquisque igitur secundum legis suæ præscriptum agebat
 omnia, hæreditates successionesque alibat, perficiebat contra-
 ctus, se suasque res defendebat, sacramenta præstabat, & sic
 in ceteris. Multæ vero secundum legem illius, cui illata fuerat
 injuria, persolvebantur, ex decreto *Pipini*, Italiae Regis, in lege
 239. 9 & 46. Interim manet incertum, num, regnantibus per Italiam
 Langobardi, quispiam fecerit legis suæ in contractibus mentio-
 nem; certe *Cel. Muratorii*, Chartas illorum temporum exami-
 nantis, studium optato caruit successu. Reperit quidem in Diplo-
 mate, quo *Manigundis*, veste monialium induta, *Cairatense* Mo-
 nasterium fundat, patrimonioque in Comitatu *Sepriensi* instruit,
visam se esse viventem lege Langobardorum, apud *Mabillonium*
 in *App. ad I. II. Annal. Bened. n. 24*. Sed eam Chartam Vir
 Celeberrimus fidei sublesta postulat non ex ipsis solum, quæ
 modo attulimus, quæque a stilo illius temporis penitus abhor-
 rent, verbis, verum ex ipsa etiam subscriptione: *Regnante*
domno nostro Liutprando & Hildeprando, nostris excellentissimis
Regibus; anno eorum XXIII, mense Julii, Indictione quinta. Tot
 manifesti per unam se lineam nobis offerunt errores. Nec
 enim

enim anni *Liutprandi* & *Hildeprandi* Regum coincidunt, nec Indictio quinta ad annum 23 *Liutprandi* Regis potest referri. Præterea *Manigundis* Monasterio donat, quæcunque intra regnum Italicam possedit; inauditum est autem hoc ævo Italici regni nomen, nec nisi sequentibus Seculis cepit usurpari. Testes Diplomatum plerumque, si possent haberi, ex ea natione, quæ Autori Diplomatis vitam dederat, adhibebantur. Sic *Hubertus*, Marchio Tusciæ, *Hugonis*, Italiæ Regis, filius, e Francica prosapia descendens, propterea, quod Salicam legem profiteretur, Salicos testes in suis contractibus adhibuit, Diplomate de A. 952, quo ædes aliquot & agros *Teudimundo*, filio *Fraotmi*, vendidit, claro eam in rem documento. Libertis necessarium erat, herorum suorum observare leges, sicut uxoribus maritorum. Vid. Lex 229 *Rotharis*, Regis. Sic *Beatrix*, *Bonifacii*, Ducis, Tusciæ Marchionis, conjux, & mater celebratissima Comitissæ *Matildis*, etiam esset *Friderici*, Lotharingi Ducis, filia, adeoque ex stirpe Francorum oriunda, postquam *Bonifacio*, Langobardice nationis Principi, nupsisset, legi, quam profitebatur maritus, e vestigio adhasit, eui ex Diplomate de A. 1041 in Archivo Benedictinorum Regiensium, S. *Prosperi* olim, nunc S. *Petri*, apparet. Attamen istæ leges nonnunquam vel habitæ insuper fuerunt, vel consuetudine contraria abolitæ. Enimvero deprehendimus mulieres, quæ maritorum suorum legibus haud vixerunt. Testimonium bina exhibent Diplomata, unum de A. 1010, alterum de A. 1066. Has legum quasi factiones atque dissidia Seculum a C. N. XII composuit, Italia ferme tota ad observationem Romani Jaris conversa, salvis quanquam peculiaribus ejusque civitatis Statutis, quibus summam ea ætas tribuit auctoritatem, & pax Constantiensis, inter *Fridericum I* Imp. & Lombardorum societatis vires A. 1183 inita, palmarium robur vindicavit. *Dissertatio XXII de Moribus Italicorum post arreptam a barbaris Italiæ dominationem* dispicit, & de tontura imprimis gentium Italicarum in medio ævo, itemque de funeribus Romano ritu elatis, copiosè exponit. *Dissertatio XXIV de Avibus Italicorum post inclinationem Imperii Romani* inscribitur. Nunquam tanta fuit Italicorum barbaries, ut omnes omnino artes extularent.

Pag. 256
seq.

266.

274.

281.

300,
352 seq.

349.

- Pag. 354 Architectonica ars suam quasi hoc ævo peculiare systema habuit. Curiosa imprimis est cæmentariorum, seu fabrorum, quos murarios vocant, nuncupatio, qua *Comacini magistri* appellantur, voce non a Germanorum *Gemach*, ceu *Grotius* existimat, nec a *Comacina*, Romandiolæ insula, sed ab urbe & Comitatu *Novo-Comensi*, ducta. Namque simili modo lacum intulamque *Cæmacinam* pro *Comensi* positam deprehendimus. Quid? quod ea regio præscam hodieque retinet artificum abundantiam ac fertilitatem. Ad agriculturam ætatis mediæ dignoscendam haud parum conferunt Chartæ veterum, in quibus agri locationis emphyteusosve titulo traduntur colendi. Exstat Ferrariensis Charta de A. 1083, qua *Bonafilia*, Abbatissa *Asceterii S. Sylvestri* urbs, quæ *Bucarofala* vocatur, in emphyteusum concedit terras, hæc, quæ adscribere juvat, verba continens: *De grano & sica in campo capa quarta trabenda ad area & tritolatum, saba in area modio quarto; ordeata in area modio quinto; omnem alio majori mensè a minuto atque legumina in area modio sexto; lino manna sexta, vino amphora quarta, duabus vicibus arbo-*
- 356 seq. *re pecto ponendo & deslorcendo &c.* Musicæ artis peritia istis, quæ barbara vocamus, temporibus plane interiiit, nec ante Seculo XV denuo coli cepit. Picturæ contra ea contigit felicitas, ut nunquam intereideret penitus. A. C. 592 *Theodolinda*, Langobardorum Regina, *Modoetia* palatium condidit, & in eo nonnihil de Langobardorum rebus gestis depingi fecit. *Carolus M.* templo palatioque *Ingelheimensi* insignes, ut scribit *Nigellus*, picturas inseruit. *Joannes VII*, Pont. Rom. A. C. 706 ecclesias varias picturis haud inconcinnis exornavit. Immo graphices etiam, sculpturæ, & anaglyptices, quædam in ævo mediæ vestigia, plenior autem cultus una cum ipsis literis Seculo post C. N. XIV rediit. Sed commendanda præ ceteris sunt musivi operis monumenta, quorum quasi proprietatem Italica sibi gens asseruit. Profert eam in rem *Muratorius* Opusculum pervetustum, cui similia bene pauca membranz servant, e Codice Bibliothecæ Capituli Canonice Lucensium, quem ad *Caroli M.* imperium *Jv. Mabillonius* refert, & noster Autor ante annos plusquam nongentos scriptum quovis pignore certat. Titulus opellæ datus est: *Com-*
positiones

positiones varie ad tingenda musiva, & ad conscribendum chryso-
graphiam etiamque fragmenta artium atque secretorum Seculi VIII,
tanta tamen vocum obscurissimarum & pæne inextricabilium
abundantia scætet, ut Oedipo interprete opus habeat. *Differ-*
tatio XXV Textura ac vestibus rudium Seculorum lucem accen-
dit. *Dissertatio autem XXVI militum* ejus ætatis in Italia re-
præsentat. Eadem tum, quæ antiquitus, armorum obtinere
genera. *Bruneas Caroli M. Capitularia* tangunt. *Mangana tor-*
mentorum nomen, quod in *Autore vite Ludovici II ad A. 808* Pag. 441.
apud *Du Chesne*, & in *Miscelle Historie compilatore mangonum* lo-
co reponendum acutissimus censet *Muratorius*. Eadem, quæ 442.
Romanis, rerum dominis, exercituum divisiones. Legio *ban-*
diera nuncupabatur a *bando*, sive vexillo, unde & Itala vox *ban-*
diera natales ducit. Ipse *Procopius*, scriptor gravissimus, *Lan-*
dal. II, 2, τὸ σημεῖον ὃ δὴ βαίνδον καλεῖται ἐν Ρωμαίωνι memorat.
Apud Langobardos servis militare licitum non erat, quod an 444 seq.
inter Francos similiter fuerit receptum, dubio non caret, quam-
vis *R. P. Daniel* in *Militie Gallicæ Historia* servos exercitui a
Francicæ stirpis gentibus adscriptos disertis affirmet verbis. Cle-
ricis semper competiit plena ab armis gerendis immunitas, quam
Seculo X infringi cœptam, non *Ratherius* solum, Veronensis Epi- 446 seq.
scopus, apud *D' Acherium* disertis perhibet verbis, sed historia 450 seq.
etiam confirmat, quæ non paucos sistit Episcopos, post annum
Christi millesimum militantes. Annonam & comneatum in me- 452.
dia ætate ipsimet milites sibi procurabant, etiam in regno Fran-
corum sub imperio *Caroli M.* Primum sub *Ludovico Pio* a pro-
vincialibus exigi cœpit. Urbium munimenta e muris præaltis
& turribus passim insertis consistebant, & fossa nonnunquam cin-
gebantur. Portas præstructis muris sinuosis, quos *barbacanes* 457.
dicebant, & *Villanus* non raro tangit, celare moris erat. Inter 459.
munimenta *carbonaria* occurrunt; quod nomen, si non fossis,
aquis immixtis abundantes, loca sane profunda & fovearum ri-
eu præparata, denotavit. Sed majus artificium frequentes ho- 465.
stium invasiones & securitas publica postularunt; unde & ali- 466 seq.
quando privatis castellorum muniendorum concessa potestas,
quam *Risinda*, Abbatissa, A. 912, *Derengarius I, Waremundo* cui-
dam

- dam A. 948 *Lotharius II, Adelbero de Ruzzolo Carolus Crassus*, si genuinum est, quod circumfertur, Diploma, indulserunt. *Dissertatio XXVII est de Moneta, sive jure cudendi numos*. Roma semper, translata etiam in Orientem imperii sede, monetæ
- Pag. 547. prærogativam saltem ad *Heraclii* usque Imp. obitum retinuit. A. C. 452 *Porphorus* in Romana Inscriptione spectatur, titulo *primicerii monetariorum* insignis. In Museo *Dominici de Conradis* servatur numus, sub *Justino* minori Cæs. percussus, in cujus antica diadematum *Augusti* caput gemmis margaritisque conspicuum splendet, cum inscriptione: D. N. IUSTIN. P. P. AUG. in postica vero monogramma **R²D** literas R. A. O. S. D. præferens, quas *Muratorius* interpretatur: *Rome obsignatus denarius*. Non æque facile est definire, num ab A. C. 640, id est, a morte *Heraclii* Imp. ad *Carolum M.* usque, Romæ urbi inconcussum manserit jus monetandi. Ex quo Pontifices Romani temporariam nacti potestatem, numos, sua & Augustorum imagine signatos, percuti curarunt, ad quos quidem colligendos *Fr. le Blanc, Philippus Bonanni, Xaverius Scilla, & Benedictus Abbas*
- 548 seq. *Fioravantes* animum appulerunt, *Muratorius* autem criticum instituit examen. Miramur primam *Celeberrimi Viri* observationem, in qua, dubitari nonnunquam posse, quænam antica denarii, quæ postica, pars sit, arbitratur. Nos, pace oculatissimi Critici, hanc quæstionem sumimus nobis decidendam, nec tantam inesse ipsi difficultatem putamus. Sane in omnibus numis ea antica pars debet censei, qua nomen vel imago Principis representatur; adeoque dubium non est, esse semper SCS. PETRUS in postica scriptum. Per tria post obitum *Paschalis II* Secula id est, XII, XIII, XIV, nullos deprehendimus Romanorum Pontificum denarios, idque moribus intestinis, seditiosisque plebis Romanæ consiliis, adscribit *Muratorius*, contra vero, in Chartis illorum temporum Romanis multam occurrere *librarum auri denariorumque Papiensium ac Lucensium* mentionem, notat, & *Bullis Eugenii III* de A. 1146 & 1147, *Hadriani*que IV de A. 1157 & 1158, probat. Interea tamen temporis populus Romanus jus auri argenti que signandi habuit; quam in rem clara sunt

sunt verba transactionis *Clementis III & S. P. Q. R. de A. 1188*:
Ad presens reddimus vobis senatum & urbem & monetam, ta-
men de moneta habebimus tertiam partem. Attentionem præ- Pag. 565
 cipuam septem illi merentur numi, Senatus populique Romani seq.
 nomine percussi, quorum antica figuram coronatam cum titulo
Roma Caput Mundi repræsentat. Qui primo stat loco, singu-
 laris prorsus est formæ, peculiarique commentario dignus. *Dena-* 567 seq.
rii Papatini, quorum in promissione & obligatione Syndici castri
 Centum Cellarum super censu annuo L librarum Papatinorum,
 Ecclesiæ Rom. solvendarum, de A. 1291, sit mentio, crucem figunt
 felicissimo cetera haruspici, *Muratorio*. Aut, inquit, *dicti sunt*
ab insigni gentilitio Senatoris, anserculum exhibente, quem patero
Italicum idioma nuncupat; aut ab ipsius Senatoris nomine, sive
agnomine. *Paparo* enim quidam in musivo Romano sequioris
 ævi occurrit apud *Ciampinum T. I pag. 82*. Ravenna, in qua so- 577.
 lium statuit *Honorius*, æque ac Roma monetandi habuit potesta-
 tem, id quod vel *Honorii* numi, literis RV. S. P. id est, *Ravenna*
signata pecunia, notati, confirmant. Nullos plane *Odoacris* nu-
 mos *Muratorius* vidit, *Theoderici* paucos, & in his pereximium
 antiquitatis frustulum, quod ex urbe Mutinensi in Museum
 suum transtulit *Apostolus Zenus*, numum videlicet quadrangu-
 larem sat crassum, majoris moduli, in cujus una facie literæ D. N.
 THEODERIC, in altera unica, enque valde exelâ, occurrit litera
 T. sero laureo querceove cinctâ. Binas in hoc res plane peculia-
 res peritissimus Censor observavit: primo, quod in limbo exte-
 riori, quem *contomo* vocant-Itali, CATVLINVS V. C. ET. I. . . .
 L. . . . P. F. V. legatur; secundo, quod cum *Theoderici*, tum
Catulini, nomina literis expressâ sint, in ære cavatis, argentoque
 oppleris. Et exstat in alio quoque denario, circa A. C. 494 per-
 cussio, *Catulinus V. C.* idemque in literis exelâ *inlustri & præf.*
urbis, cui quidem magistratui peculiare erat & proprium *illu-*
stris cognomen, similiter vocatur; nisi quis forte malit eum
 intelligere *Catulinum*, quem *Sidonius Apollinaris Lib. I Ep. 11* me-
 morat. Numi Gothorum Ravennatenses in una parte effigiem 578 seq.
 Imperatoris Romani, in altera Regis sui vultum, exhibent. Pari
 doctrinæ apparatus *Muratorius* a numis *Ravenna* pergît ad dena-
 rios

- rios *Ticini*, seu *Papienses*, quos antiquissimos in Italia *Aulicus*
 Pag. 603 *Ticinensis* perhibet, itemque ad monetam *Mediolanensem*, cujus
 seq. insignem accessionem communicarunt Socii Palatini, ad numos
 620 seq. *Lucenses*, *Beneventanos*, ac *Salernitanos*, nec non ad *Neapolitanos*, qui
 maximam partem *Iustini Martyris*, regni istius patroni, vultum
 643 seq. exhibent, & aliquando *AN 650. IANSAPIE* nomen jungunt. Tandem
 in numis *Ducum Venetorum* definit. Venetos inde a tempore
 antiquissimo adeptos monetandi prerogativam, ex *Andr. Dandolo* patet, qui jam A. 926 sub *Rodulpho*, Italiae Rege, eam
 perhibet confirmatam, postquam constitisset, antiquos *Duces*
hoc continuatis temporibus habuisse. Et habemus antiquum
 Scriptorem anonymum sponsores, quod *Berengarius I reddi-*
derit monetam, prout Duces Venetiarum eam sub Graecorum ha-
buerant imperio. Ultima etiam vetustas e tabulis *Riculfi*, Abba-
 tis S. Vitalis Ravennatis, de A. 1054 elucet, in quibus pensio de-
 nariorum Venetorum duorum celebratur. *Ratherius*, Veronen-
 sis Episcopus, *Berengerii II* aequalis, sex libras denariorum Vene-
 647. torum memorat. Sunt, qui sub Regibus Gothorum vilis me-
 talli pecuniam signatam a Venetis statuunt, & in loco *Cassiodo-*
ri Lib. XII Ep. 24 praesidium erroris quaerunt. His diem dicit
Muratorius, & lucidissimis rationibus probat, salinas a *Cassio-*
doro pro florenti, quo utitur, genere dicendi *monetam victua-*
 653 seq. *lem* appellari. Seculo XI prolati sunt mirum in modum juris mo-
 netandi fines, variisque Episcopis, Principibus, atque urbibus,
 secundum seriem alphabeticam a *Muratorio* recensitis, ea immu-
 nitas concessa. *Dissertationis XXVIII* argumentum est *de di-*
versis pecunia generibus, quae apud veteres in usu fuerunt. Scri-
 769. bit *Muratorius*, se levi brachio hoc caput tractasse; ast sem-
 per tamen sui est similis, & aliud etiam quasi agendo doctas pa-
 riter ac selectas in medium profert observationes. *Solidorum* in-
 primis frequens in tabulis vetustis mentio. Antiquis Romanae reip.
 temporibus hac appellatione aurei indicabantur nummi, quo-
 rum viginti libram conficiebant, perhibente id veteri de *Mensuris*
 Scriptore apud *Goesium*. An vero in legibus etiam Langobar-
 dicis aurei intelligantur, quando certus numerus solidorum pec-
 nae loco irrogandus fuisse sancitur, dubio non caret. Equidem,
 solidos

solidos quosdam tum temporis ex auro solido conflatos, non ex Diplomate solum de A. 736, quo *Walperto*, urbis Lucensis Duci, a *Lupo* domus terræque dividentur, sole meridiano clarius apparet, sed antiquissimo etiam monumento, papyro Ægyptiacæ inscripto, quod miro exemplo industriam eruditissimi Marchionis *Scip. Massæi* effugit, corroboratur. Memorantur enim in illo *aurei solidi, dominici, probati, obrizati, optimi, pensantes, integri ponderis, singulares numero, super venditione sexanciarum fundi Geniciani*. Sed fuere solidi eodem Seculo ex aliis etiam metalli generibus fabricati. Quid enim expressum aureorum *ἐπίθετον* sibi vellet, ni alii diversæ materiæ existissent? Et occurrunt re vera *solidi argentei* in Charta de A. 847, Pag. 772 qua *Ubertus*, Diaconus, ab *Ambrosio*, Ecclesiæ Lucensis Præfule, ecclesiam accipit in beneficium, censumque pro ea pollicetur. 773. Pretium solidi internum, cum pro varietate metalli ac temporis variaverit, accurate nequit determinari. Alia monetæ, in ævo 783. medio florentis, genera asserre longum foret, possuntque hæc ex ipso fonte dulcius longe repeti, cujus quasi caput in *Jacobi Grimaldi* inedito *de Sudario Veronice* libello latet. Huc *folles* 801 seq. pertinent, quos per *ph* scribunt nonnulli, Græcæ originis nummi, quos cum obolis eisdem *Suidas* perhibet. Conf. *Salmasius ad Tertullianum de Pallio pag. 112*. Plerique eorum ærei fuerunt, pauci argentei, aurei nulli, quod nihilo secius *Gutherius de Offic. domus aug. Lib. III Cap. 17* strenue defendit. Testimonia scriptorum de follibus bene multa *Dionys. Petavius* in *Diatriba ad S. Epiphani Opusculum de Mensuris atque ponderibus* collegit. Nomine *Esmeratorum*, quorum sit in Charta *Leonis*, Abbatis Sublacensis, de A. 936, mentio, solidos ex argento mero, seu probe purgato, cusos, vel inde *Muratorius* conjicit intelligi, quod *τὸ exmerare* eo significato positum in Capitularibus *Caroli Calvi* apud *Baluzium T. II pag. 178* reperitur. *Dissertatio XXIX Spectacula & ludos mediæ ævi publicos* in scenam producit. *Dissertatio vero XXX de Mercatibus & mercatura* locupletem exhibet explanationem. *Mercatus* vox proprie hebdomadalem negotiantium congregationem denotat. Sed nec 875. exceptione hæc caret regula, nec omnium notio hæc fuit *Seculorum*.

- culorum. In Diplomatis *Conradi I* de A. 1037, & *Frideri-
ci II* de A. 1219, ambiguum est, quo verba sensu præcise sint
accipienda. Immo in Chartis ante Seculum XI scriptis pro nundi-
nis solennibus positum frequentissime occurrit mercatus voca-
bulum. Sic *Angilberga*, Abbatissa Placentini Monasterii, ab *Ar-
nulpbo* Imp. A. 896 petiit, ut sibi mercatum in festivitate *S.
Martinae ad xenodochium Monasterii ipsius congregare liceat*, in-
dulgetque *Cæsar*, ut a *XII Cal. Jun. usque in nonas Julii lice-
ret parti Monasterii mercatum ibi celebrare*. Mercatus ergo fe-
riatis instituebantur ut plurimum diebus, non dominicis, quip-
pe quos ab his quoque negotiis immunes esse debere, *Carolus M.*
in lege 140 Langobardorum, & *Ludovicus II* in additione secun-
da ad Langobardicas leges, statuunt. Nundinarum, festis Sancto-
rum diebus celebratarum, exempla *S. Basilii* in libro Regularum
suggerit. De *Lucania*, natalem *S. Cypriani* hoc modo agente,
Cassiodorum, de *Edeffa*, *S. Tbome* memoriam similiter honoran-
te, *Gregorium Turonensem*, habemus sponsores. Jus con-
cedendi mercatum, sive hebdomadarius sit ille, sive annuus, Ita-
liæ Regibus fuit reservatum; & ita a *Ludovico II* in Charta de
A. 852, qua Ecclesiæ *S. Laurentii* de plebe *Juvenaltæ* in Comi-
tatu *Cremonensi* præcæ immunitates confirmantur, itemque a
Guidone Aug. in præcepto de A. 892, quo & antiqua Monaste-
rii *Salvatoris de monte Aniate ac Petri Abbatis* privilegia corro-
borat, & nova adjungit, exercetur. Neque putandus est *Odel-
ricus*, Patavinus Episcopus, nundinas condidisse, quando in Char-
ta de A. 1076 mercatum unum cum omnibus juribus & condi-
tionibus *S. Justinae* obtulit, cum potius suum, quod ipse acceperat
a Regibus, privilegium in Divam transtulerit. Nulla per Italiam
mercaturæ sub Langobardorum imperio vestigia; sub Francis
autem cum terrestribus in Capitularibus *Caroli M.*, tum navalis in
Annalibus Bertinianis ad A. 820. Laus introducti in Italiam com-
mercii Venetis forsitan debetur, quos in *Ægypto* & *Syria* mer-
caturæ operam dedisse, ipsa cadaveris *S. Marci* translatio satis
edocet. Servorum præsertim corpora Seculo VIII a Venetis mer-
catoribus divendita, *Anastafius* in *Zachariae P. R. Vita* perhibet,
& *Dandulus* in *Chronico suo ad A. 877 pag. 186* confirmat. Ex
quid

quid de aromatum monopolio, quod sibi Veneti compararunt, dicendum erit? Sane enim, Romanis adhuc imperantibus, cum per Erythræum mare aut Persiæ regnum ex India orientali multa in Ægyptum deportarentur, Veneti, statis anni temporibus Alexandriam navigantes, illinc aromata arcessabant, & in cunctas fere Occidentis provincias distribuebant. Neque potuere per illos similem longi itineris fructum Pisani, Amalphantani, & Genuenses, adipisci, licet Pisani eximiis ab *Amalrico*, Hierosolymarum Rege, A. 1160, a *Boamundo III*, Antiocheno Principe, A. 1170, a *Raimundo*, Comite Tripolitano, A. 1187, & a *Rapino*, Principe Antiocheno, *Heluisaque*, conjuge ejus, A. 1216, privilegiis instructi venirent. Attamen Amalphantanorum commercia Seculo post C. N. IX inclaruerunt, Seculis autem X atque XI fuerunt insigniter amplificata. Neque enim tantum *Luitprandum Ticinensem* habemus in *Opusculo Legationis ad Nicephorum Phocam* idoneum rerum suo tempore actarum testem, sed clara etiam sunt *Guilielmi Apuli*, qui carmen suum Seculo XI compilavit, *Norman. Lib. III* de Amalphantanis verba:

*Hæc gens est totum prope celebrata per orbem,
Et mercanda ferens, & amans mercata referre.*

Præterea brevi post A. C. 1000 Pisis ac Genuæ nobilissima condita sunt emporia, in quibus præter studium mercaturæ classes contra Saracenos instrui, & piraticæ opera navari, cœpit. Sed plurimum inprimis ad florem commerciorum Seculo XII accessit, cum multæ se urbes Italiæ in libertatem vindicarent, & in artem serici texendi, lanæque ducendæ, sedulo incumbere. Tum *Consulum* etiam, mercatoribus præfectorum, magistratus viderur inventus, quem ante concordia pacta, inter Consules majores & Consules mercatorum Mutinæ A. 1182, 8 Cal. Mart. inita, reperire nusquam felicissimus antiquorum Diplomatum scrutator potuit. Stabilitis hac ratione per Italiam commerciis, cœpit mercatorum securitati per pacta inter urbes negotiationi addictas prospici. Talia, a Ferrariensibus & Bononiensibus A. 1193, itemque a Mutinensibus atque Lucensibus A. 1281, inita, primus edidit *Muratorius*. Sed habuit tamen hoc etiam vitæ genus incommoda non pauca. Præterimus silentio, quæ communia omnibus mercaturæ addictis Venusinus vates indicavit, allegasse contenti,

quid *Cintracus*, id est, præco Genuensis, poposcerit navigantes, id quod ex Diplonate, A. 1190 de munere, beneficiis, & honoribus, præconis civitatis Genuensis dato, apparet. *Dissertatio XXXI est de Placitis & mallis; & Dissertatio XXXII de Originibus Italica lingua*, quæ summo jure Etymologicon idiomatis illius inscribi possit.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΠΕΡΙΗΘΗΣ; *DIONYSIUS ALEXANDRINUS de Situ orbis, interprete ANDREA PAPIO, Gandensi; ut & ARISTOPHANIS Plutus, cura SIGEBERTI HAVERCAMPI.*

Lugduni Batavorum, apud Gerard. Potuliet, 1736, 8.

Plag. 12 $\frac{1}{2}$.

COLLECTIO SCHOLASTICA, EX OPTIMIS ET probatissimis Scriptoribus Græcis selecta; cui accedunt *PETR. FRANCII Regulae generales exterioris Eloquentiae, cum Praefatione JO. BALCK, Juri, & Gymnasiarchæ Leovardienfis.*

Leovardiae, apud Tobiam van Dessel, 1736, 8.

Plag. 20.

Quod eodem consilio uterque libellus est a suo quisque Autore editus, non ab re visum est, de utroque, cum dicendum esset, simul, & brevissime quidem, dicere. Utriusque Opusculi Autoribus quoniam hoc datum est muneris, ut Autores Græcos interpretentur, deesse autem existimarunt libros, quibus uti commode possent, mederi Græcorum librorum inopia editis his libellis volvere. Et alter quidem ita edi *ἑσπερον* Græcas voluit, ut nulla interpretatio Latina adjiceretur; alter vero, ut eo facilius interpretari Græca tirones possent, Latinam interpretationem adhibendam putavit. Hæc sunt, quæ de utroque Opusculo habebamus, & hac vice volebamus dicere. In posterum vero non erimus Lectoribus nostris eorum librorum commemoratione molesti, in quibus nihil aliud, quam quod in his,

his, praestitum est. Neque enim interest eruditorum hominum, talia scire, neque tam alicujus eruditionis est, quam necessitatis, Græcos libellos edere, nulla neque locorum corruptorum emendatione, neque obscurorum explicatione, adjecta, quod quisque de taberna librarius facere potest. Unus est, qui *Havercampianum* Opusculum commendare etiam doctis potest, adjectus variantium lectionum libellus, e *Roberti Stephani* editione, Scholiis *Eustachii*, & *Prisciano*, *Dionysii* interprete, congestus, olim apud *Plantinum* editus, neque ubique in terris nostris obviis. Cl. *Balkius* autem in Praefatione commemoravit tres trium locorum *Lucianorum* emendationes, quas *Lamberto Bossio*, præceptori suo, acceptas refert. Prima est loci in Dialogo *Menippi & Cerberi*, ubi pro ἔλεγχος ἀκριβῆς *Bossius* legi volebat ἔλεγχος ἀκριβής, *vera ejulatio*. Et habet quidem ἔλεγχος magis perspicuam oppositionem ad illa verba: ἕως τῶ σομῆς τελευτηροὶ καὶ ἀνδρῶσι; sed, ut taceamus, ἀκριβῆς non satis esse conveniens adjectivum substantivῶ ἔλεγχος, non videmus, quomodo herere quis magnopere in recepta lectione possit. ἕως τῶ σομῆς, inquit *Cerberus*, omnes videntur fortes esse & magno animo, τὰ δ' εἶδεθεν ἔλεγχος ἀκριβῆς; cum autem in ipsam *Tartarum* venerunt, tum demum plane, quo animo sint, intelligitur; illa demum accurata est spectatio. Alter locus, cujus emendatio proponitur, est in Dialogi *Ajacis & Agamemnonis* initio, ubi, pro ἐμέλητε, ait, *Bossius* legendum visum ἐμέλλησε, quæ sit *MSti Græviani* lectio, quanquam *Grævio* magis placuerit ἐμέλισε. Primum vero, nescire nos, fatemur, quomodo hic tertia persona ter sit substituta secunda; nam scribendum erat ἐμέλησας, ἐμέλλησας, ἐμέλισας. Deinde non erat, quare Vir Cl. *Grævio* fidem haberet, qui in omnibus editionibus esse dicebat ἐμέλησας. Nam illud ipsum ἐμέλισας *Grævii* est iisdem literis in editione *Basilicensi* per *Jac. Paccum* A. 1555, 8. Tertius locus est in Dialogo *Menippi & Chironis*, ubi pro μεταχῆν, sensu postulante, legi volebat *Bossius* μεταλλάττειν vel μεταβάλλειν.

PETRI HORREI, G. F. OBSERVATIONES CRITICÆ in Scriptores quosdam Græcos Historicos.

Leovar.

Leovardiæ, apud Tobiam van Dessel, & Harlingæ, apud Folkert van der Plaats, 1736, 8.

Alph. 1 plag. 16.

Reuerendus harum Observationum Autor, cum ab initio studiorum statuisset Theologiam cum humanioribus literis coniungere, non destitit postea optimos Auctores Græcos diligenter tractare, quod non dubitabat, ex eorum lectione plurimum lucis accedere sacræ disciplinæ posse. Hic vero accidit, ut, cum diuturna lectione iusta eorum familiaritas esset contracta, multa in iisdem observarentur, quæ aut emendatione, aut explanatione, aut denique etiam defensione, opus habere viderentur. Ea res fecit, ut, quicquid in hoc genere observatum esset, id publici juris facere constitueret Autor Reuerendus, si forte & ipse aliquid navare reipublicæ literatæ posset. Primus hic est, de quo nunc dicemus, harum Observationum fasciculus, quem, si visum Deo fuerit, plures sequentur. Is in quatuor Historicos Græcos, *Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, & Arrianum*, observatorum partem exhibet. Et in *Herodoto* quidem defensoris plerumque partes egit, inductus exemplo Viri doctissimi, qui in *Observationibus miscellaneis* Belgarum aliquot *Herodoti* locis, a *Jac. Gronovio* e Codice Mediceo mutatis, integritatem asseruit. Itaque ipsa *quinque & quadraginta Capita* in vindicanda antiqua lectione *quingenta Capitum* priorum *Libri primi*, & initii *Libri secundi*, conlumuntur. In reliquis etiam Autoribus fere initia eorum complexus est. Sed, ut Lectores nostri eo facilius de hoc libro statuere possint, age, specimina quædam observationum subijciemus.

Lib. I Cap. 9 apud *Herodotum* *Candaules Gygi* dicit: Ἰππεὶν δὲ ἀπὸ τοῦ Θρόνου εἰσῆλθον ἐπὶ τὴν εὐνήν, &c. *Gronovius* e Codice Mediceo reponi volebat εἰσῆλθον, ut sit a εἰσῆλθω. Jam, etsi ipsam lectionem non repudiat *Rev. Horreus*, tamen, quomodo εἰσῆλθον sit a εἰσῆλθω, non videt, quod potius aoristus 2 est a εἰσῆλθω. Accuratius autem inspicienti locum facile putat appariturum, receptam lectionem esse servandam. Nam, etsi statim sequatur γένη, idque τῶ εἰσῆλθον vel εἰσῆλθον jungatur copula τε, tamen, quod ad diversas personas,

fonas, alterum ad Reginam, alterum ad *Gygem*, referatur, diversa tempora esse posse, & hic requiri. Sed postea tamen addit: *Quid vero, si & Codici Mediceo manus dare constituerim, illudque ipsius σίχη pro presenti habuerim. Legeris mecum in H. Stephani Thesaurō V. σείχω, in veteri Lexico etiam σίχω reperiri, absque ullo tamen exemplo, ullave autoritate. Sed observari apud Heraclidem Ponticum in Alleg. Hom. pag. 413 ed. Calci, illud Alexi ex emendatione Doussé:*

Τὸ δ' εὔτε κῦμα τῷ πρώτῳ ἀνέμῳ σίχη.

Conjicit ergo, olim & σίχω in usū fuisse, & hac voce locupletandum esse *Stephanum*, ut adeo & hic lectio Codicis Medicei σίχη constare possit. Sed potius sic σείχη scriptum credit, quod deinde generavit in σίχη incuria librarii. Paulo post vero Autor iterum: *Dixerint ergo & scripserint Graeci tum σίχων, tum σείχων; quodnam ipse Herodorus dederit, quis affirmabit? Vetusitas forte quis haud male arbitretur σίχων &c. & tandem: Sic fere Herodoto adscripseris ex Mediceo σίχων satis antiquam; licet suo tempore utrumque fuerit in usū, Ionicum satis. Sed penes te iudicium, Lector, esto.*

Thucydides Lib. I Cap. II: ἔσον ἡλπίζον - βίστεύων; pro quo malebat *Hudsonus βίστεύων*. Et citatur apud *Hezychium βίστεύων τὸ ζῆν ex Thucydide*; sed est etiam in aliis locis. Est tamen, quo se commendat praesens, & propter has quidem ob causas, quod primo ἡλπίζων saepe non modo futuro, sed etiam praesenti, junctum reperitur, ut exempla allata docent; deinde, & maxime quidem, propter additum praesens *πελεμῆτα*, participium autem praesens etiam infinitivi notionem complectitur. Distinguendum est inter minorem futuri ἔμφασιν, quam etiam imperfectum exprimit, & inter majorem, quae futuro propria est. Infinitivus autem praesentis est imperfecto communis, atque adeo potest loco futuri poni, quando minori ejus emphasi opus est. Atque haec est ratio, quare etiam interdum post ἡλπίζων aut huic similia verba aoristi futuri, ut hic praesens, jungantur. Hoc observato, nihil opus est temporum permutacione, quam Grammatici inculcare in his locis solent.

In *Cyropedia Xenophontis Lib. I Cap. 2* de foro liberali Persarum commemorantur haec: *εἰπεύθον τὰ μὲν ἀνία,*

καὶ οἱ ἀγοραῖοι ἀπελήλκοντο. Hic quæ sint τὰ ὄνια, quaerit Rev. Autor, suspirantque hunc locum primus facit. Negat, τὰ ὄνια hic locum habere, quod *Herodotus Lib. I Cap. 153* scribat: τῶντοις ἐς τὰς πάντας Ἕλληνας ἀπέβηψε ὁ Κύρος τὰ ἔπαια, ἔτι ἀγοραῖος κτητόμενος, ὡς τε καὶ πρήσει χρέωνται. αὐτοὶ γὰρ οἱ Πέρσαι ἀγορῆσιν ἐδὲν ἐνώθασιν χρῆσθαι, ἐδὲ σφι ἐστὶ τὸ παρῶπαι ἀγορῆ. Ex quo intelligi putat Autor, omne forum esse apud *Xenophontem* excludendam. Credit ergo, reponendum esse: τὰ μὲν ὄνια; quod sit inutile, & intelligi homines abjectos & viles, itaque ἐξηγητικῶς addi ἀγοραῖοι, vel ἐμῆματα ὄνια seu τῶν ὄντων, qui in illo liberali foro dicantur esse τὰ βασίλεια καὶ τὰ ἄλλα ἀρχαῖα. Utinam exemplum hujus vocabuli ex Autore Græco potuisset afferre. Quid opus arguari? Vulgata lectio cum loco *Herodoteo* probè consentit. *Xenophon* nihil nisi hoc dicere voluit, quæ res in Græcorum foris reperiuntur, nempe merces, turba forensis, clamores, eas omnes sibi isto liberali foro abesse. Ipsa verba non sunt ad vivum rescandanda. Certe hæc commodior est & usitatior ratio, quam quæ novum vocabulum inducit, quo nemo quisquam scriptor Græcus usus est.

Fatemur, egregias quasdam observationes in hoc libello afferri; sed optarem, ut in his rebus, quæ jam ab aliis sæpe dictæ sunt, adeoque frustra repetuntur, brevior esse voluisset Rev. Autor. Quis c. c. vel mediocriter his literis doctus nescit, & es a librariis Græcis permutari. Quorsum ergo opus, rem istam tot

Pag. 11. autoritatibus confirmare? Quis ignorat, quæ de ἀγοραῖοις, de
12. conventu, *Jo. Fr. Gronovius* in *Observationibus*, item de *Pecuniis veteri*, dixit, cum nemo hodie, se aliquid scire in hoc literarum genere, sine summa impudentia dicere possit, qui non *Gronovianorum* libros legit, ac pæne edidicit. Quare ergo ista pag. 528 & 529 repetuntur? Ceterum non dubitamus, quin libentius multi sint hunc librum lecturi, nisi ea scribendi docendique ratio esset adhibita, quæ non potest non lectoribus non patientissimis fastidium movere. Neque tamen hæc eo dicuntur, ut absterre Rev. Autorem a suscepto consilio velimus, sed cum potissimum hortamur, ut in eo itinere, quod semel ingressus est, strenue pergat.

PETRI

**PETRI HORREI, G. F. E. WORC. MISCELLANEO-
 reorum criticorum Libri duo, quorum alter ex variis,
 Græcis, Latinis, varia sacrorum, exterorum, Scri-
 ptorum complectitur; alter vocabuli $\Phi\acute{\alpha}\tau\eta\eta$ originem,
 usum apud Seniores & reliquos, ubi loci plures septuagin-
 ta &c. illustrantur, emendantur, vindicantur; inpri-
 mis Luc. II, 7, ubi $\eta \Phi\acute{\alpha}\tau\eta\eta \tau\acute{\omega} \text{Κυρίου } \eta\mu\acute{\omega}\nu$ indagatur,
 tractat. Proæmium etiam $\pi\acute{\epsilon}\rho\iota \tau\acute{\omega} \text{Κυρίου}$,**

Luc. II, 2.

Leovardix, excudit Tobias van Dessel, Illustrium Frisix Or-
 dinum typographus, & Harlingx, apud Folkert van der
 Plaats, bibliopolam, 1738, 8 maj.

Alph. r plag. 8.

Maximam omnino laudem mereri Critica: senioris, atque
 etiam singulatim Græcæ linguæ, studium, omnes, rerum pe-
 riti, intelligunt. Illa quo magis hoc fastidioso sæculo contemni-
 tur, quoque eminentior est, quam asserit, utilitas; hoc severiori le-
 ge in ea est proficiendum, hocque majoribus, qui asperum ejus-
 modi curriculum incunt, adhortationibus sunt incitandi. Græca
 vero lingua, præcipua illa Latinarum literarum mater, felicissima
 eruditionis antiquæ nutritrix, non minorem postulat assiduitatem,
 neque etiam minimam laudem reportat. Quemadmodum vero
 in excessu æque magnum, quam in defectu, vitium inest, ita &
 hic cavendum esse videtur, ne audaciam Criticæ, ne ostentatio-
 nem Græcæ linguæ cognitio, prodat, sed, ut auream potius illam
 mediocritatem sedulo amplectamur, curandum. Hæc autem, quam
 facilia dictu, tam actu sunt difficilia, ita, ut, jure quodam nostro,
 affirmare queamus, vix centesimum quemque literatorum hunc
 in centum venire, ceteros vel huc, vel illuc, vagari aberrantes. Hæc
 sunt meditationes, in quas, doctum hunc, qui ante manus est, li-
 brum obiter lustrantes, forte fortuna incidimus. Venerabilis illius
 Autor non solum in scriptis sanctioribus atque profanis insignem
 se Criticum exhibet, sed, quantum etiam Græcæ linguæ præ se fe-
 rat amorem, vel ex sola Dedicatione, ad Perillustrem *Idzardum a*

- Sminia*, Prætozem in *Hennaarderadeel*, &c. directa, patebit. Quod Dedicationem excipit Proœmium, in *Cyrenii* nomen varias, easdemque acutissimas, profano tamen, quam sacro, codice digniores, conjecturas affert. Sed in limine hæere nolumus, cum instructissima nos penetralia invitent. Principium Commentationum suarum principium Poematum *Arati* non immerito Rev. Autor effecit. Tam notatu dignum illud est initium, ut & quædam ejus verba, sanctissimo ipiritu actus, scriptis suis inferuerit *Paulus*. Quanquam enim sunt, qui, ad alium locum respexisse divinum legatum, arbitrantur, Patrum tamen potissimum autoritate, nominatim *Chrysoſtomi*, *Hieronymi*, *Clementis Alexandrini*, suam Nolter fulcit sententiam, concedens interim, aliorum illum sententias haud ignorasse, quod ex verbis appareat: *ὁς καὶ τινες τῶν κατ' ὑμᾶς πεποιητῶν ἐξηκασί.* Hac data occasione locus *Matth. XXI 11, 9*, simul explicatur; & ita demum ad ipsos *Arati* versus illustrandos progreditur Rev. Autor.
2. Cum istis deinde ex *Oppiani Κομηγητικ.* versus noni examen conjungit, ubi verba sunt: *Ἑυμενίης Τιτῶν Φαίδρων καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων.* Atterit præsertim, atque confirmat, *Φαίδρων* nomen esse proprium, & simul originem hujus nominis peruestigat. *Capite tertio*, quod *Luc. 1, 3*, reperitur, *Θεοφίλου* nomen scrutatur, ac, *ἕνομα κύριον* esse, adstruit ex variis, imprimis ex nomine ipso. Inquirit porro in nominis significationem, quod proprie notet Deo carum vel gratum, aut etiam Dei amantem. Quod adjecit sacer Scriptor vocabulum *κράτιστε*, proximam Commentationem efficit. Illud quidem dignitatis proprie titulus est, sed & de virtute optimis usurpatur, id quod vel unus *Plutarchus* illustrare potest. Hoc loco persona, & quidem illustris forte Præles, designari judicatur. Inde dissensus fit ab *Hafæo*, *Wolffio*, *Cannegietero*, & *κράτιστος*, magistratum titulum, non esse per Latinitatum, sed satis antiquum, confirmatur. Jamjam laudati *Cannegieteri* nonnulla pariter examinantur, ubi *Aviani* Fabularum inscriptio illustratur. Inquiritur hic potissimum, quis fuerit, cui fabulae inferibuntur, *Theodosius*, & esse hunc forte alium ab Imperatore, docetur; sed, si vel maxime ille ipse fuisset, *κράτιστου*, qui adjicitur, titulum ipsum prome-

promereri ostenditur, quoque id sensu, quo discrimine, fiat, monstratur. Inde altius inquiritur in hoc ipsum adjectum, quoad derivationem a κρείτος, *robur, imperium*, cujus signum fuerit κέραι, quo velut ex fonte significationes emanent varia, ut & quoad collationem cum ἀρίστος, ab ἀρετή, ἀρετή. Quae simul dicta superiorem *Lucæ* ad locum accommodantur. Hac occasione data, inquisitio sequitur in *Epaphroditum Josephi*, cui Cap. 6. pariter κραιίστου titulum adjecit. Nomen hujus *Epaphroditæ*, qui forte diversus est ab illo, cujus in sanctissimis literis sit mentio, ἀπὸ τῆς Ἀφροδίτης derivatur, ita, ut *venustum* indicet; qua occasione loquendi ratio, qua Spiritus sanctus in *Actis* utitur, ἀστῆς τῷ Θεῷ, assertur, atque ad translationem de *Venustianis*, quorum *Augustinus* facit mentionem, hæreticis sit transitus. 7. Istorum nominis originem dum dilquirit Noster, varia de Venere profert, quæ secundum doctrinam *Zoroastri* ac Manichæorum pro principio mali forte fuerit habita, unde etiam Luna, aut Venus, objectum cultus fuerit apud Manichæos. Ceterum *Augustini* verba, quæ egregie a Rev. Critico nostro illustrantur, sunt *de Hæresibus Cap. 85: Paterniani inferiores partes humani corporis non a Deo, sed a diabolo, factas opinantur, & omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes, imparissime vivunt. Hos etiam Venustianos quidam vocant.* 8. Cum istis perversissimæ hæresis fautoribus conjungitur non melioris patronus, qui *Theuthis* apud *Hegesippum*, *Theodades* apud *Clementem Alexandrinum*, vocatur. Ubi simul varia *Pearsoni*, *Vassii*, *Dodzevelli*, item *Henrici Valerii*, sententiae obiter percensentur atque examinantur. 9. *Capite nono Arriani* verba, quæ non procul ab initio *de expeditione Alexandri* legimus, explicantur. Sunt autem hæc; *Ἐπειελθόντα δὲ ἐς Μακεδονίαν, ἐν παρεσκευῆ ἔσαι τῷ ἐς τὴν Ἀσίαν στόλεον ἄμα δὲ τῷ Ἰφι ἐλαύνειν ἐπὶ Θράκης, ἐς Γεβασίδου καὶ Ἰδουρίου.* Hæc posteriora potissimum verba etiam insequentem exponuntur *Capite*, quamque ob rem *Ἰδουρίου* in subsequentiis apud *Arrianum* verbis præfigantur, inquiritur. Similiter reliqua *Capita* partim sequentiis *Arriani* verbis, partim verbis *Arati*, explicandis impenduntur. Lib. II.

- Cap. 2. lum *Φάτης* *Luc. II, 7*, uberius explicatur, ejusque ante omnia propria significatio adstruitur. Respondet nimirum, ut *Scho-tanus* ait, Hebraico פֶּתַח , & ipsa etiam origo Hebraea esse videtur, ubi פֶּתַח os denotat; inde *πάω*, & hinc *Φάγω*, &c. Confer-tur etiam Hebraico פֶּתַח , unde forte *Φάτη* quasi *Φάτημ*. Agi-tur hac occasione de more tritrandi atque serendi in Oriente apud veteres æque ac recentiores. Inde locus *Jes. I, 2, 3*, se-cundum interpretationem LXX accuratius exponitur, ac *Basi-lii παράφρασις* examinatur; vindicatur etiam simul lectio vul-gata τῶν ὁ: ὁ λαός με οὐ συνήκεν; item locus quidam *Clemen-tis Alexandrini*, ubi de equis, καὶ ἵπποι, ait, ἀναβάτην ἀπο-σεσάμενοι, ἐν ἵππῳ συσῆματι ὑπήκουσαν τῷ δεσπότη. Postea investigatur, utrum סִבְיָה *Job. XXXIX, 12*, *arcam*, an *presé-pe*, significet, & hoc quidem asseritur; ut & *Proverb. XIV, 4*, vel *presépe*, vel *horreni*, aut *arcam*, non vero *stabulum*, ir-nui, monstratur. Neque alia omnino prætermittuntur loca, e. g. *Prov. XI, 17*, ubi βῶν φατνιαζόμενοι, *Jerem. L, 26*, ubi סִבְיָה , *Cantic. VII, 3*, ubi κείλια: θημωνίαν οἴτου memo-rat Scriptura, item *2 Paral. XXXII, 28*, *1 Reg. XIII, 6*, *1 Sam. XXIII, 1*, *Jos. I, 17*, *Habac. III, 17*, & quæ sunt reliqua; maxime ta-men in duobus postremis locis explicandis copiosum se præ-ber atque accuratum Autor. Verum non apud sacros solum, sed exteros pariter, scriptores *Φάτης* vocabulum *presépe* de-notat, & quidem tam boum, quam equorum atque asinorum. Hic simul proverbialia illustrantur: Κῶλον ἐν τῇ Φάτῃ κατακειμέ-νη, & *Homericum* illud: Βεῦς ἐπὶ Φάτῃ; quanquam hoc po-sterius vix cum *Erasmo* proverbium esse judicat Noster. Hic vocabuli Latinorum *presépis*, id quod Græco respondere osten-derat, eruditam statim considerationem subjunxit, ac denique, congregatis quasi & comprehensis argumentis, *Lucæ Φάτην* hand *stabulum* esse, sed *presépe*, proprie sic appellatum, luculen-ter satis evincit. Scribendi genus in his *Miscellaneis* tale est pror-fus, quale esse in *Observationum* libro, paulo ante diximus.

THEODORI JANSONII AB ALMELOVEEN
Fastorum Romanorum Consularium Libri duo, quorum
prior juxta seriem annorum, posterior secundum ordi-
nem

nem alphabeticum, digestus, continet plurimas veterum Scriptorum, maxime Historicorum, Legum veterum atque Inscriptionum, ut & Pandectarum, omniumque Codicum, Theodosiani, Justiniani, Gregoriani, & Hermogeniani, emendationes. Accedunt Praefecti urbis Romae & Constantinopolis. Editio altera, auctior multo & emendatior; additis Fastis Consularibus Graecis ex Codice MSto Bibliothecae Mediceae; Fastis Consularibus Latinis ex MSto Bibliothecae Oxoniensis, quae Collegii Corporis Christi est; HENR. BRENCMANNI Epistola de Consulibus, quorum in Pandectis fit mentio, nec non castigationibus in errata typographica inscriptionum & subscriptionum Libri primi Codicis Justiniani.

Amstelredami, apud Janssonio-Waesbergios, 1740, 8 maj.

Alph. 2.

Primus hujus libri Autor, Vir quondam celeberrimus, Medicinae atque elegantiorum literarum in Academia Harderovicenti Prof. Publ., jam A. 1712 inter defunctos relatus, preclare omnino curam suam in libro isto publici juris faciendo collocavit, eodemque famam & gloriam sibi mirificam comparavit. Neque minus laudabile opus suscipit, qui librum hunc auctum atque emendatum edidit, atque Illustrissimo Viro *Cornelio van Bykershak* dedicavit, *Jo. Ludovicus Uhlus*. Nos vero in eo percensendo tanto jam breviores erimus, quanto distinctius illius momenta vel titulus indicat, quantoque minus nostrum esse putamus, eramben jam antea coctam apponere. In Praefatione laudem merito accipit editio illa prior, Amstelodami A. 1705, 8, publicata, atque immortalis pariter *Fabricii* verbis, quae in ipsius *Bibliograph. antiquar. pag. 217* exstant, imprimis commendatur. Quas hic ipse ibidem optavit curas *Almeloveenii* secundas, limatissimasque observationes novas, haec in nova *Indexes* reperimus. Suppeditavit illas Editori *Henricus a Sypestejn*, Doornensium in Ultrajectensi ditione Pastor clarissimus. His auctus Noster, multa Scriptorum loca, quorum quidem

dem copiam habere poterat, consuluit, hocque modo non pauca, falso citata, emendavit. Inde *Hadriani Relandi*, quam *Fa- stis* fratris sui adjecerat, Appendicem totam isthuc derivavit. Addidit præterea inscriptiones & subscriptiones *Justinianei* Codicis, a typographorum incuriis vindicatas a *Candido Adiniva Grananesio*, quas Vir Cel. *Jacobus Philippus D'Orville* cum ipso communicarat, quasque ab *Henrico Brencmanno* maxime collaudatas viderat. Ceterum, cum Celeberrimi Viri, *Petrus Burmannus*, *Arnoldus Drakenborchius*, *Dominicus Georgi*, *Jo. Dan. Ritterus*, *Polenus*, & alii, passim ab *Almeloveeni* sententiæ recedant, atque ipse etiam Editor diversa hinc atque illinc sentiat, peculiarem Animadversionum libellum publicare laborat, quem quidem, non sine desiderio, expectamus.

HENRICI KÜHN, J. U. D. IN ATHENÆO
Gedanensi Mathematicum Professoris, Solutio Dubiorum
Hydraulicorum & Aerometricorum, in Diario Tre-
voltiensi A. 1741 Artic. 85 & 94 propo-
sitorum.

Non me latebat, multis paradoxa visum iri, quæ in Meditationibus *de Origine Fontium*, *Burdigalæ* A. 1741 impressis, de valde inæquabili Telluris figura, de divertorum marium, Oceanique ipsius, diversa altitudine, & de Euriporum forbentium vomentiumque usu, affirmaveram. Proinde, cum in dies magis magisque perspexissem, quantum præsidii positum sit in theoria de tantopere inæquabili Geocosmi figura, pro systemate de origine fontium luculentius explicando, aliisque illustribus Problematibus physicis rectius resolvendis; ipsemet occasionem quæsi, ut eam intelligentium examini offerrem, Virique Celeberrimi ---, quocum abhinc aliquot annis commercium literarum alo, cujusque in Mathesi sublimiorem merita suspicio, de ea, quam statuo, valde inæquabili Terræ forma judicium elicere possem. Hinc oriebatur amica inter nos veritatis disceptatio, cujus is fuit exitus, ut idem, omnibus, quæ in utramque partem magno studio in medium allata erant,

erant, probe pensitatis, ingenue fateretur, se meam hypothesin ad incommodum trahere dilucide non posse; tam notabilem autem in cursu fluminum inesse declivitatem, me ex derivatione rivorum molendinis agitandis idoneorum adeo perspicue ostendisse, ut hoc argumentum sibi omni exceptione majus videatur; & propterea meam sententiam sibi non solum probabilem factam esse, sed se jam fere in meas partes transire; ad notitiam igitur veræ Telluris formæ acquirendam optandum esse, ut potius in posterum majori cura declivitates præcipuorum fluviorum observentur, quibus cognitis, simul de inæqualitate superficiæ maris certos nos esse posse; quod negotium, cum etiam nunc maximis difficultatibus fuerit obnoxium, machina, ad hoc exquisitissime a me excogitata, tantopere sublevatum esse, ut sibi nullum sit dubium, quin hujus machinæ frequenti usu tandem vera superficiæ Terræ figura nobis innotescat.

Cum ista agerentur, cura Amici eruditi, nunc in Gallia commorantis, ad me perscriptæ sunt difficultates, in *Diario Trevoltienfi* amice propositæ, & præcipue contra inæqualem marium altitudinem, eumque, quem pro genesi fontium explicanda feci, voraginum sorbentium vomentiumque usum, motæ. Reperi easdem diligenti discussione dignas; quam in longiorem diem differendam non existimavi, cum doctissimus dubiorum Autor egregium veri cognoscendi ardorem ostendat, & aperte profiteatur, sese horum objectu occasionem mihi suppeditare voluisse, dilucidius pleniusque dicendi de re, explicatus satis difficiles habente. Quo in negotio ita versabor, ut ante omnia ex iis, quæ in Commercio Mathematico, supra commemorato, acta sunt, meam de valde inæquabili Telluris forma sententiam prolatis idoneis argumentis firmem, & ab exquisitis difficultatibus objectis liberem, ne dein, pro eximendis Cl. Censori scrupulis, carptim & disperse dici necesse sit, quæ commodius uno dicendi tenore peraguntur. Nimirum in Opusculo de Origine fontium haud pauca quoque dixi de vera figura Telluris, ex consideratione cursus fluminum determinabili, & cur, *Cassini* nam hypothesin ad hypothesin naturæ propius accedere, existimem, quam *Newtonianam*, (inter alia exinde, quod partes

Oceani intra Tropicos in æquilibrio consistant cum ejusdem partibus extra Tropicos, licet illæ aquam multo falsiorem gravioremque vehant, adeoque diameter Æquatoris notabiliter minor esse debeat diametro per polos, si utraque in Oceano desinat,) tametsi ex permultis de cursu fluminum observationibus persuasum habeo, Tellurem considerari non posse ut solidum, ex rotatione cujuscunque figuræ circa axem genitum, adeoque, quod nunc addo, ad veram figuram Telluris (tractibus montosis abstrahendo remotis) inveniendam parum profici, etsi, quod minime sperandum, per integram quadrantem unius ejusdemque Meridiani dati, longitudo singulorum graduum tam stupenda diligentia jam inventa esset, qua longitudinem gradus sub Circulo polari, in Meridiano Torneensi, nuperrime determinavit Cel. *Maupertuisius*. Ejusdem peregregium Opus, *la Figure de la Terre déterminée par les Observations*, haud pridem deæuo legi. Per eam occasionem inspexi quoque *Historiam Academiae Scientiarum Parisiensis A. 1700 a pag. 145 ad 148*, (edit. Amstelod.) *A. 1701 pag. 120 & 121; A. 1713 a pag. 84 ad 89*, & præcipue a pag. 250 ad 264, nec minus Cel. *Mairani* profundas Meditationes, in eadem *Historia A. 1720 a pag. 86 ad 354* propositas, quibus lectionem egregii Operis, *de la Grandeur & de la Figure de la Terre*, nuperrime adjunxi.

Si autem de celeberrima ista nostri ævi controversia dicere licet, quod sentio, de dimensionibus & latitudinum differentis, in Gallia & Lapponia observatis, ne minima quidem mihi relinquitur erroris suspicio; nec audiendi sunt, qui nunc *Cassini*, nunc *Maupertuisii*, labores cavillantur, minutiarum momentum exaggerantes in re, ubi de minutis non agitur, aut errores ipsis affingentes, qui in tanti fastigii Geometras non cadunt: at de modo ex ejusmodi observationibus figuram Terræ colligendi multum dubito, an is admitti possit, etsi, Mathematicorum plerosque eum aut sequi, aut saltem non improbare, videam. Celeberrimis Viris, *Maupertuisio* æque ac *Cassino*, propositum fuit, relictis hypothesibus eam investigare Telluris figuram, qualem observationes accuratissimæ postularent. Quando autem ex uno paucisve gradibus Meridiani unius actu di-

mensis,

mensis; nimis incompleta inductione (in rebus presertim physicis maxime cavenda) permoti, supponunt magis, quam colligunt, progressionem longitudinis aliquot graduum, in uno Meridiano a se observatam, per integrum quadrantem ejusdem & reliquorum Meridianorum locum habere, denuo ad hypotheses relabuntur. Unde mirum non est, dimensiones, in admodum distantibus locis institutas, dare figuras Telluris secum pugnantes, nec adeo dijudicari posse, an Tellus sit spheroides versus polos depressum, an oblongum; cum utraque sententia certissimis observationibus niti videatur. Quamprimum dimensiones aliquot graduum prope Æquatorem in Peruvia factæ innotescunt, ex iisdem eadem methodo consueta haud dubie pronuntiabitur (non pro sphaera, sed) aut pro spheroides depresso, aut oblongo. Utrumvis autem horum accidat, satis certum habeo, proportionem diametri Æquatoris ad axem, ex Peruvianis observationibus deductam, mire dissensuram ab ea, quæ vel ex *Cassinianis*, vel *Maupertuisianis*, observationibus colligitur, nec tres Tabulas, pro longitudine graduum Meridiani conditas, valituras esse, nisi in ipsis locis actu dimensis. E. g. Tabula *Cel. Cassini* haud dubie valet in Meridiano Parisiensi soli Gallici; at in Meridiano ostii Rhodani per Galliam non amplius valebit, cum ex Mappis hydrographicis, curatius solito inspectis, constet, in Meridiano Parisiensi solum Gallia, a gradu latitudinis 42, saltem usque ad gradum 45 acclive esse, cetera parte versus fretum Britannicum declivi existente, in Meridiano aurem ostii Rhodani, solum Gallia inde a gradu circiter 42 fere usque ad gradum 48 acclive esse, reliquam denum partem versus Belgium mediocrem saltem declivitatem habere. Porro video, omnes, qui pro figura spheroidis elliptici, sive depressi, sive oblongi, pugnant, hypothesi modo commemoratae adhuc aliam adjungere, dum supponunt, Meridianum terrestrem necessario esse lineam horizontalem veram, seu, quod eodem redit, lineam directionis gravium ad Meridianum terrestrem ubique perpendicularem esse. Hæc vero hypothesis minime idem valet, ac propositio Statica, innumerabilibus tot seculorum observationibus comprobata, lineam directionis gra-

vium, ad superficiem aquarum stagnantium, seu quiescentium, perpendicularem esse, posito scilicet fluido ubique homogeneo. Enimvero, isthanc hypothesein, consequenter etiam figuram Meridiani terrestris ellipticam, naturæ rerum repugnare, haud difficulter ostendi potest. Concipiantur duo aquæductus, alter in directione Meridiani Parisiensis a gradu latitudinis 42 usque ad 50 vel 51°, alter in Meridiano Torneenti a *Kittis* per *Kuckula* versus *Torneam*, hoc est, a latitudine 66°, 48', 20'', usque ad 65°. 50'. 50'', quorum uterque, quod constat ex Mappis, possibilis est, ille quidem tendens ab Austro versus Septentrionem, hic a Septentrione versus Austrum, etsi cum declivitate, ordinariam fluminum aliquantum superante. Hi ergo aquæductus præberent arcus Meridiani terrestris, eosque ad dimensionem actu faciendam percommodos, præsertim si glacie obducti ponantur. Jam quid futurum esset? An lineæ directionis gravium ad aquæductuum superficiem perpendiculares esse reperirentur? Neutiquam; sed in illo linea directionis cum superficie versus Austrum faceret angulum recto paulo minorem, in hoc vero, itidem cum superficie versus Austrum, daret angulum recto paulo majorem; nempe si circiter fuerit mensura declivitatis mediæ = 1:100, adeoque angulus declivitatis alvei = 0°. 34, erit versus Austrum, angulorum directionis ille = 89°. 26, hic vero = 90°. 34.

Hoc loco, re ita postulante, commemorandum videtur, me in *Historia Academiae Scientiarum Parisiensis A. 1713 pag. 85 & 86* animadvertisse propositionem aliquam, axiomatis loco a *Cel. Cassino* aliisque habitam, quam, nisi omnia me fallunt, veram esse non agnosco. Sit (vid. *Tab. III Fig. 1.*) semidiametro Æquatoris *TA* descriptus quadrans Circuli *AP*, itemque alius arcus exterior *Aπ*, & interior *Ap*, una cum Tangente *AQ*, producatique *TA* in *Z*, quod sit Zenith loci *A*. Hic *Cel. Cassinus* recte affirmat, spectatorem ex *A*, ob immensam fixarum a Tellure distantiam, visurum esse polum *P* in *Q*, adeoque in *A* fore elevationem poli = 0. Quando vero addit, in hypothesei Terræ planæ, cujus scilicet Meridianus terrestris est recta *AQ*, spectatorem nullos gradus latitudinis acquiriturum, etsi

TAB. III
Fig. 1.

etsi infinito intervallo ex A versus Q progrediatur; id saltem verum esse videtur, posita distantia centri gravium $TA = \infty$, & hoc ipsum non solum in Meridiano rectilineo AQ valeret, sed etiam in curvilineo quocunque AP , vel $A\pi$, vel $A\rho$, si sit $TA = \infty$. In omni autem reliquo casu, incedendo super recta Ab , omnes gradus latitudinis successive acquiri possunt; etsi maxima latitudo $= 90^\circ$ obtineri nequeat, nisi ubi facta est $Ab = \infty$. E. g. in loco H spectatoris Zenith erit (non in v , sed) in z , ejus conditionis, ut zH producta cadat in centrum gravium T , & loci H linea horizontalis non amplius erit HQ , sed potius HL ad zH perpendicularis, locique H latitudo seu elevatio poli fiet $= QHL = RHA = HTA = 20^\circ$, æque ut in reliquis omnibus punctis, quæ in recta zHT assumi possunt. Nimirum, ad horizontem loci verum definiendum, respiciendum non est ad naturam lineæ, super qua eundo ad locum datum perventum est, sed tantum ad angulum rectum, ope lineæ directionis gravium in dato loco H determinandum. Ceterum, si gravia ad unicum centrum T tendunt, angulus, quem linea directionis eorum cum superficie efficit, super Meridiano AP , versus A semper est acutus ($\approx 20. A$); super $A\pi$ obtusus ($\approx 20. A$); uti super Circulo AP semper est rectus. Pro figura igitur Telluris determinanda, in diversis tractibus diversa, mihi sufficere videtur latitudo locorum observata, & propositio Statica, de linea directionis gravium ad superficiem aquarum homogenearum & quiescentium perpendiculari, applicata ad diligentem considerationem cursus præcipuorum fluminum mariumque; in quam methodum præter expectationem meam incidi, cum de Origine fontium commentari vix cœpisssem. Vid. §. 2 Dissertationis *de Origine fontium*. Hanc methodum sequendo, eventus dimensionis Meridiani in Gallia & Lapponia auditer prædici potuisset; cujus rei specimen aliquod dedi in duobus Problematibus subiectis, minime quidem accuratum, sed tamen tale, quale præstari potest ab eo, qui rem ipsam oculis non subjecit, nec veram fluminum longitudinem, nec veram declivitatem aquarum, non ubique eandem, est dimensus. Quodsi aliquando in re præsentis hujus methodi periculum

culum faciendum esset, nec in minutiis scrupulosi esse velle-
mus, pro longitudine cursus fluminum super glacie expedite di-
metienda perquam commode adhiberi posset *Praeambulator*,
quem dicunt instrumentum, a Mechanicis in Anglia scite parari
solutum, formam carri manualis habens, quod ope indicis cir-
cumacti satis exacte numerat pedes Parisienses eundo confectos,
& in quo peripheria rotæ unius hexapedæ esse solet.

Problema 1. Data longitudine arcus Meridiani Parisiensis ter-
restris inter parallelos 45° & 51° actu dimenti, una cum lon-
gitudine arcus inter parallelos 45° & 46° , ruditer determinare
longitudinem gradus inter parallelos 51° & 52° .

Solutio. Secundum Tabulam Cel. *Cassini* (Vid. *Hist. de l'Acad. des Scienc. A. 1713 pag. 265*) cum in Meridiano Parisiensi
sit longitudo gradus inter 45° & $46^\circ = 57105$ hexap.,
& longitudo arcus inter 45° & $51^\circ = 342462$; erit longitu-
do media pro $1^\circ = \frac{342462}{6} = 57077$, item longitudo me-
dia pro $\frac{1}{2}^\circ = 28538\frac{1}{2}$ hexap. Jam, cum in Arvernia, testibus
Mappis hydrographiceis, fluminum acclivitas & declivitas

circiter compensetur inter 45° , & $45^\circ.30'$, cui $\frac{1}{2}^\circ$ respondet via 28538 $\frac{1}{2}$	} add.
item ----- 49 $^\circ$, & 50 $^\circ$, cui 1° ----- 57077	
erit via in calculo nunc non consideranda	= 85615 $\frac{1}{2}$
sed est via integra	= 342462

E. fluminum versus boream declivium via brevissima = 256846

Quare, cum fluminum via brevissima ad tortuosam minimum so-
leat esse ut 2 : 3; erit hic via tortuosa seu vera = $\frac{2 \cdot 256846}{3} =$
385269 hexap. Sed radius Telluris sub parallelo 45° hic est
= $\frac{(111 \cdot 180 \cdot 57105)}{355} = 3271875$, & posita mensura declivita-
tis ordinariæ fluminum = 1 : 100, est altitudo lapsus aqua-
rum = $\frac{1 \cdot 385269}{100} = 3852$; erit in his locis radius Telluris
sub parallelo $51^\circ = 3271875 - 3852 = 3268023$. Tan-
dem, quia æqualium angulorum arcus radiis suis proportiona-
les sunt; erit longitudo gradus Meridiani Parisiensis inter 51° &
 52° , circiter = $\frac{3268023 \cdot 57105}{3271875} = \frac{186620451425}{3271875} = 57037\frac{1}{2}$
hexap., quæ *Cassinianam* 57037 hexap. 4 pedum vix quan-
titate unius pedis excedit.

Problema 2.

Problema 2. Ruditer determinare, an ostium fluminis Torneæ altius sit freto Britannico ad Dunquercam, & quantum; item longitudinem gradus sub circulo polari in Meridiano Torneensi quam proxime definire.

Solutio. Cum in Sinum Bothnicum & Finnicum tot ingentia flumina aquas suas deponant, & mare Balthicum, præter hanc aquarum molem, etiam fluminum Dunæ, Russ, Vistulæ, Viadri, Varnæ, Trawæ, &c. aquas recipiat, per fretum Oresundicum satis modicum in Oceanum Germanicum exonerandas; necesse est, ut utriusque illius Sinus alveus versus mare Balthicum, & hujus alveus versus Oceanum Germanicum, valde declivis sit. Et, quoniam in Europæis regionibus motus progressionis aquarum Oceani ab Oriente versus Occidentem tendit, alveus quoque Oceani Germanici versus Occidentem, adeoque & versus fretum Britannicum, declivis erit, & quidem satis notabiliter, ob Albiæ, Vistulæ, Rhenum, Mosam, Scaldin, Thimelæ, &c. receptos. De quibus torrentibus Oceani Mappæ hydrographicæ quoque ex instituto testantur. Est vero, plus minus, cursus aquarum longitudo, seu via fere brevissima α) a Torneæ per Alandiam, Bornholmiam, fretum Oresundicum usque supra Jutiam $\approx 23^\circ$ circuli maximi $\approx 23.15 = 345$ mill. Germ., & β) inde a Jutia usque ad Dunquercam $\approx 8^\circ = 8.15 = 120$ mill. Germ., adeoque, posita nunc ratione viæ brevissimæ ad tortuosam seu veram $\approx 3:4$, est aquarum via vera pro α) $\approx \frac{4}{3} \cdot 345 = 4.115 = 460$ mill. Germ., & via vera pro β) $\approx \frac{4}{3} \cdot 120 = 4.40 = 160$ mill. Germ. Nam, Mappis hydrographicis attentius consideratis, viam veram torrentis aquæ marinæ tanquam flumen in flumine considero, dum cetera loca lateralia, navigationi non æque accommodata, sunt loca tantum non vadosa, ad velocitatem fluminis opportune temperandam objecta, & ab altero vadi dorso seriem cararactarum amulantia, & propterea æstuantia, Belgis *beel brandinge* dicta, aut nonnunquam, per vanam nauticorum hominum conjecturam, pro regionibus submersis (*ver'oucken Land*) habita. Jam in his magis declivitatibus sumatur mensura declivitatæ medix pro α) $\approx 1:100$,
pro

pro $\beta = 1:120$; erit altitudo lapsus aquarum inter Torneam & Dunquercam $= \frac{1.460}{100} + \frac{1.160}{120} = \frac{12.46}{12,10} + \frac{10.16}{12,10} = \frac{3.46 + 10.4}{3.10} = \frac{138 + 40}{30} = \frac{178}{30} = 5 \frac{28}{30} = 5 \frac{9}{10}$ mill. Germ.

Quare, cum secundum *Cassinum* sit milliare Germanicum $= 22917$ pedum Paris. $= 3820$ hexaped., erit ostium Torneæ altius mari Britannico ad Dunquercam, quantitate $\frac{9}{10} \cdot 3820 = 382.59 = 19100 + 3438 = 22538$ hexaped. Cui si addatur radius Telluris ad Dunquercam (per *Problema* præcedens) $= 3268023$, erit radius Telluris ad Torneam $= 3290561$. Unde, cum (per *Problema* præcedens) sit longitudo unius gradus Meridiani ad Dunquercam $= 57037$, reperietur longitudo gradus sub circulo polari in Meridiano Torneensi $= \frac{3290561 \cdot 57037}{3268023} = \frac{187683727717}{3268023} = 57430 \frac{1}{2}$ hexaped., quæ a *Maupturijana* longitudine 57437 aliquantum deficit, & deficere quoque debet, quia solum Lapponiæ a Tornea utque ad Kütis, propter rapiditatem fluminis Torneæ multis cataractis obstiti, multo magis acclive est, quam quidem Sinus Bothnicus ab Austro versus Septentrionem.

Harum solutionum adumbratione, si nihil aliud, certe hoc saltem profectum est, quod exinde manifestum fiat 1) in Meridiano Parisiensi soli Gallici inde a gradu latitudinis 45 usque in fretum Britannicum, gradus Meridiani ab Austro versus Septentrionem decrescere, 2) sub Circulo polari in Meridiano Torneensi gradus ab Austro versus Septentrionem crescere, 3) locum maris prope Torneam cum loco maris ad Dunquercam comparando, illum aliquot milliariibus amplius a centro Terræ distare, quam hunc, adeoque 4) longitudinem gradus sub Circulo polari ad Torneam tanto magis excedere debere longitudinem gradus prope Dunquercam, quanto magis Tornea a centro Terræ distat, quam Dunquerca.

De dimensionibus Meridiani ex Peruvia expectatis non omnino ex vano prædicere licet, sub latitudine australi 1° aut 2° , longitudinem gradus Meridiani prope urbem Quito, vix minorem repertum iri, quam ad Torneam; prope Limam autem sub latitudine $A. 12^\circ$, eam haud dubie superaturam esse quan-

quantitatem 57437 hexapedarum; item in Peruvia, inter Æquatore & latitudinem A 12° , gradus crescere; inter latitudines 12° & 20° propemodum stationarios esse, seu æquales; ab latitudine A 20° autem versus Polum australem decrescere. Ex consideratione enim cursus fluvii Amazonum ruditer colligere licet, Cayennam atque ostium fluvii Amazonum, respectu urbis Quito, depressius situm esse, minimum quantitate 6 mill. Germ., respectu autem Limæ, minimum $7\frac{1}{2}$ mill. Germ.

Ceterum silentio prætermittendum non est, me materiam de Terræ forma saltem per digressionem in Opusculo *de Origine fontium* tractasse, aliisque eam plenius excutiendam reliquisse. Proinde neququam tantum diligentiam in eam contuli, quantum debuissim, si ea tum temporis quaestio principalis fuisset, præsertim cum scirem, Academiam Bardigalensem præmonuisse, ne meditationes, ab exteris expectatae, tres plagulas multum excederent. Prævidi igitur, contra tantopere inæqualem, quam statuo, Terræ figuram haud pauca ab intelligentibus dubia moveri posse, diligentem considerationem ac discussionem postulatura, antequam intelligentium assensum sperare liceat. Præstabilius tamen mihi videbatur, aliqua in eam rem argumenta proponere, quam nulla, propterea quod ista Terræ figura, pro diversis tractibus diversa, meo Systemati de origine fontium magis faveat, (præsertim pro possibilitate Euriporum vomentium, forbentibus respondentium, concipienda,) quam omnis alia; etsi nec *Newtoniana*, aut *Cassiniana*, eidem prorsus repugnet, sed saltem non aequè prolixè faveat. Nunc igitur pro firmanda sententia mea enarrabo, quid in illo commercio literarum privato actum fuerit, pro removendis exquisitissimis difficultatibus, mihi objectis.

Quando --- inquis, me pronum videri ad *Cassinianam* de Tellure sententiam admittendam, id ita intelligi velim, me existimare, quod *Cassiniana* multo propius ad veram Terræ formam accedat, ob permultas, quas de cursu ac situ fluminum mariumque collegi, observationes, quæ in Europa Asiaque magna parte (reliqui enim tractus non aequè cogniti sunt) omnes *Cassino*, nulla *Newtono*, favent, (paulo post tamen, quod bene notandum, etiam reperi aliquas, quæ huic favent, illi vero adversantur.)

tur,) propterea tamen me *Cassinianam* totam non probare, ob per-
multas de cursu fluminum observationes, quæ omni figuræ Tel-
luris, ex rotatione circa axem genitæ, adeoque & *Cassiniane*, ni-
mium adversantur.

Nihilo minus, ut magis constaret, cur *Cassinum* in hoc
negotio sequi mallet, quam *Newtonum*, si alterutrum eligen-
dum esset, conatus sum *Cassino* succurrere hoc argumento,
quod ob majorem intra, quam extra, Tropicos Oceani salubri-
tatem atque gravitatem specificam, Oceanus, adeoque & Terra,
prope Æquatorem depressior esse debeat, quam prope Polos.
Ad quod argumentum enervandum excipis ---, ob exiguam
Oceani profunditatem, differentiam altitudinis Oceani prope
Æquatorem & Polos esse parvitatæ in hoc negotio contemnen-
dæ. At non desunt, quæ isti argumento corroborando afferri
possent. Sit enim (*Tab. III Fig. 2*) QP quadrans Meridiani
terrestris in Oceano, & ex centro Telluris T descriptus intelli-
gatur arcus circuli Xx , sitque B locus prope Æquatorem, alter
 b prope Polum P . Porro in utroque loco ponatur eadem
Oceani profunditas $BA = ba$ e. g. 4000 ped. geom., sitque
pro locis B & b , ratio gravitatum specificarum aquæ marinæ
e. g. ut 5 ad 4. Existimo, non obstante exigua altitudine
aquæ marinæ super fundo Oceani Aa , fieri posse, ut locus b
aliquot miliaribus Germ. altior sit loco altero B . Nam, cum
multæ præstent observationes, ex quibus contenditur, dari
loca maris profunditatis inexplorabilis, (etsi eadem tanta cautio-
ne instituta mihi non videantur, qua ad id persuadendum opus
est,) liceat nunc ponere, forte rem revera ita se habere, &
his convenienter ponatur Oceanus in fundo Aa per canales mo-
dicæ amplitudinis AX & ax communicare cum tubo horizon-
tali Xx , qui repletus concipiatur alio fluido, commixtionem a-
quarum, ex bx & BX descendendum, impedituro, ponaturque
e. g. $AX = 396000$ ped. geom., erit $BX = 400000$ ped.
geom. Jam sint, quæ est sententia vulgo recepta, aquæ Oceani
in b & B in æquilibrio. Cum constat ex Hydrostaticis, Occa-
num in B vel b quantumvis amplum non magis premere fun-
dum X vel x , quam si amplitudo superior inferiori X vel x
æqualis foret; erunt columnarum æquiponderantium altitudi-
nes

TAB. III
Fig. 2.

nes XB & xb , ut earum gravitates specificæ reciproce sumtæ, adeoque erit $xb = \frac{5.400000}{4} = 500000$ ped. geom., & $bx - BX = 500000 - 400000 = 100000 = 5.20000$ ped. geom. hoc est, locus Oceani b , respectu loci alterius B , altior erit quantitate 5 milliaria Germ.; reliquorum autem locorum inter b & B intermediorum altitudo versus B magis magisque decreset, quo magis magisque crescit salitudo atque gravitas specificæ aquæ versus B . Ad gradum autem salitudinis pro diversis tractibus Oceani diversum conservandum interservire videntur diaphragmata maris cœca atque interrupta, & spatiosissima loca tantum non vadosa, in fretis & Archipelagis præcipue obvia, item Euripi maris forbentes vomentesque, & flumina continentis aut Insularum, in Oceanum continuo sese exonerantia, & ista quidem omnia suis quæque locis aptissimis distributa, aut collocata.

Hæc ipsa tamen magis pro Cel. *Cassino* dicta velim, quem maria atque Oceanum pro aquis stagnantibus habere video, quam pro me, qui æquilibrium marium non agnosco, sed aquas marinas omnes continuo per declivia fluentes itatuo, æque ut flumina continentis, sed diversis tractibus eam diversâ directione, ita quidem attemperata, ut, non obstantem motu progressionis aquarum, maria, ope circulationis aquarum superficialium & subterranearum, in *Dissertatione de Origine fontium* descriptæ, sint in statu manente, si a regulari & irregulari æstus marini reciprocatione, in nonnullis saltem fretis & litoribus observabili, discesseris. (Neque enim ullæ, quantum mihi constat, adstant observationes, per quas adduci possem, ut crederem, fluxu & refluxu maris prope litora observato, idem quoque in alto maris atque in Oceano aperto ipso contingere; at vero Physici omnes in eo consentiunt, maxime cavendum esse, ne vitium subreptionis in observando committatur. Enimvero, de hoc motu maris quid mihi videatur, nunc nihil dicam.)

Pergo ad secundum, quod me propius attingit, dubium: posita nempe tanta inæqualitate Telluris, in loco Terræ aliquot milliaria super planitie maris elevato descensum Mercurii in barometro admodum enormem fore, (uti vel ex eo judicari possit, quod, adscendendo in locum atmosphæræ 60 saltem pedi-

B.


C.

TAB. III
Fig. 3.


bus altiore, Mercurius jam per spatium unius lineæ descendisse reperiatur,) tam enormem autem Mercurii descensum nusquam observatum esse. Hæc difficultas ita videtur tolli posse. Sint (*Tab. III Fig. 3*) *D, A, & B*, loca aut Meridiani, aut Æquatoris, aut alius arcus maximi terrestris, inæqualiter a centro Terræ *C* distantia, & a se invicem valde remota; ducto arcu Circuli *Aa*, erunt loca Atmosphæræ *A & a* æqualiter a centro *C* remota. Jam in loco humiliore *B* ponatur Mercurius in barometro consistere ad altitudinem 28 digit. Paris. Quid futurum est, si ex *B* verticaliter ascenderetur ad altitudinem *Ba* e. g. 60000 pedum? Nonne Mercurius in loco Atmosphæræ *a* per spatium admodum enorme (e. g. secundum regulam satis notam, $292'' = 24'' 4''$) descenderet? Omnino recte. At, si ita pergimus: ergo, ob distantias a centro Terræ *CA & Ca* inter se æquales, etiam in loco Terræ altiore *A* erit altitudo Mercurii $= 28'' - 24'' - 4'' = 3'' 8''$ consequentia non videtur admittenda. Non enim adsunt cetera paria; aer namque in *A*, tanquam superficiæ Terræ proximus, adeoque multo crassioribus gravioribusque vaporibus longe lateque obsessus, multo densior erit aere in loco *a*, tam longe a Terra remoto; & si vel maxime densitas aeris in *A & a* eadem foret, tamen ejus temperies, a calore solis profecta, admodum diversa erit, nempe in loco *A* superficiæ terrestri proximo, aer omnibus radiis solaribus incidentibus & reflexis simul agentibus obnoxius est, cum aer in *a* longe maximam radiorum incidentium partem versus *B* transmittat, & præterea multo pauciores radios reflexos recipiat, adeoque elater aeris in *A* multo major erit, quam in *a*. Ex hac ergo duplici diversitatis ratione fiet, ut Mercurius in barometro circiter æque alte ascendant in *A*, quam in *B*. Quibus consideratis, non video, quomodo, posita Terræ forma valde inæquali, qualis est, figuram sphericam Atmosphæræ tribuere possim. Sed malle statuere, (quod ipsum me dicturum conjectas - -) Atmosphæram ordinarie sese componere ad inæqualitatem tractuum terrestrium, ita scilicet, ut hæc figura sæpe in ingenti tractu haud parum varietur, atmosphæra suos, ut ita loquar, fluxus & refluxus habente,
dum

dum super aliquo Telluris tractu aut densitas aeris, aut elater, (quibuscunque tandem ex causis parum cognitis hoc accidat,) crescit, aut decrescit.

Ex ejusmodi figura Telluris atque Atmosphære valde inæquabili, verisimilem, credo, rationem reddere licet de eadem mutatione barometri, in diversis Terræ regionibus diversam tempestatem prænuntiante, adeo, ut amplius non mirer, quæ miratur *Ramazzini* de regionibus Mutinæ atque Palæstinæ. Vid. *Acta Er. Lips. A. 1696 pag. 42, 43*. Nam ventus borealis, & præcipue N. W. (A), Mutinam (a, vel potius B,) adventat ex locis Alpibus omnium altissimis, &, ob Sabaudicæ montes interjectos, non tam ruit in inferiorem, quam superiorem, partem columnæ aeris Mutinensis, nec adeo inferioris pressuram impedit, sed adjuvat, & tam altitudinem, quam pondus, columnæ atmosphæricæ Mutinensis extra ordinem auget, &c. Unde non omnino ex vano hausta videtur observatio *Cartesii*, in *Physicis* afferentis, Boream (quod ego addo, e. g. in regionibus mari Baltico, Germanico, Cantabrico, aut Alpibus ad austrum sitis,) quasi ex alto ruere. Contra autem auster aut S. W. (B), Mutinam (A) adventat inde a freto Galitano, hoc est, ex locis marinis satis notabiliter depressis, &, ob tractus montosos non interjectos, haud dubie irruit in inferiora columnæ atmosphæricæ Mutinensis, ejus pressionem magna ex parte sufflammat, consequenter pondus atmosphæricum minuitur, vapores præcipitantur, &c. Nec adeo in casu prioris opus est, ut ad nescio quos nitrosos vapores recurramus, quos Boream advehere fingit *Ramazzini* loco citato. Eadem facilitate physice explicari posse videtur illud, quod *Luc. XII, 54, 55*, habetur, de Austro serenam & calidam, de Zephyro pluviosam, tempestatem in Palæstina præfagiente, si modo, respectu Palæstinæ (B), attendamus ad situm admodum alti & calidi tractus Africæ (A), secundum longissimum Nili decursum, versus Palæstinam declivitatem habentis, & quod magnis tractibus montosis, Nubiæ, Ægypti superioris, & Arabiæ Petrææ, interpositis, efficiatur, ut ventus iste, ex alto veniens, non facile in inferiora columnæ atmosphæricæ Palæstinæ irruere possit; in altero autem casu, si attendamus ad situm maris Mediterranei (B), versus Palæstinam



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1742

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 K 4⁰

(A) acclivitatem habentis, nullis hic montibus interjectis. Ex iisdem quoque principiis sic satis bene concipio, cur (quod in *Actis Er. Lips. A. 1703 pag. 258* refertur.) indicationes Barometri in Gallia (B), & Anglia (A), non satis sibi constare deprehendantur; item cur in locis Galliae meridionalibus (A) scala totius variationis Mercurii minor sit, quam in septentrionalibus (B), & cur hujus contrarium obtinere observetur in Helvetiae meridionalibus (A), & septentrionalibus (B), si praeter cetera considero, ventum occidentalem (B), Gallis ad meridiem sitis (A), ob satis vicina montis Pyrenaei iuga, non adeo facile in inferiora columnae atmosphaericae ruere posse, quam Helvetiis meridionalibus adhuc altiori loco sitis, & magis a monte Pyrenaeo remotis; accedit, quod Meridionale Galliae, ob satis vicinum montem Gebennam, (conf. *Carte de France*, in *Opere de la Grandeur & de la Figure de la Terre*,) magis contra Boream tecti sunt, quam quidem Helvetii, nullum ejusmodi murum naturalem Boreae oppositum habentes; si praeterea considero, Septentrionalia Galliae (B) multo depressius sita esse, quam Septentrionalia Helvetiae (A), uti ex cursu fluminum Rheni, Sequanae, & anterioris partis Rhodani, haud difficulter intelligitur. In quo negotio obiter monere consultum duco, si quid certi de integra scala variationis barometricae, in diversis locis diversa, aut observare, aut etiam praedicere, velimus, non ingentem Terrae tractum cum ingenti tractu, sed mediocrem saltem, seu locum cum loco satis dissito, conferendum esse. Sic tandem spes est, combinatis observationibus de mutatione Barometri ventorumque cum vera Telluris figura, distantia situque tractuum montosorum marinorumque non neglectis, eo rem perductum iri, ut Barometra usum habeant non solum in dicenda tempestatum mutatione, sed (quod haecenus desideratum est) etiam in praedicenda.

D. Tertium dubium --- exhibet plura haud levis momenti argumenta, quae directe tendunt ad eam, quam affirmavi, superficiei terrestri atque marinae inaequalitatem evertendam. Ad quae singula seorsim antequam respondeam, non a proposito alienum videbitur, in antecessum annotasse, quid desiderem in demonstratione pro sphaericitate maris, quam *Tacquetus* dedie
in

in *Appendice Elem. Geom.* Eam ipsam (non, quod Autor contendit, directam, sed) indirectam esse, ut appareat, completam redditam exhibebo, ita quidem, ut, quæ inclinatis literis expressi, designent ab Autore omittâ, majusculis autem notata ostendant Propositionem falsam ingredientem. *Maris superficies aut spherica est, aut non est spherica.* Ponamus, superficiem maris non esse sphericam. Ergo omnes superficiæ marinæ partes non distant æqualiter a centro. Ergo una est altior altera; altiorem enim esse, non aliud est, quam longius a centro recedere. Ergo ea, quæ altiores sunt, desluunt versus minus altas, seu decliviores; hanc enim esse humidæ naturam, experientia constat. Ex tali autem desluxu necessario oritur omnium partium superficiæ marinæ æqualis altitudo, seu distantia a centro. Æqualis vero omnium partium superficiæ marinæ a centro distantia infert sphericitatem ejus perfectam. Ergo maris superficies spherica est. *Sed eadem (per hypoth.) non est spherica.* Ergo maris superficies simul est & non est spherica. Quod cum sit absurdum; falsum est, quod sumebatur, superficiem maris non esse sphericam. Verum igitur est alterum, superficiem maris esse sphericam. Hic manifestum est, ex tali desluxu necessario non oriri omnium partium superficiæ marinæ æqualem altitudinem, nisi in hypothesi, si partes altiores desluentes non aliunde continuo restituantur, nec, quæ desluxerunt, continuo exhauriuntur. Enimvero, cum isthæc hypothetis naturæ maris cognitæ repugnet, uti ex fluminibus, in mare continuo desluentibus, item ex continuo vaporum adscensu, & præcipue ex Euripis forbentibus, apertis aut cæcis, aquam, vi desluxus adscensuram, continuo exhaurientibus, me vel non momento intelligitur; apparet, *Tacqueti* demonstrationem nullam esse.

Quod attinet ad difficultates, quas commemoras ---, de extrema subtilitate observationum, circa libramen fluminum instituendarum, quod scilicet vix ac ne vix quidem ejusmodi instrumenta habeantur, quibus declivitas fluviorum exactissime indicari possit; quod dioptræ sæpenumero a veritate satis notabiliter abluant; quod radii luminis, etiam prope superficiem Terræ, non in linea recta incedant: ex quibus omnibus in libranda altitudine

titudine aquarum errores magni momenti resultare possint; fateor, has difficultates non permissuras, ut, repetita licet aliquoties operatione, altitudo locorum valde distitorum satis accurata haberi possit, si nunc de minutis in locis terrestribus valde distitis librandis ageretur (veluti cum flumen flumini committendum, ubi saepe periculum inundationis ingentium tractuum subest, si in librandis altitudine locorum extremorum vel paucos pedes aberratum fuerit,); si praeterea instrumenta excogitari non possent magis fida, magisque ad usum commoda, & istis incommodis non obnoxia. At vero, cum nunc solum agatur de superficie longissimorum fluminum inter ostium & fontes librandis, eo saltem fine, ut pro valde notabili inaequalitate Telluris exploranda appareat, an intra cursum flumini 100 pluriumve milliarium Germanicorum ejus superficies quantitate 10000, aut 20000, aut amplius, pedum sublederit, ita, ut pro hoc scopo obtinendo perinde habeatur, si aggregatum errorum, in observando commissorum, forte ad 100, aut paulo plures, pedes excrecere potuisse, ponamus, si non; difficultates commemoratae in hoc negotio consideranda sunt, ac si plane non adessent, & propterea libellae, quibus recentiores Mathematici uti solent, satis respondente eventu hic adhiberi possent, quemadmodum colligere licet ex observationibus Gallorum pro librandis altitudine fluminis *Eure*, respectu arcis *Verfalix*. Vid. *Cel. de la Hire* Praefatio, *Traictatū Mariotti du Mouvement des eaux* praemissa, item *Mappa agri Parisiensis*. Imo ne quidem necesse est, ut concedam, evitari non posse, quin in flumine 100 mill. Germ. librando error 100 circiter pedum irrepit; hac enim occasione nuperrime excogitavi machinam in suo genere perfectissimam, & his operationibus aptissimam, quae tantam accuratorem admittere videtur, ut in spatio 100 mill. Germ. circumspicere Observatori vix 3 pedum error in librandis aquae metuendus esse videatur. Enimvero exactam hujus machinae descriptionem, ejusque usum expeditissimum, in aliam occasionem rejicere visum est.

Porro videris - - multo magis de insigni superficie marinae, quam terrestris, inaequalitate dubitare. At illa ex hac consequitur, et tantum non semper utraque eadem opera in-

vestigatur. E. g. si quæstio esset de libranda altitudine maris Balthici ad ostium Viadri, respectu Oceani Germanici ad Aibis ostium; nulla alia re opus esset, quam ut, incipiendo ab aquæductu Viadrino prope Francofurtum, quem gloriosissimæ memoriæ *Wilhelmus M.*, Princeps Elector Brandenburgicus, pro Viadro & Albi conjungendis perfecit, investigaretur, quantum depressius situm sit ostium utriusque fluminis respectu illius termini comunis; harum enim altitudinum differentia dabit quæsitum.

Ceterum difficulter adduci possum, ut credam, tam exiguam & fere contemnendam parvitatis in Gallia repertam esse fluminum declivitatem, ut (quod alicubi legisse te meministi) alvéus fluvii modice rapidi uno saltem pollice, rapidissimi autem superficies vix duobus pollicibus, per intervallum 100 pedum, subsederit. Si memoria non sefellit, valde suspicor, per errorem typhothetæ, facile committendum, accidisse, ut loco 1' et 2', ibi exstet 1'' et 2''. Nimis enim exigua est ista fluminis modice rapidi declivitas 1' : 1200'', quippe quæ etiam pro lenissimi cursus flumine *Arare* vix ac ne vix quidem sufficeret, de quo, tanquam de re valde insolita, *Julius Cæsar de Bello Gallico Lib. I Cap. 12* ita refert: *Flumen est Arar, quod per fines Aduorum & Sequanorum in Rhodanum influit, incredibili lenitate, ita, ut oculis, in utram partem fluat, judicari non possit.*

Quando etiam quæris - - -, quibus observationibus inductus, in fluminibus modice rapidis mediam declivitatem statuam dimidii, in magis rapidis integri, pedis; responsionis loco primo me tuebor autoritate Illustris *Wolffii*, qui (in *S. 902 & 920 Elem. Mech. Lat.*) pro aqua in rotam directam deducenda, jubet aquam ex flumine in idem flumen deducere, ita, ut aquæ in canale fluenti pro singulis 100 pedibus relinquatur declivitas $\frac{1}{4}$ aut $\frac{1}{2}$ unius pedis, ne nimis segniter fluat, et ut omne præcipitium aquæ 10 pluriumve pedum intra canalis longitudinem (quæ per experientiam intra 600 & 1000 pedes esse solet) acquisitum impendatur in rotam agitandam, &c. Is certe hæc non ex suo ingenio scripsit, sed procul dubio ex Practicorum libris, de molendinorum exstructione agentibus, trans-

scripsit, nec opus esse judicavit, citatis Autoribus confirmare rem, ex tot molendinorum quotidiano fere conspectu satis obviam. Deinde consului etiam tres *Zürneri* Mappas topographicas regionis Dresdensis, Grossen Hayn, et Thermarum Carolinarum, stupenda diligentia multorumque annorum labore coniectas. Ibidem frequentissime conspiciuntur molendina, plerumque rota directa, in modico flumine extracta, ita, ut sæpe in intervallo unius milliarii Germ. vel 6 molendina se invicem excipiant, satis testantia de media declivitate fluminum 1 : 200 majore, præsertim cum haud dubie etiam in locis intermediis aliquot molendina extrui potuissent, si aut pluribus in isto tractu opus fuisset, aut colles, hic illic ripæ fluminis imminentes, abessent, aquæductum non passuri. Et, si illa ex observationibus Gallicis adducta declivitas 1 : 1200 vera esset, quomodo ex tali flumine alveus duci posset pro unico saltem molendino rota directa 10 pedum agitando? Longitudo enim canalisi ducendi 12000 pedibus, hoc est, dimidio milliari Germ. major esse deberet; qualis impensâ pro molendino extruendo fieri nequit. Ut taceam, ex avtopsis mihi constare de admodum multis minoribus fluminibus, tantam declivitatem longe excurrentem habentibus, ut vel oculorum judicio angulum declivitatis superficiei uno gradu haud dubie majorem æstimaverim, ex quo resultat declivitas alvei \geq 1 : 50. Quin & nuperime a Mechanico Practico nostrate mecum communicate sunt descriptiones aliquot molendinariorum, haud procul Gedano obviorum. Nempe ad flumen *Kludau* mensura declivitatis aquarum seu $\frac{A}{L}$ reperiebatur esse

$$\text{pro tractu } \alpha) \frac{A}{L} = \frac{12 \text{ ped.}}{55 \text{ pert.}} = \frac{12 \text{ ped.}}{55 \cdot 15 \text{ ped.}} = \frac{4}{55 \cdot 5} = \frac{4}{275} = \frac{1}{69} \text{ fere.}$$

$$\text{--- } \beta) \frac{A}{L} = \frac{12 \text{ ped.}}{44 \text{ pert.}} = \frac{12 \text{ ped.}}{44 \cdot 15 \text{ ped.}} = \frac{4}{44 \cdot 5} = \frac{1}{11 \cdot 5} = \frac{1}{55}$$

$$\text{--- } \gamma) \frac{A}{L} = \frac{(11+3) \text{ ped.}}{(140+20) \text{ pert.}} = \frac{14 \text{ ped.}}{100 \cdot 15 \text{ ped.}} = \frac{7}{80 \cdot 15} = \frac{7}{1200} = \frac{1}{171}$$

$$\text{ad flumen Rodaune erat } \frac{A}{L} = \frac{10 \text{ ped.}}{(70+70) \text{ pert.}} = \frac{10}{140 \cdot 15} = \frac{1}{14 \cdot 15} = \frac{1}{210}$$

In

In his exemplis declivitates resultantes sunt satis notabiles, etsi saltem mutilatæ sint, cum Prædicus annotare neglexerit præcipitium aquarum supra & infra rotam, item declivitatem alvei artificialis pro motu progressionis aquarum.

De fluminum primæ dignitatis declivitate idem fere dici potest; et, si ex his raro alvei artificiales pro molendinis ducuntur, id non propterea accidit, quod hic tanta, quanta opus est, declivitas desit, sed propterea, quia, his incumescensibus, periculum inundationis agrorum metuendum est, et præterea nimis, quos firmitas canalium postuleret, sumptibus parcitur, præsertim cum nulla sit inopia fluviorum minorum lateralium ad ejusmodi canales ducendos aptiorum. Accedit altera ratio pro notabili declivitate maximorum fluminum, inde petenda, quod capacitas alvei, præcipue ad confluentes magnorum fluminum lateralium, vix satis crescere videatur, pro tanta mole aquarum acquillarum, adeoque fluminis principalis declivitatem subinde aliquod augmentum capere verisimile sit.

Ex sola celeritate fluminis de quantitate declivitatis ejus judicari non posse, tantum concedo, si alvei naturalis & declivitas FG , & latitudo aut figura alvei uniformis esset, qualis in Hydraulicis per hypothelin poni solet, quia tunc, celeritas fluminis, manente licet eadem exigua declivitate, ex natura descensus gravium super plano inclinato, continuo crescat, necesse est. At vero, cum (*Tab. III Fig. 4*) alvei naturalis & latitudo & declivitas I/gG variabilis sit; (uti observare licet non tantum ex inæquali profunditate medii fluminis, itemque ex locis vadosis, sed & in alveis, quos flumen mutato cursu dereliquit, aut quando hostis, in obsessorum incommodum, flumen avertit: declivitas alvei naturalis re vera est ex declivitatibus & acclivitatibus alternantibus ita composita, ut illæ has excedant, & harum objectu celeritas fluminis crescens repetitis vicibus temperetur, flumenque, ob resultantem inde celeritatem medioerem, etsi non ubique eandem, navigabile conservetur. Nimirum declivitas alvei, ante vadi jugum amissa, modico post vadum spatio iterum acquiritur; quo ipso celeritas aquæ superficialis, alias nimium augmentum captura, ita opportune minuitur, augeturque, ut propterea flumen ante et post vadum

TAB. III
Fig. 4.

notabiliter nec intumescat, nec detumescat, ob commodam latitudinem variabilem respondentem. Quae cum ita sint, puto, ex media celeritate duorum fluminum inter se comparata ruditer judicari posse, uter fluvius majorem declivitatem mediam habeat. E. g. si in duobus fluminibus α & β celeritates mediae (de superficialibus loquor) fuerint ut 2 : 3, hoc est, fere ut

$$\sqrt{1} : \sqrt{2}, \text{ declivitates mediae } \frac{Fb}{FG} : \frac{FH}{FG}, \text{ seu } \frac{Fb}{FG} : \frac{FH}{FG}, \text{ seu } Fb : FH$$

circiter erunt ut 1 : 2, posita profunditate ad sensum eadem. Ceterum in flumine celeritatis commodae, & status (cum suas saltem aquas vehit) manentis, semper alternare debent

{ Figurae compositae alvei, L cum D ; $L+l$ cum $D-d$; & $L-l$ cum $D+d$; sequente iterum L cum D ,
 { quibus respondent celeritates C ; $C-c$; $C+c$; C

& sic porro: ubi L & D & C designant latitudinem, declivitatem, & celeritatem mediam, $L+l$, & $D+d$, & $C+c$ autem latitudinem, & declivitatem, & celeritatem, quantum ad perfectionem totius fluminis opus est, auctam vel diminutam. Idem de figura alvei maris, freti, oceanique, mutatis mutandis, intelligi velim. Nec injucundum erit hoc loco observasse, naturam variis modis uti, pro crescente fluminis celeritate inter datos terminos quocumque pretio temperanda, & ex his modis eum sequi, qui naturae soli circumjecti maxime accommodatus videtur. Nimirum, si solum circumjectum aut satis aequabilem planitiem habet, (ob quam, necesse non est, ut latitudo fluminis crescere debeat,) aut si frequentes habet colles ripae cis & ultra imminentes (qui pro latitudine fluminis crescente darent ripas nimis altas, & ad perpendicularum directas, adeoque eluvioni obnoxias, & ad usum impeditas,): tum aut via fluminis inter hos terminos fit satis flexuosa, ut eadem differentia altitudinum terminalium, relata ad longitudinem viae auctam, det mensuram declivitatis minorem (cujus rei exemplum praebet Mosella, Rheno appropinquans,); aut si solum circumjectum abundat brevibus colliculis, per valles respondentes distinctis, tum flumen valde notabilem & longe lateque excurrentem latitudinem acquirit, sed multis insulis distinctam, ut, fluminibus in flumine nascentibus, via torrentis satis tortuosa seu aucta evadat (sit exemplo Viadrus

drus inter Gartziam & Sedinum Pomeraniae, Tagus ante Lisbonam, Rhenus prope Argentoratum, Albis ad Hamburgum, item tractus Albis, in mare properantis,) ; aut si solum circumjectum (vel ob montes nimis vicinos, vel ob strata saxosa, ibi frequentia,) istos modos non admittat, flumen intra modicos terminos habet aliquot breves cataractas, navigantibus tamen superabiles, & modico spatio a se invicem distantes, ut ante & post eas usus fluminis satis commodus evadat, etsi ad cataractas sit tractatu paulo difficilior (quales cataractas, navigationem non plane impediens, habet Danubius prope Vidinum, Borysthenes 12 cataractas paulo infra Kioviam, flumen Tornea 8 cataractas inter pagos Torneam & Kittis,) ; aut si nec hoc natura sibi patiatur, flumen loco commodissimo unam ingentem acquirit cataractam, vivo durissimoque saxo minutam (e. g. Rhenus prope Scaphusiam,) quae, etsi ipsa navium impatiens sit, nihilo minus tamen efficit usum fluminis perfectiorem, quam sine ejus interventu futurus esset ; aut, si tantae cataractae apertae locus commodus (ob tractum montosum occurrentem) desit, flumen pro eodem fine obtinendo canalem subterraneum ingreditur, cataractas sufficientis altitudinis ibi passurum, & loco commodo ex caeco itinere emerfurum ; cujus rei exempla satis nota sunt, etsi minime saepe obvia.

Quando praeterea objicis ---, celeritatem fluminis non solum a declivitate pendere, sed a motu semel concepto, & praecipue etiam ab amplitudine alvei, quae quo minor fuerit, eo major evadat, necesse est, aquae celeritas, ea locum habere largior in hypothese declivitatis uniformis. Quare, cum alvei naturalis declivitas talis non sit, nec thesin propositionis hic locum habere existimo.

Si quis denique maxime urgeat motum semel conceptum, &, concipiendo alveum perfecte horizontalem, in quem ex receptaculo, in sublimi loco posito, aqua continuo desluat, assermet, per hunc alveum sine dubio fluvium gigni, qui longissime certo cum velocitatis gradu progredietur, licet re vera nulla declivitas in alveo insit ; faterer, mihi ista vix ac ne vix quidem persuaderi posse. Dissentiendi rationes has habeo. Primo non video, quomodo ejusmodi flumen per ostium in mare ejusdem superficiei (per *hypoth.*) horizontalis, & praeterea majoris gravitatis

tatis specifica, irrumperere possit, cum ejus celeritatum terminalium maxima esse debeat ut \sqrt{P} , denotante P perpendicularum sectionis in hocce casu constans, & celeritas maxima aquæ marinæ contra nitentis (etiamsi a gravitate specifica majore abstrahamus,) itidem futura sit ut \sqrt{P} , nisi forte tacite supponatur, superficiem fluminis horizontalem paulo altiore concipi debere horizontali superficie maris. In hac hypothese equidem concedo, aquam fluminis alvei horizontalis in mare irrupturam, sed tamen ejus superficiem non amplius parallelam fore alveo horizontali, quin potius declivitatem versus mare acquisituram, quæ, etsi saltem per rationem 1:4000 exprimeretur, nihilo minus pro longitudine fluminis 400 miliarium Germ. postulare lapsum aquæ superficialis (etsi incredibili lenitate fluentis) $1 \frac{1}{2} \frac{1}{2} \text{ mill.} = \frac{1}{3} \text{ mil. Germ.} = 2000 \text{ ped. geom.}$ hoc est, profunditatem aquarum fluminis prope fontes & prope ostium comparando, illa hac major esse deberet quantitate 2000 ped. geom. Quod quin a rei veritate abhorreat, dubitari nequit. Quia igitur ejusmodi flumen, posito ejus alveo horizontali, cataractam in ostio habere nequit; ponamus, superficiem fluminis fundo horizontali parallelam esse, & in superficie maris continuata, & nihilo minus nullam difficultatem superesse debere pro aquis ejus in mare exonerandis. Quid ad id præstandum requiritur? Ego rem ita concipio. Quando fons ex receptaculo sublimi aquam effundere cœpit, ea per vim impressam (ex notis causis brevi extinguendam) ad satis mediocrem a fonte distantiam progredietur, nec ultra perget, nisi quia ob affluxum aquæ non cessantem altitudo sectionis magis magisque crescit, & hæc ipsa tam diu crescere debebit, donec tanta evadat, ut aqua superior, inferiorem premens, tantundem aquæ versus ostium continuo urgere possit, quantum ex receptaculo sublimi continuo defluit. Simul ac res eo perducta est, motus aquæ superficialis fiet infinite parvus, seu $= 0$, uti ex Illustris Wolffii Elem. Hydraul. §. 233 apparet. Nam, quia nunc

TAB. III (Tab. III Fig. 5) angulus declivitatis alvei ABD ($= BAF =$
Fig. 5. FBL) est $= 0$ (per *hypoth.*); cadet AB in DB , BI in BF , &
superficies fluminis AC in AF , consequenter C in verticem L
parabolæ LGH , mensurantis celeritates aquæ per sectionem CB
($= LB$)




Fig. I.




Fig. II.

Fig. III.

Fig. IV.

Fig. V.

($= LB = FB$) fluentis, adeoque semiordinata CG , hoc est, celeritas aquæ superficialis, erit $= 0$, hoc est, celeritatum terminalium una CG respectu alterius BH evanescet. Jam vero, cum in quocunque flumine dato celeritas aquæ superficialis non sit $= 0$, sed finita, eaque (quod per observationes communes constat) satis notabilis: hæc autem præ terminalium altera BH evanescere debeat (per *demonstr.*); debet semiordinata BH esse infinita, consequenter & axis LB , hoc est, in nostro casu profunditas fluminis FB , infinita erit. Quod cum sit absolum; patet, credo, nullius fluminis alveum horizontalem esse, nec esse posse. Accedit, quod, posito alveo fluminis horizontali, & progressu aquæ a solo motu semel concepto pendente, sequatur, ex fluminibus alveos duci posse, per quos aqua cursu retrogrado ad anteriorem locum fluminis quantumlibet remotum, imo usque ad fontes ipsos, reverti possit; quod omnium seculorum experientia de aquæduclibus acquisita adversari satis patet, modo recordemur, ducendo alveum versus ostium semper obtineri præcipitium aquarum aut continuum aquæ affluxum pro rota animanda, per alveum autem versus fontes ductum nullo modo rem succedere.

Ex omnibus igitur, quæ partim in hac Commentatione, partim in Dissertatione *de Origine Fontium* §. 4, 16, 17, 29, 30, 31, 38, 39, 49, 53, 59, 63, 64, & præcipue in §. 18, de admodum diversa diversorum locorum continentis, itemque de diversorum marium oceanique in diversis locis diversa, altitudine affirmavi, & nunc a variis speciosis dubiis vindicavi, satis constabit, Tellurem considerari non posse ut solidum ex rotatione figuræ circa axem genitum, veramque ejus figuram tam a spheræ, quam spheroidis depressi aut oblongi, figura admodum notabiliter recedere, quin potius Tellurem pluribus in locis, terrestribus æque ac marinis, valde gibbosam esse, & nihilo minus figuram ejus maxime compositam, aut in sensu saltem geometrico valde irregularem, ex diligenti consideratione declivitatis præcipuorum fluminum mariumque quam proxime determinari posse, Academiis Scientiarum tanti operis magnifici curam atque executionem suscipientibus. Quæ cum ita sint, non amplius quærendum esse censeo, an axis Telluris diametro

NOV. ACT. ERUD. MENS. MAJI A. MDCCXLII.

metro *Æquatoris* major sit, an contra: sic enim Telluri tacite jam tribueretur figura sphaeroidis oblongi aut depressi; sed saltem quaerendum restat, quantum loca Telluris in *Æquatore* aut extra eundem data a centro Telluris distent, alteraque alteris sint altiora aut depressiora. Nam axis quidem Telluris, utpote unicus, sibi ipse constans est; at diameter *Æquatoris* variabilis est, pro diversis namque tractibus diversa; adeoque fieri potest, ut diameter *Æquatoris* sit alicubi major, alibi minor axe Telluris, rursus alibi eidem æqualis. Unde etiam colligere licet, mihi ipsi non amplius probari, quæ in *Dissertationis* citatae §. 9 de *æquilibrio* aquarum Oceani; in §. 11 de Oceano sub *Æquatore* ubique depressiore, quam extra eundem; in §. 13 de axe Telluris *qualibet* diametro *Æquatoris* majore, affirmavi, præsertim cum observatio 2 in §. 6 de salitudine maris sub *Æquatore maxima*, nondum satis explorata habenda sit, & in nonnullis tractibus exceptionem pati videatur. Nam, etsi ab initio mecum constitueram prorsus abstinere a figura Telluris tantopere controversa, & ex figura marium Oceanique præcipue æstimaanda, nihilo minus, postquam in *Dissertationis* §. 2 n. 6 sub manu mihi nata erat nova prorsus & inexpectata Propositio, quod, data longitudine & declivitate fluminis divergentis, & in diversa maris loca, aut in diversa prorsus maria, sese exonerantis, determinari possit, quantum superficies maris ad unum ostium altior aut depressior sit superficie maris ad ostium alterum, tractus sum ad eam, quam vitare volueram, disquisitionem, majorem utique diligentiam ac circumspeditionem in perquirendis Mappis Hydrographicis, & constituendis observationibus marinis, postulāntem, quam aut temporis exiguitas, aut non sat magnus modus *Dissertationi* præfinitus, patiebatur; in rebus autem physicis, quod nemo dubitat, theoriæ emendatio & perfectio ex observationum emendatione & perfectione pendet. Hæc opportune monenda esse duxi, ne quis, actorum non satis gnarus, negligentia aut attentionis defectui tribuat, quæ temporis, spatii, & occasionis, limitationibus debentur. (*)

(*) Reliqua hujus Commentationis Capita in *Mensem* proximum reservantur.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ
Calendis Junii Anno MDCCXLII.
Pars I.*

UTRIUSQUE THESAURI ANTIQUITATUM
*Romanarum Græcarumque Nova Supplementa,
congesta a JOANNE POLENO.
Tomi V.*

Venetis, apud Jo. Baptistam Pasqualium, 1737, fol. maj.
Tom. I Alph. 7 plag. 15, cum Tabb. æn. 3, Tom. II Alph. 6 plag.
14, cum Tabb. æn. 14, Tom. III Alph. 8, cum Tabb. æn. 28, Tom.
IV Alph. 8 plag. 20, cum Tabb. æn. 6, Tom. V Alph. 9
plag. 7, cum Tabb. æn. 5.

Rem profecto fructuosam literis & vehementer opportu-
nam faciunt hi, qui in colligendis Antiquitatum Latinarum
Græcarumque opibus studium operamque collocant
suam. Namque his rebus, tanquam fundamentis, innixa consistit
humanitas, ut ruere non possit antiquitatis cognitio, quin simul
totam humanitatem eadem ruina trahat. Sed, perquam diffici-
lem hanc operam esse periculosamque, nemo potest negare,
qui reputaverit, quanta antiquitatis scientia instructum esse
oporteat eum, qui judicare velit, quinam libri docte feliciter-
que in rebus veterum illustrandis versentur. Neque vero suf-
ficit, ad hoc efficiendum, ut quis ea colligat, & in unum cor-
pus congreget, quæ raritatis pretium tulerunt; sed majus
quiddam & amplius requiritur: id quod præstitisse videtur *Jo-*
annes Polenus, Vir doctissimus & scriptis suis celeberrimus,
cum, quæ reliqua fecerant *Gronovius* & *Grævius*, ea in unum
opus redigeret, & conduceret. Juris publici fecit *quinque*

Tomos Supplementorum ad utrumque *Grævi* & *Gronovii* Theſaurum, tam nitida charta expreſſos, tam illuſtribus & perſpicuis literis exſcriptos, tam ſplendidis tabulis & figuris æneis præne innumeris ornatos, ut nullis ſumptibus bibliopolæ, nulli labori ac ſtudio Editor, peperciffe videantur. Et non poterat Viris iudicii & doctrinæ elegantia celeberrimis, *Grævio Gronovio*que, ab ullo rectius ſuccedi, quam a *Poleno*, qui ita eos referendos imitatione putavit, ut ab eorum conſiliis, & tota operis forma, ne minimum quidem recederet. Igitur ab initio ſtatim in Præfatione, toti Operi fere communi, hoc eſt, *primi Tomi*, eadem repetiit, designatis locis, quæ Autores illi in huiusmodi operibus monenda eſſe duxerant. Et in hoc una pars Præfationis conſumitur; altera autem explicat vitam & ſcripta virorum, quorum quoddam opus in his *Supplementis* apparet, & iudicium interdum quoddam interponit. Et hanc formam per omnes *Tomos* conſervavit. Nunc, quæ in quoque *Tomo* contineantur, breviter commemorabimus.

Ac in *primo* quidem *Tomo*, veſtigiis *Grævii* inſiſtens, propoſuit nobis libros maximam partem ejuſmodi, qui civilem Romanæ Reipublicæ adminiſtrationem illuſtrant. Primum locum obtinent *Pauli Merula Liber poſthumus de Legibus Romanorum*, & alter *de Comitibus Romanorum*. Tum legitur 1) *P. Ottonis Aichevi brevis Inſtitutio de Comitibus Romanorum, Libris .II* comprehenſa; 4) *Franciſci Polleti Hiſtoria Fori Romani* reſtituta, illuſtrata, & aucta; 5) *M. Antonii Majoragii Libellus de Senatu Romano*; 6) *Matthæi Ægyptii S.Cti de Bacchanalibus explicatio*; 7) *P. Burmanni de Veſtigalibus Populi Rom. Diſſertatio*; 8) *Balthaſaris Bonifacii de Archivis Liber ſingularis*; 9) *Albertini Barifonii de Archivis Commentarius*; 10) *Scip. Gentilis Diſputationum illuſtrium, ſive de Jure Publico Populi Romani Liber*; 11) *Alberici Gentilis de Armis Romanorum Liber*. In quibus quidem *P. Merula* libri, iudice ipſo *Poleno*, apprime utiles accommodatique ſunt iis, qui *Juſtiani* Inſtitutionibus recte intelligendis interpretandisque operam navare cupiunt. *Majoragii* libellum *Grævius* quidem condemnaverat, & nullum ei pretium ſtatuerat; ſed Doctiſſimus *Polenus* vidit, *Grævium* hunc librum non legiſſe: ſi legiſſet, aliter

ter judicaturum fuisse. Neque enim tam absurdum esse & inutilem, ut a Collectione sua excludendus esse videretur. *P. Burmanni* Dissertatio doctissima truncata est Dissertatione politissima *de Jove κατωβάρη*, quæ ceteroquin illi adjuncta reperitur; propterea quod ad hanc materiam, huic *Tomo* assignatam, non pertinere videbatur. *Alberti* autem *Barisonii* de *Archivis* Commentarius nondum editus fuit. Hunc Doctissimus *Polenus* a Nobilissimo Marchione *Ugolino Barisonio* in *αυτογραφω* accepit, temporis injuria male affectum; sed tamen, ut restitueretur, magnum laborem adhibuit. Is *Barisonius* fuit Nobilis Patavinus, vir humaniorum literarum & Juris utriusque consultissimus, primo Canonicus & Professor Moralium in patria, deinde Episcopus Cenetensis. Vixit usque ad A. 1567, quo anno pæne octogenarius mortuus est. Nihil, quod quidem constet, ex ejus scriptis in lucem editum reperitur. In hoc autem libro de *Archivis*, nunc primum edito, disputat de *Archivis*, seu tabulariis publicis, in quibus commentarii rerum gestarum, acta, monumenta, publice asservabantur; non tamen nihil de privatis *Archivis* perstringit. Tempus, quo institutum Romæ Archivum primo constiterit, quo loco fuerint, cujus curæ demandata, quas res continuerint, quibus subinde commutationibus obnoxia, quæ facies eorum, Cæsaribus Romæ imperantibus, quæ forma Constantinopoli, qui custodes & curatores, quomodo dicti, hæc, inquam, omnia satis docte eleganterque pro illius ætatis habitu exposuit, & illustravit, ita, ut, si hoc nostro tempore forte majori luce perfusa hæc materia appareat, illud non tam hominibus, quam tempori, tribuendum esse videatur. Jam, qui ultimo loco positi sunt Angli cujusdam libri, *de Armis Romanorum*, videntur illi quidem, cum in corpus Antiquitatum sunt adjecti, de *Armis Romanorum* bellicisque machinis, & variis earum generibus, agere; sed omnia alia potius ibi proponuntur. Nam sunt libri duo, qui contrarias de jure & justitia Romanorum bellorum disputationes habent, quibus in utranque partem de iis statuitur ac judicatur. In primo quidem id agitur, ut, Romanorum bella pleraque injuste fuisse & inique commissa, ostendatur, alterius autem disputatio in eo

NOVA ACTA ERUDITORUM

consumitur, ut, quæ priori libro sunt contra justitiam Romanorum bellorum dicta, ea refellantur. Ceterum hic liber eleganter venusteque conscriptus est, ita, ut, Autorem in polita elegantique oratione satis versatum fuisse, appareat. Ceteri, qui in hoc Tomo continentur, libri ita sunt in vulgus noti, ut de iis dicere nihil attineat.

Tomo secundo inserta sunt maximam partem ejusmodi scripta, quæ ad *Inscriptiones, Gemmas, Numos, Marmora, &* alia antiqua monumenta illustranda, pertinent. In quo Cel. Editor veritus, ne, cum eos libros in hoc Syntagma induxerit, harum rerum collectores compilasse videretur, aut certe opus aliquod inutile fecisse, cum singularia ac permulta hujus generis corpora essent. Huic igitur reprehensioni occurrere conatus est statim ita, uti dicat, se nulla alia ex hoc genere commentaria hic proposuisse, quam in quibus viri doctissimi abditos quosdam Græcarum Latinarumque literarum recessus aperuerint. Sed sunt ea: 1) *Cuperi Apotheosis Homeri*; 2) *Ejusdem Cuperi Explicatio Gemmæ Augustæ*; 3) *Numismata*; 4) *Inscriptiones & Marmora antiqua exposita, & illustrata*; 5) *de Utilitate, quam Principes ex Numismatibus capere possint, Dissertatio*; 6) *Schotti Homericæ Apotheosis, in antiquo lapide designata, Explicatio*; 7) *Achates Tiberianus, sive Gemma Casarea, D. Augusti Apothesin, Imp. Caf. Tiberii, Augustæque Julæ domus feriem, iconas, gentesque bello captas, repræsentans, Autore Jacobo Le Roy, Libero Barone S. R. I.*; 8) *Cuperi Harpocrates, & antiqua monumenta*; 9) *Claudii Salmasii Explicatio duarum Inscriptionum, & ad quadam perantiqua Poemata Nota, primo edita Lutetiæ Paris. A. 1619*; 10) *De Diis πæγέδγος, seu assessoribus & conjunctis, Commentarius Georgii d' Arnaud*; 11) *Tobiæ Gushberti Dissertatio de Diis Cabiris, ad editionem anni 1704 expressa*; 12) *de Diis Cabiris Dissertatio Jo. Astorii, Veneti*; 13) *Matthæi Brouerii de Niedeck Dissertatio de Populorum veterum ac recentiorum adorationibus, primum Amstelædami A. 1713 edita*; 14) *Caroli Patini in tres Inscriptiones Græcas Commentarius*; 15) *Ejusd. in antiquum monumentum Marcellinæ Commentarius*; 16) *Ejusd. in antiquum Centotaphium M. Astorii Commentarius.*

Jam,

Jam, quæ ad horum librorum cognitionem aut commendationem pertinent, ex ipsâ Præfatione referemus. Ac primo in *Cuperi* libris indicandis, sicuti & in ceteris, vitam ejus breviter commemorat, & quæ Dissertationi *de Apotheosi Homeri* scribendæ dederint locum, & alia quædam, quæ ad historiam libri pertinent, exponit. Tum vero, cum in ipsâ *Cuperi* Dissertatione *Homeri* sedentis effigiem non reperisset, eam Cel. Editor in Præfatione exprimendam bona fide curavit. Quæ *Cuperi* Dissertationes excipit, *Schotti* Explanatio *Homericæ Apotheosæ*, ea Gallice prodierat *Amstelædami* A. 1714. Sed, cum Cel. Vir videret, eam quasi supplementum quoddam & accessionem ad *Cuperi* librum esse, eam in Latinum convertendam a Doctissimo Viro, *Petro Fucciolo*, & his *Cuperianis* subjiciendam, curavit. Reliqua, quæ de hoc libro commemorantur, eam jam sunt in his *Actis* A. 1715 & 1718 prodita. *Cuperi* autem *Harpocratæ* ad novissimam, & ab ipso *Cupero* auctam, editionem expressit. Cui quoniam adjecit *Cuperus Stephani le Moyne* Epistolam *de Melanophoris*, eam & Noster relinquere noluit. Dissertatio *Astorii*, Veneti, *de Diis Cabiris Venetiis* primum A. 1703 vulgata est, nunc autem ab ipso Autore iterum emendata, atque aucta. Ad quem librum utile esse putavit Cel. *Polenus*, doctissimi *Montesulconii* quasdam explicationes tabularum, ex iisdem fontibus derivatas, referre ex libro, qui inscribitur *l'Antiquité expliquée & représentée en Figures Tom. I Part. II pag. 300 seq.* De ceteris, nihil est, quod dicamus; quod omnia satis nota omnibus ac pervulgata arbitramur.

Ad multos difficilesque Autorum locos & intelligendos & explicandos pertinet imprimis etiam cognitio accurata servorum Romanorum, eorumque ministeriorum, ordinum, aliarumque rerum, quæ ad eos spectant: neque ea est antiquitatis studiosis negligenda. Quare, cum in *Antiquitatibus Grævi* parum inveniret Cel. *Polenus*, quod quidem servorum conditionem explicaret, non dubitavit, tertium horum *Supplementorum Tomum* in hac parte antiquitatis consumere, eique varios doctorum hominum libros, ad hunc locum pertinentes, inserere. Neque putabat doctissimum *Grævium* eos libros

prætermisurum fuisse, nisi, recens tum editis libris in *Theſaurum* inducendis, bibliopolis injuriam jacturamque afferri noluisse. Sed, quæ hic reperiuntur, sunt hæc: 1) *Antonii Francisci Gorii Descriptio Monumenti sive Columbarii libertorum & fervorum Livie Augusta & Caesarum*, XX æri incisis tabulis illustrati; 2) *Octavii Ferrarii Dissertatio de Balneis*; 3) *Ejusd. Dissertatio de Gladiatoribus*; 4) *Nic Calliacii Dissertatio de Gladiatoribus*; 5) *Ejusd. Dissertatio de Suppliciis fervorum*; 6) *Wilhelmi a Loon Eleutheria, seu de Manumissione fervorum apud Romanos Libri IV*; 7) *Jo. Jac. Claudii Diatribæ de Nutricibus & Pedagogis*; 8) *Hieronymi Mercurialis de Arte gymnastica Libri sex*; 9) *Antonii Bombardini de Carcere, & antiquo ejus usu, ad hæc usque tempora deducto, Tractatus, cum annotationibus, Tractatui ipsi nunc primum subjectis*; 10) *Christiani Schætgenii Historia Librariorum ac Bibliopolarum veteris ac mediæ ævi, ex idoneis monumentis collecta*; 11) *Jo. Andrea Eschenbachii de Scribis Veterum Romanorum Dissertatio*; 12) *Jo. Clerici de Stilis veterum, & variis chartarum generibus, Dissertatio*; 13) *Laurentii Pignorii de Servis, & eorum apud veteres ministeriis, Commentarius*; 14) *Antonii Velferi ad Hieronymum Fabrum, Medicum, de Zeta & Zetario, sive de Diata ac Diatario, Epistola*; 15) *Titi Popma Phrysi de Operis Servorum Liber*. Jam, de nonnullis quid dixerit *Cel. Polemus*, & quid statuendum sit, videbimus. Inter multa antiquitatis monumenta miranda, est sine dubio Columbarium Libertorum Domus Augustæ, juxta viam Appiam hoc Seculo A. 1726 repertum; e quo multa cognosci possunt, quæ cum ad alia, tum imprimis multum ad fervorum libertorumque conditionem illustrandam, valent. Itaque tum temporis in Italia docti homines nihil prius habuerunt, nihilque antiquius, quam ut hoc velut opimum antiquitatis spolum in templo Æternitatis dicuntur conservarent. Sed princeps eruditorum cognitioni proposuit, qua fortuna repertum sit, indicavit, & multa antiquitatis luce perfudit, *Franciscus Blanchinius*, Canonicus Romanus. At, cum reliqua essent in eo multa, quæ doctissimi & in explicandis veterum monumentis versatissimi *Gorii* operam, studium, doctrinamque, flagitare

rare viderentur, hic tam præclaro operi suas opes denegandas esse non putavit. Namque edidit illud in lucem iterum, plurimis Inscriptionibus auctum, & totius monumenti descriptionem, formam, ordinem, diligenter exhibuit, illustravit, & doctissimis animadversionibus, cum suis, tum Celeberrimi *Antonii Murie Salvini*, explicavit. Quæ cum ita sint, nihil ad explicandas servorum libertorumque antiquitates elegantius facere se posse arbitratus est *Cel. Polenus*, quam si hunc Doctissimi *Gorii* librum huic *Tomo* inferendum curaret. Et, cum intellexisset, in *Ghezzi*, Equitis, Opere, nuper edito, quasdam hujus *Columbarii* Inscriptiones inveniri, studiose eas perlustravit, interque se comparavit, & ubi diversitatem lectionis reperiret, e qua ad hoc monumentum aliquid lucis pervenire posset, hic in Præfatione diligenter significavit. Nam totum illud *Ghezzi* Opus, cum tantummodo Inscriptiones sine explicatione & illustratione referret, non erat ejusmodi, ut in sua Antiquitatum Supplementa referendum existimaret. Dissertationes autem *Ferrarii de Gladiatoribus*, binæ *Calliuchii, Jo. Clerici una de Stilis veterum, Velferi* Epistola *de Zeta & Zetario*, hominum doctissimorum, ne quis putet libros esse, totas Dissertationes duæ tresve paginæ capiunt; sed pretium scriptis non ex mole, sed ex præstantia, statuendum esse constat. Jam in Dissertatione *de Suppliciis servorum* exponuntur instrumenta, quibus poenæ infligi solitæ fuerint, lora, nervi, fustes, flagra, virgæ, scorpiones, & vites. Quæ, cum sint paucis, uti diximus, explicata, Doctissimus Editor diligenter sub examen disquisitionemque vocavit, & addendos esse vidit funes, quod docet in Præfatione. Primum enim cognoscere eos licet in imaginibus, in marmore, anaglyptico opere sculptis, apud *Franciscum Ficoronium* in eo Commentario, cui titulum fecit *le Masibere sceniche*, pag. 25, ex quibus Vir Doctissimus hic duas in ipsa Præfatione exhibuit. Deinde, eos funes fuisse sparteos, ex *Floratii Ep. Od. II, 3*, docere conatur. In eo autem dubitandum ipsi esse videtur, quod *vites* in suppliciorum instrumentis retulerit *Calliuchius*, cum satis constet, militare illud Romanorum militum supplicium fuisse, quod ne in extraneis quidem adhibi-
rum

tum esse videatur, cum in *Livii Lib. LVII Epit.* ita scriptum sit: *Quem militem si extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, viribus, si extraneus, fustibus, cecidit.* Multo minus ergo in servis. Hæc Doctissimo Viro animadvertenda esse ad hanc Dissertatiunculam visâ sunt; quæ nos propterea afferenda esse duximus, ut, quid ipse nos de hoc parvulo Opusculo statuere velit, & quales sint ipsius animadvertiones, si quas faciat, Lectorem doceremus. *Schatgenii Historia Librariorum, & Bibliopolarum*, cum esset primo Latine, deinde Germanice, sed longe auctior, edita, hic a Viro Cel. *Jo. Esbarde Kappio* Latine conversa reperitur, qui eam, cum quibusdam commentariolis de vita *Eschenbachii*, ad *Polenum* miserat. Hæc sunt, quæ de *tertio Tomo* monenda esse videbantur.

Jam *quartum Tomum* recensimus. Qui quidem, cum totus fere in rerum veterum, sive antiquariarum, explicacione consumatur, unus omnium ornatissimus ac splendidissimus apparet. Nam, præter plurimas integras tabulis æneas, in ipsis paginis multæ figuræ ære expressæ conspiciuntur. Sed hi sunt libri: 1) *Gisberti Cuperi & Ottonis Sperlingii Dissertatio, sive Epistola mutua*, de variis rebus, & quæstionibus, quæ pertinent ad antiquitates Græcas & Latinas; 2) *Nic. Calliachi Dissertatio de Osiride*; 3) *Ejusd. Dissertatio de Sacris Eleusiniis, & eorundem mysteriis*; 4) *Adriani Relandi Dissertatio de Diis Cabiris*; 5) *Tobia Guehberlebi Conjectanea in monumentum Heri ac Thisbes Monasturia, & Titi Claudii Glaphyri Choraula*, in quibus multi veterum Autorum loci, inscriptiones, & numi, illustrantur, & emendantur; 6) *Ejusd. Animadvertiones philologica in antiquam Inscriptionem, Smyrna repertam*; 7) *Jacobi Sponii rei antiquaria selecta quæstiones*, in varias Dissertationes distributæ; 8) *Miscelanea erudita antiquitatis*, in quibus Marmora, Statuæ, Musiva, Toreumata, Gemmæ, Numismata, referuntur & illustrantur. In his scriptionibus, *Cuperi Sperlingique* Epistolæ mutuæ antea nondum fuerunt in vulgus editæ; sed in *MSto* ex Museo *Jo. Grammii*, Hafniensis Historiographi, Bibliothecarii Regii, & Literarum Græcarum in Academia Hafniensi Professoris Celeberrimi, cura & humanitate Cel. *Havercampii*, ad *Polenum*

Annus pervenerunt, qui illas nunc primum, huic *Tomo* infer-
 tas, edidit. Ceperat jam olim *Cel. Moshemius* consilium
 Sylloges hujus edendæ, quod deinde, multis sine dubio alijs
 gravibus occupationibus obligatus, posuit. Scripserat idem
 etiam Proœmium, quo, quanta harum Epistolarum præstan-
 tia sit, omnes facile vel suspicatos esse, dicit, qui horum vi-
 rorum doctrinam vel leviter cognitam habeant. Ad codicis
 marginem paucas quasdam & breves annotationes adscripserat,
 sed jam inhibuerat, cum ad Epistolam sextam pervenisset, sine
 dubio propterea, judice *Poleno*, quod, ejusmodi annotationes
 alienas esse ab his Epistolis, viderat, quarum quoddam speci-
 men hic in *Pref. pag. 3* Nolter descripsit. Multa sunt egregie
 in his Epistolis doctæque disputata, & dijudicata, quæ nomen
 Autorum suorum implent, imprimis nonnulla de *Runicis In-*
scriptionibus, & multa de illa quæstione: num *M. Julius Augu-*
stus Philippus vere & sancte Christianam religionem secutus sit,
 suavis scilicet uxoris suæ *Marcie Otaciliæ Severæ* a superstitione
 conversus, non vero an Christianis faverit, Christumque ma-
 gno honore habuerit. Tum vero non pauca reperiuntur, ea-
 que exquisita, de Numis, præcipue de non culis, de quibus
Sperlingii Dissertatio postea in lucem est emissâ. Porro, quæ de
 Honoratis & Donatis Imperatorum dicuntur, quæ de Candidatis
 Imperatorum, quæ de Græcorum ac Judæorum commerciis, de
 variarum gentium scribendi ratione, de vexillis ac signis militari-
 bus Romanorum, & alia, egregia sunt. Atque hoc in Epistolarum
 mutuarum lectio commodi est, quod, ubi in una aliqua Epi-
 stola aliquid explicatur, illustratur, & conjicitur, tum in al-
 tera alterius viri dicuntur ea, quæ contra eam sententiam affer-
 ri possunt; & postea rursus refutantur, confirmantur, plenius-
 que & majorem in modum exponuntur. Nunc, cum primum
 hic editæ Epistolæ extant, unum aliquod specimen ex iis deli-
 bimus, ut, qualia sint cetera, judicium fieri possit. *Cripe-*
rus Ep. XIX, cum suscepisset contra illorum sententiam docto-
 rum opinari, qui, *Philippus Augustus* non fuisse Christianos, sta-
 tuerant, his argumentis est usus. Ac primo quidem *Eusebium*
 pro sua sententia offert, qui certo affirmare videtur, *Philippum*

Pag. 33
 seq.

Imp. Christiana sacra coluisse. *Lib. VI Cap. 34 κατήχας λόγος, &c.* celebratur fama, *Philippum*, cum esset Christianus, in extrema Paschatis vigilia &c. In quibus verbis non id videtur in dubium vocare, (si dubitatio inest verbis κατήχας λόγος,) fuisse Christianum; sed tantummodo veritatem ejus rei, quæ loco illo prolata est. Neque vero ullum est dubium, quin *Eusebius*, laudum gloriæque *Constantini M.* fautor studiosissimus, nisi coactus fuisset veritati cedere, cupidissime hanc laudem *Philippo* detracturus, & ad *Constantinum M.* translaturus fuisset; ut primus Imperatorum sacra Christiana amplexus videretur. Idem *Lib. IV Vit. Const.* ait, *Constantinum* ex omnibus retro Imperatoribus primum Christianam religionem palam διαφανῶς professum. Quo quid aliud, quam ante ipsum jam plures, sed clanculum, sacra Christianorum amplexos, significat? *Dionysius*, qui, Alexandrinæ præfectus scholæ Catecheseon, temporibus *Philippi Arabis* vixit, apud eundem *Lib. VII Cap. 10* nullum superiorum Imp. ne illos quidem, οἱ λεχθέντες ἀναφανδὸν Χριστιανοὶ γεγονέναι, tanta benevolentia, tantoque studio, quanto *Valerianum* ab initio, persecutum esse Christianos. Et ab *Origene* etiam scriptam Epistolam ad *Philippum Arabem*, & conjugem ipsius, *Severam*, memoriæ prodidit *Eusebius Lib. VI Cap. 36*. Quod quidem a vero alienum videri non potest, si quis reputaverit, & *Hippolytum* ad *Augustam Severam* dedisse προτερεπτικὸν, uti ex laterculo ipsius operum apparet: πρὸς Σίβηραον Αυγ. *Philippus* igitur Imp. Christianus fuit, & Christianis mirifice studuit, quod non facturus fuisse videtur, si superstitioni veterum adhuc fuisset addictus. Hinc βασιλείαν ejus ὑμνεύεισαν τοῖς Χριστιανοῖς fuisse scribit *Dionysius* apud *Eusebium Lib. VI Cap. 41*. Et *Zosimus*, Christianis insensissimus scriptor, maximopere carpit *Philippum Lib. I Cap. 21*. Neque causa est, quare *Decius* Christianos pressisse ab *Eusebio* dici possit, odio in *Philippum* ductus, nisi hic Christianis studiose favisset, hisque sacris imbutus fuisset, idque pro indubitato habuissent omnes. His & aliis pluribus argumentis sententiam suam confirmare studet *Cuperus*; quæ *Sperlingius* in Epistolis sequentibus commovere conatur. Nunc etiam paucissima quædam ex *Sperlingianis* asseremus. *Cuperus* propo-

proposuerat in Epistolis Inscriptionem aliquam e *Gruterianis*, in qua est IMP. OMNIUM HONORATO ET DONATO, & quid hoc esset, rogarat. Hic vero solertissimo responso explicat: ab omnibus Imperatoribus propter virtutem bellicam honorato, & donato, CORONIS MUR. VALL. &c. quæ in Inscriptione sequuntur. Cui cum *Cuperus* respondisset, se male habere illud OMNIUM IMP. pro *ab Imp.*, quod an dicatur, se vehementer dubitare; *Sperlingius* refert *Ep. LI*, hoc dici eodem modo, quo EVOCATI AUGUSTI, CANDIDATI IMPERATORIS, qui sæpe in Inscriptionibus occurrant. Namque pleraque officia, beneficia, & dignitates, solis adjectivis significari, quæ substantivorum morem imitentur. Deinde aliam dictionem explicat *Ep. LVII* in *Inscript. 6 pag. 457*, in qua dicitur *C. Popilius Carus Peto*, IN OMNIBUS HONORIBUS CANDIDATUS IMP. ita uti dicat, fuisse eum designatum ab Imperatore, si qua esset vacatio honorum, ut ille succederet, & ita ad omnes honorum gradus ab Imp. nominatum in spem successionis ascendisse. Fuisse quidem alios, qui CANDIDATI CÆS. fuissent, sed non in omnibus honoribus, ad Quæsturam hunc, ad Præturam illum, alium ad Consulatum; sed in hoc præcipuum esse hoc, quod statim ad omnes honores constitutus fuerit. In quo quidem multa disputat de honorum petitione & adeptione sub Cæsaribus. Et hæc sint speciminis loco allata; ex quibus facile perspicui potest, non tralacitias res in iis Epistolis disputari. Dissertationes *Calliuchii de Osiride*, & *Særis Eleusiniis*, eorundemque *mysteriis*, sunt illæ quidem hic nunc primum editæ, atque adeo pro instituto nostro ex iis quoddam specimen capi ac deligi deberet; sed & Dissertationum brevitatis, (nam singulæ vix duo folia implent,) & doctrinæ in iis propositæ levitas, nos hoc labore supersedere jubet; & si quis specimen capere velit, totas capere debet. Quæ reliqua sunt in hoc *Tomo* commentaria, ampliori recensu non indigent.

Itaque, quæ *quinti Tomi* sint, nunc referemus. Atque ejus quidem pars prior in *theatralibus rebus* explicandis versatur, altera autem parte *miscellanea* habet. En tibi librorum

nomina: 1) *Marcionis Scipionis Maffei de Amphitheatro, ac præcipue de Veronensi, Libri duo*; 2) *Ejusd. de Amphitheatris Gallie Epistola ad Marchionem Joannem Polenum*; 3) *Ejusd. De antiquis Gallie Theatris Epistola*; 4) *Emmanuelis Martini, Ecclesie Alonensis Decani, de Theatro Saguntino Epistola*; 5) *F. Josephi Emmanuelis Miniana, Valentini, de Theatro Saguntino Dialogus*; 6) *Ejusd. de Circi antiquitate, & ejus structura, Dialogus*; 7) *Nic. Calliacii Dissertatio de Ludis Scenicis*; 8) *Ejusd. de Ludis Circensibus Dissertatio*; 9) *Alexii Symmachii Mazochii in mutilum Campani Amphitheatri titulum, aliasque nonnullas Campanas Inscriptiones, Commentarius*; 10) *Tobia Gutbberletii, JCrri, de Saliis, Martis sacerdotibus apud Romanos, Liber singularis*; 11) *Jo. Schefferi, Argentoratensis, de Militia navali veterum Libri quatuor, ad Historiam Græcam Latinamque utiles*; 12) *Ejusd. de re vehiculari veterum Libri duo*; 13) *Pyrri Ligorii, Neapolitani, de Vehiculis antiquorum Diatriba, excepta ex libris ejus de Familiis Romanis*; 14) *Jo. Schefferi in Diatribam Pyrrhi Ligorii de Vehiculis antiquorum Nota.* In his qui primo loco eminent, *Scipionis Maffei Libri de Theatris & Amphitheatris*, quis est, qui non multa eruditione refertos existimet? Ejus enim Viri Illustris autoritas apud omnes ita constituta est, & doctissimis ejus scriptis comprobata, ut ipsum nomen fatis commendationis habere possit. Doctissimus Collector omnes hos libros utraque Italica lingua exhibendos curavit, altera recentiori, vetere altera. In Latinam convertit Vir Cel. *Petrus Facciolus*, cum in Italica scripsisset. Autor Illustris. Quod institutum ne quis reprehendat, *Doctissimus Polenus* cavet. Docet enim, elegantiam sermonis Italici, qua scripti sint hi libri, tantam esse, ut Interpretes consequi non possit, converti autem debuisse, quod Italici sermonis notitia non admodum vulgaris esse soleat, tum vero, si qua in interpretatione, ut fit, relicta sit obscuritas, eam facile a lectore, modo non sit penitus Italicæ linguæ rudis, tolli posse. Neque vero emtoribus injuriam fieri, his scriptis bis exhibitis, cum tamen opus in se receptum Editores approbaverint, qui promiserint, totum Opus 750 folia habiturum, & exhibuerint circiter 900, ut,

sub-

subductis, quæ Italicis implentur, hisque, summis comparatis, tamen 750 folia in Latinis scriptis occupata reperiuntur, & Italica velut accessiones & corollaria, quoniam contra spem cogitationemque adventitia cadant, in lucro deputanda esse videantur. Jam, de *Amphitheatro Veronensi* Commentarius quam bonæ frugis plenus sit, ex hoc perspicui potest, quod, cum primum in Angliam perlatus esset, a Viro Doctissimo *Alexandro Gordon* in Britannicam linguam conversus Londini prodiit. Ille autem, in *duos Libros* ab Autore tributus, *primo* historiam Amphitheatrorum persequitur, *altero* autem rem architectonicam, singulas eorum partes, moles, ordines, figuras, & alia, pertractat, ita, uti ante eum nemo. Omnino multa tradit ex veterum Autorum locis hausta, quæ totam hanc materiam, imprimis Veronense Amphitheatrum, egregie illustrant; & multa, quæ hac de re adhuc exposita fuere, falsa esse demonstrat. Sed, cum ipsum per se Opus se commender, non opus est, plura de eo Commentario dicere. Huic subjectæ sunt binæ *Epistolæ* ejusdem Viri, in quarum *altera* Gallica Amphitheatra, Nemausense, Arelatense, Foro-Julienense, describuntur, & ex architectonica ratione explicantur; *altera* autem versatur in *Theatri Arausensis* notitia, icone, & explanatione, tradenda. *Emanuelis Martini*, Hispani natione, viri docti, cujus vitam paulo accuratius Editor noster hic in Præfatione persequitur, ejus igitur *Descriptio Theatri Saguntini* primo sub alieno nomine prodiit Romæ, cum *Alcaratius*, famæ popularis captator, hoc scriptum ab Autore dolis subreptum, incio & non commemorato vero Autore, vulgavit. Quod ubi rescivit *Martinus*, vehementer condoluit, hunc sui laboris fructum ab alieno scelere interversum, & a *Gravina*, veteri suo summo amico, impetravit, ut hanc sibi illatam injuriam defenderet. Deinde ipse descriptionem suam concessit *Montefalconio*, Viro Cel. qui eam *Parti II Tomi III Antiquitatis explanatæ & figuris illustratæ* inseruit. Iterum autem postea prodiit in *Volumine I Epistolarum* ejusdem *Martini*, quas *Majansius* in vulgus extrusit A. 1735 Mantuæ; & tertium in earum *Epistolarum* editione Amstelædamensi. Et profecto magna in hoc libro vis & doctrinæ elegan-

tia, & rei antiquariæ summa peritia, elucet, ita, ut, quanquam brevi tempore sæpius repetitum, tamen & hic jure merito inferuisse Cel. *Polenus* videatur. De eodem Theatro Dialogum *F. Jof. Emmanuelis Miniana*, antea nondum vulgatum, Doctissimus *Polenus*, a Nobilissimo *Jo. Basilio Castelvino*, Cervellionis Comite, benignissime acceptum, ut ederetur, libentissime hic induxit, propterea quod Autoris doctrina, ingenii præstantia, & scriptorum gloria, illum sibi commendarent. Fuit is Hispanus, ac primo in pluribus Academiis docuit, sed deinde his scholasticis curriculum agitatum doctrinam ad res gestas scribendas contulit, & *Relium rusticum Valentinum*, ac postea *Historiam rerum Hispanicarum*, a fine *Mariana* ductam, scilicet ab obitu *Ferdinandi Catholici* ad initium Regis *Philippi tertii*, decem *Libris* persecutus est. Nullum itaque dubium esse cuiquam potest, quin, quæ de theatri ejus origine, de initiis, de interitu ac ruinis, de antiquitate ac situ, commentatur, quæ ad singularium partium explicationem affert, ea docta esse & elegantia debeant. Huic adjunxit Doctissimus *Polenus* alterum ejus *Dialogum de Circi antiquitate ac structura*, de quo ex altero etiam specimen capi potest. *Calliachi* *Dissertatio de Ludis scenicis*, & altera *de Circensibus*, hic primam lucem adspexere. In illa ludorum scenicorum origo, triplex scenæ genus, Comicum, Tragicum, Satyricum, Pantomimorum Mimorumque actiones, exponuntur; in altera autem Circensium ludorum principia origoque traduntur, quæ, si non rerum doctrinæque præstantia, certe brevitate, sese probabunt. Namque eæ non ita sunt elaboratæ industria, & ingenio excultæ, ut magno opere commendari posse videantur. Sed, iis, uti paulo ante de aliis ejus Viri *Dissertationibus* commemoravimus, diligenter examinatis ac ponderatis, *Polenus* monet in *Præfatione*, ex *Inscriptione* apud *Ciruterum* pag. 1089 addendos esse *Archimimos*, & ex *Fabretti Collect.* pag. 707 n. 285 *Archimimas*. Cum ita Theatrorum in exteris potissimum terris descriptiones servarit Cel. *Polenus*, patriæ suæ amans ac memor; æquum esse putavit, *Theatrum Eugubinum*, cujus schemata & ichnographias edidit A. 1729 Comes Ill. *Pasfionci*, & vestigium theatri effossum prope muros veteris *Colonia*

niæ Antiatis supra littus Tyrrheni maris A. 1712, quod Vir Nobiliff. *Blanchinius* jam exposuit in *Camera ed Iscrizioni sepulcrali*, memoriæ commendare, & brevem in hac Præfatione formam, enucleatamque descriptionem, prodere. Habes igitur, quæ commemoranda esse vifa sunt, cum de hoc *Tomo*, tum de toto *Opere*. Ex quibus quisque, quod pretium sit huic labori institutoque statuendum, nobis vel tacentibus intelliget.

PHRYNICHUM ECLOGÆ NOMINUM ET VERBORUM ATTICORUM, cum versione Latina PETRI JOANNIS NUNNESII, & ejusdem ac DAVIDIS HOESCHELII Notis, ut & Notis JOSEPHI SCALIGERI in Phrynichum & Nunnesii Notas, curante JOANNE CORNELIO DE PAUW, qui Notas quoque suas addidit.

Trajecti ad Rhenum, apud Joannem Evelt, 1739, 4.
Alph. 1 plag. 17.

Instituti sui tenax Cl. Editor de Græcis Autoribus non male mereri pergit. Neque vero monitorum, quæ antea dedimus, memor ab obreclatione atque cavillis abstinuit. Testatur id ipsum vel verbosa satis Præfatio, contra Cel. *Dorville* potissimum directa. Nos ii non sumus, qui tales eruditorum contentiones cum voluptate spectamus; speramusque adeo, nos veniam facile modesti lectoris consecuturos esse, si Præfationem hanc, homine liberali sane indignam, sicco, quod ajunt, pede transferimus. Quin ad institutum potius properamus. Qui *Phrynichum* in lucem protraxit, primus fuit *Zacharias Calliergus*, usus Codice non malo, sed minus perfecto, quam postea usus fuit *Nunnesius*. Idem ille *Calliergus* alphabeti ordine *Phrynichum* edidit serie continua; quem in *duos Libros* divisum, cum *tertii* principio, neglecto istiusmodi ordine, exhibuit aker. Librum *Nunnesii* satis negligenter concinnatum esse, arbitratur Cl. *Pauw*, cum & *Libri tertii* initium contineat, quæ *duobus Libris* præcedentibus jam dicta erant, & in ipsis illis *duobus Libris* præcedentibus existent etiam, quæ male geminentur.

mentur. Unde non inepte colligi possit, & ea, quæ *Calliergus*, & ea, quæ *Nunnesius* dedit, excerpta ex integro opere, atque inde vel parcius, vel copiosius, descripta esse. Quid? quod & *Liber primus* ita finiatur, ut ipsa confusio statim sese prodar, & non autorem, sed excerptorem, & quidem minus accuratum, nobis demonstret. Ceterum accuratius utramque editionem contulit Noster, atque exhibendam curavit. Quo vero in animadversionibus versatus sit modo, (antiqua enim non jam recoquimus,) per exempla euntes, demonstrabimus. *Phrynichi* ipsius sui, tantum abest, ut nimio capiatur amore, quo quidem vitio, sunt editores, qui laborant, ut, si qua inesse vitia putat, sæpius manifestet. Neque tamen id ita facit, ut auctori suo præstare se videatur inimicum; sed commendat etiam eundem, atque data occasione defendit, e. g. pag. 11, ubi *Phrynichi* sui auctoritatem adversus *Cylerum* erudite tuetur; item pag. 17 adversus *Henricum Stephanum*, qui dissensus cum semet ipso accusaverat nostrum, ut & contra *Thomam*, qui τὸ εἶσω de statu dici, atque intus significare, opinatus est; quod tamen recte Noster per *intro* expressit. Non minus præclare de *Phrynicho* suo meretur Cl. *Pauw*, si qua emendavit, & quæ emundatissimæ naris homine non satis digna videntur, indicavit, e. g. pag. 26 seq. ubi præterea notat, quod in hoc libello Ἀττικοὶ per excellentiam aliquando dicantur Ἕλληνες, unde alibi voc. Ευστάθεια ἢ ευσταθῆς: πόθεν καὶ ταῦτα εἰς τὴν τῶν Ἑλλήνων Φωνὴν εἰσεβύη &c. Voc. Στηθύνιον: πόθεν εἰσεκόμισσε καὶ τοῦτο τὸ κακὸν τῆ τῶν Ἑλλήνων Φωνῆ; Voc. Χήμη: πόθεν ἀνεμίχθη τῆ τῶν Ἑλλήνων Φωνῆ ἀδελον. Unde & ἀνελλήνιστον pro ἀνάττικον sumatur: κατὰ χειρῶν δεινῶς ἀνελλήνιστον. Conf. Cl. *Salmasius* in libro de *Lingua Hellenistica*. Item pag. 75, ubi verba Ἐνήλατα κλίνης ἢ σκίμποδος, οὐ χρὴ λέγειν τὸν Ἀττικίζοντα, ἀλλὰ κραστήρια, audacter quidem ita transponit: κραστήρια κλίνης ἢ σκίμποδος, οὐ χρὴ λέγειν τὸν Ἀττικίζοντα, ἀλλὰ ἐνήλατα. Sunt scilicet interpreti nostro κραστήρια ligna, de quibus pendebat scœnum in præsepibus, neque referri possunt ad spondas lecti, præsertim ubi a κράστις, *fanum*, sit κραστήριον. Ἐνήλατα vero pro spondis habemus apud *Pollucem*

Liv. X. segm. 34. Ista ἐνήλατα erant quatuor, & κραστήρια dixerunt rudiores, quæ & ipsa numero erant quatuor, & ἐνήλατα quodammodo referebant forma & positura sua. Deinde vero etiam in aliam incidit sententiam Vir ingeniosus, legens: Ἐνήλατα κλίης ἢ σκιμποδος, ἐν χρῆ λέγειν τὸν Ἀττικίζοντα, ἀλλὰ κρατήρια. Scilicet a κρατέω, retineo, format κρατήριον, retinaculum. Hanc suam sententiam fulcit *Hesychii*, quem optimi Grammaticorum vocat, loco: Κρατήρια, τῶν ἐνηλάτων αἰ κεφαλαὶ καὶ συμβολαὶ καὶ τὰ ἄκρα. Speciminis id loco attulimus, addentes hoc monitum, ne arbitrentur Critici, quidlibet audendi semper ipsis æquam esse potestatem. Non unum autem *Phrynichum* correxit Noster, verum & aliis medicinam attulit, etsi adeo nonnunquam amaram, ut & ineptias eorum, e. g. *Phavorini*, nos ridere jubeat. Paulo autem modestius tractantur *Athenæus pag. 45*, *Pollux pag. 76*, atque alii. Modestius etiam ipsum *Nunnesium* haud raro Noster excipit, quippe quem tantum abest, ut ubique contemnat, ut & laudet subinde ac defendat, e. g. *pag. 67*. Immodestissimus autem est, ubi aculeum suum *Petro Burmanno* infigit, quippe de quo Viro Celeberrimo adde- re non veretur: *Vulgo Latine creditur eruditissimus. Si de Graecis ageretur, haud dubie aqua ei haberet propter summam in illis imperitiam.* Sunt tamen et loca, ubi non sane mitius antecessorem illum suum, cujus humeris saepe insistit, *Nunnesium* excipit, e. g. *pag. 7*, ubi *Nunnesius* observat, ἀπὸ τοῦ εἶμι non dici ἦμαι sed ἰνῆμαι, addit Noster: *Linguam antiquam non intelligit Vir ductus; ἦμαι est ab ἦμι, ἰω, ἦμι, ἦμαι: & quæ deinde sequuntur.* Ponamus, humani aliquid passum esse *Nunnesium*, quis, quæso, paulo humanior propterea ejusmodi viro totius linguae ignorantiam objiciet? Neque forte deerunt, qui, supercilium criticum præ se ferre, judicabunt, quando *Cl. Pauw pag. 10*, rusticum esse, dicit, ἀπετάσσομαι σοι, tibi avellor, & quando *pag. 17*, ridiculum esse, pronuntiat, quod Syracusanis non licuisse dicatur, quod licuerit Atticis. Nos sane neque illud ridiculum, neque mirum, putamus, cum diversæ utriusque dialecti fuerint proprietates. Dialectus Syracusana, Doricæ species, gravitatem in ipso sono affectabat; Attica suavitatem. Unde etiam, muliebrem aliquid

inesse dialecto Atticæ, Doricæ virile nonnihil, quidam obser-
varunt. Sed manum de tabula. Nolumus enim plura tangere,
quod vestigia terrent. Quin potius gratulamur Cl. *de Pauw* præ-
clarum non spernendæ eruditionis specimen, cui si æqualem
semper modestiam tueretur, omne merito punctum ferret.

PHILOSOPHIA PRACTICA UNIVERSALIS, ME-
thodo scientifica pertractata. Pars prior, Theoriam
complectens, qua omnis actionum humanarum differen-
tia, omnisque juris ac obligationum omnium princi-
pia, a priori demonstrantur. Autore CHRISTIANO
WOLFIO, Pot. Succorum Regis, Hassiæ Landgravi,
Consiliario Regiminis, Mathematicum ac Philosophiæ
Professore primario in Academia Marburgensi, Prof.
Petropolitano honorario, Academiæ Regiæ Scientia-
rum Parisinæ, Societatunq; Regiarum Britan-
nicæ atque Borussicæ, Membro.

Veronæ, typis Dionysii Ramanzini, 1739, 4 ch. aug.

Alph. 1 plag. 21.

Prodiit primum Francofurti & Lipsiæ in officina libraria

Rengeriana, 1738, 4.

Alph. 2 plag. 10.

Cum Illustris Celeberrimusque Autor ab A. 1728 publicare
cœpisset Opera sua philosophica, quæ hodiernum indefessâ
opera persequitur, nec desissent in Italia, quibus philosophandi
ratio probaretur; Cl. *Sererius*, Philosophiæ ac Medicinæ Do-
ctor, Vir Mathematicum ac Philosophiæ peritissimus, commo-
dis conterraneorum suorum velificaturus, de iis Verona recu-
dendis consilium iniit. Quamprimum itaque aliquod Volumen
in Germania editum fuisset, idem, impetrata Censura Inquisitio-
nis & Secretarii Status Veronæ, recudi curavit. Quamvis vero,
non sine rei literariæ damno, præmatura morte rebus humanis
fuerit exemptus, non tamen desunt alii, qui recudendis Operibus
Wolfianis

Wolfianis operam impendunt. Illustris ipse Autor Opus præfens inscripserat Eminentissimo Cardinali *Melchiori de Polignac*; *Sere-rius* vero Eminentissimo Cardinali & S. R. I. Principi Comiti *de Lamberg*. Soleune enim ipsi fuit, novas præmittere Dedicaciones.

Postquam Ill. Autor in Prolegomenis ea præmisit, quæ ad notionem Philosophiæ practicæ universalis faciunt, in indiffere-
 rentiam actionum humanarum inquirat. Primum itaque scrupulose docet, quomodo actiones, tam internæ, quam externæ, a libertate animæ dependeant, ut inferius penitus intelligatur, in quantum actiones humanæ agenti imputari debeant; quæ etiam occasione differentiam inter ignorantiam ac errorem vincibilem & invincibilem exponit. Demonstrat deinde actionum liberarum intrinsecam bonitatem & malitiam, seu honestatem ac turpitudinem intrinsecam; quem in finem ostendit, eas vel per easdem, vel per diversas, rationes finales determinari, per quas determinantur naturales, & illas ad perfectionem, has vero ad imperfectionem, hominis ac status ejusdem tendere. Inde adeo est, quod actiones liberæ cum naturalibus per easdem rationes finales determinatæ sint in se bonæ, determinatæ vero per diversas in se malæ. Porro docet, quasdam actiones, in genere spectatas, esse indifferentes, sed propter determinaciones accidentales, in casu particulari supervenientes, fieri vel bonas, vel malas. Ostendit autem porro, actiones in se bonas per se appetibiles esse, in se autem malas averfâbiles, apparenter vero bonas per se appetibiles non esse, nec apparenter malas per se averfâbiles. In primis autem multus in eo est, ut actionum rectitudinem distincte explicet, quæ a recto usu omnium facultatum, in eundem actum conspirantium, dependet, cum sine hac notione doctrina de culpa & vita perfecta penitus intelligi nequeat. Actionum differentia sufficienter explicata, obligationem, tam activam, quam passivam, una cum jure ac lege naturali, enodat. Obligationem activam per connexionem motivi cum actione, passivam vero per necessitatem moralem agendi, vel non agendi, jus per facultatem moralem agendi, legem per regulam, secundum quam actiones nostras determinare obligamur, definit. Unde naturalis obligatio & lex naturæ est, quæ rationem suffi-

cientem in ipsa hominis natura atque essentia haber. Quamobrem, ubi evicit, actiones in se bonas & in se malas, ac propter determinationes accidentales in bonas vel malas abeuntes, per ipsam hominis rerumque essentiam atque naturam bonas vel malas esse, hinc porro deducit, homines per ipsam essentiam & naturam suam obligari ad committendas actiones, quæ ad perfectionem suam statusque sui tendunt, & ad omittendas eas, quæ tendunt ad imperfectionem suam statusque sui. Hanc obligationem naturalem non minus, quam ipsam naturæ legem, esse necessariam & immutabilem; ex ea autem oriri jus naturale tum ad eas res, tum ad eos actus, sine quibus obligationi naturali satisfieri nequit. Jus hoc esse commune hominum ac brutorum, quatenus rationem sufficientem in natura hominum ac brutorum communi habet; hominum vero proprium, quatenus ratio illa petitur a differentia specifica hominum ac brutorum. Explicat deinde, quid debitum, quid licitum, quid illicitum, quid honestum, quid inhonestum, quid decorum, quid indecorum, quid justum, quid injustum, quid denique æquum, quid iniquum, sit, & demonstrat, dari etiam legem naturalem decori, quemadmodum & legem naturæ perfectivam, qua melius præferre tenemur, ut adeo lex naturæ præscribat faciendæ, quæ bona, honesta, licita, recta, & decora, sunt, atque prohibeat, quæ mala, inhonesta, illicita, minus recta, & indecora, sunt. Cum haud raro casus emergant, in quibus leges naturales inter se colliduntur, ita, ut iis simul satisfieri minime possit; Noster quoque docet, quomodo fieri debeat exceptio: quæ exceptionum theoria usum quoque habet in variis Juris Naturæ capitibus demonstrandis. Et, postquam ostendit, per ipsam essentiam & naturam suam obligari homines ad perfectionem suam statusque sui conjunctis viribus promovendam, ne obligatio aliorum perfectionem pro virili promovendi ultra limites suos extendatur, Noster evincit, neminem hominum ad alteri faciendum teneri, quod ipsemet facere possit, nec teneri ultra id, quod in potestate sua positum. Hinc alieno auxilio indigenti non competere nisi jus petendi, ut alii faciant, quod ipsemet facere nequit, minime au-

tem.

tem jus cogendi, ut faciant. Atque hinc nascitur differentia inter jus perfectum & imperfectum, quorum illud jus cogendi involvit, hoc vero in sola aptitudine consistit, ex qua jus peccandi resultat. Et hoc pacto simul patet discrimen inter injustum, quod est contra jus perfectum alterius, & iniquum, quod fit contra alterius jus imperfectum. Quamvis vero contendat, moralitatem intrinsecam actionum etiam in hypothesei athei consistere; hoc tamen non obtante demonstrat, per ipsam essentiam & naturam suam hominem obligari ad actiones suas per motiva ab attributis divinis desumpta determinandas, ut qualibet actione sua gloriam divinam illustret; immo probat, Deum esse autorem legis naturæ, & ad eam servandam homines obligare, ut adeo lex naturæ sit etiam lex divina. Etsi autem demonstrat, obligationem naturalem esse quoque obligationem divinam; præter eam tamen adhuc etiam dari positivam docet, quæ perinde ac in lege positiva præmiorum & pœnarum positivarum constitutione introducatur, quæ a præmiis & pœnis naturalibus, ex actionibus humanis necessario consequentibus, distinguuntur. Exponit deinceps veram virtutis ac vitii indolem una cum beatitudine, quæ summi boni nomine vulgo venit, ac felicitate, cum fortuna non confundenda, docetque perspicue, quomodo virtus & pietas philosophica a Christiana, seu theologica, differat, & quomodo pietas in omnem virtutem influat. Theoriam conscientiæ jam olim dedit Ill. Auctor in Philosophia morali, patrio sermone conscripta, de qua etiam tunc diximus in his *Actis*. Hic vero singula eo, quem tenet in Operibus Latinis, more plenius demonstrat. Ultimo demum loco de imputatione, dolo, & culpa, copiose agit. Desinit imputationem actionis per iudicium, quo agens declaratur causa libera ejus, quod ex actione ipsius consequitur, boni malique vel sibi, vel aliis. Quamobrem, cum imputativitatis fundamentum sit libertas, in superioribus autem Ill. Auctor accuratius, quam hactenus ab aliis factum, docuerit, quantum actiones, tam internæ, quam externæ, liberis accensendæ veniant, profundius quoque scrutatur, in quantum homini actiones, tam internæ, quam externæ, imputari possint, ut clarissime eluceat, imputationem

Cap. 3.

4.

6.

7.

multo latius patere, quam vulgo putatur. Docetur etiam, quatenus homini imputentur actiones alienæ, tam privativæ, quam positivæ. Et, quoniam eidem quoque imputantur actiones, quatenus rectæ sunt, vel a rectitudine deficiunt, ubi penes eum sterit, quo minus deficerent, ab imputatione delabitur ad amplissimam & longe utilissimam doctrinam de dolo & culpa. Est enim, quemadmodum Noster docet, defectus rectitudinis actionis vincibilis culpa in genere sic dicta; quæ abit in dolum & culpam in specie, vulgo simpliciter sic dictam in oppositione ad dolum. Dolum nimirum consistere in defectu actionis a rectitudine quoad voluntatem & noluntatem; culpam vero in defectu rectitudinis quoad facultatem cognoscitivam, seu intellectum. Ubi ea exposuit, quæ de dolo & culpa, in specie sic dicta, in genere tenenda sunt, in varios inquirat modos, quibus quoad intellectum a rectitudine deficere potest actio, non usu vel abusu facultatum cognoscitivarum. Et hinc nascuntur culpæ, in specie sic dictæ, diversæ species, incogitantia, negligentia, inconsiderantia, improvidentia, præcipitantia in agendo, imprudentia, incuria: sit ita, quod vulgo Juris civilis doctores, notionem distincta culpæ destituti, vocabulis hæc tanquam synonymis utantur, ubi de culpa loquuntur. Distinctionem culpæ in latam, levem, & levissimam, perinde ac divisionem diligentia in maximam, mediam, & minimam, inventum Juris civilis esse. Immo ne quidem in Jure civili culpam quamvis in latam, levem, & levissimam, dividi; sed eam tantummodo, quæ spectatur in negotiis alienis, in quibus agentis diligentia lege exigitur, & damnum, ab agente dntum, alteri reparandum venit. Hoc tamen non obstante, ut aliorum attentionem & acumen excitet, paucis docet, quomodo culpa lata, levis, & levissima, in casu quocunque dato determinetur. Culpam mediam appellat Noster defectum rectitudinis actionis ob exceptionem in casu collisionis officiorum minus recte factam, quæ *Zufio* verusuria, aliis aliter, appellatur, & cujus exemplum occurrit *l. 7 ff. de Dolo malo*, si quis, misericordia ductus, solvit servum, alterius vinculis compeditum, ut fugeret. Ostendit autem,

tem, culpam mediani peculiarem quandam esse speciem culpæ in genere sic dictæ, distinctam a dolo & culpa in specie sic dicta.

**JO. FRIDERICI WEIDLERI HISTORIA
Astronomiæ, sive de Ortu & progressu Astronomiæ
Liber singularis.**

Vitembergæ, apud Gottlieb Henricum Schwartzium, 1741, 4.
Alph. 3 plag. 17.

Ontine de scientiis merentur, qui earum ortum & progressum accurate describunt. Quamobrem operæ pretium fecit Cel. Autor, quod, cum Professio Astronomiæ in Academia Vitembergensi ipsi demandata sit, fata Astronomiæ, scientiæ nobilissimæ, copiosius enarravit, & Virorum præclarorum quovis tempore & ubivis terrarum in eandem merita recensuit. Opus egregium *sedecim* absolvitur *Capitibus*, quorum *primum* de fabulosis Astronomiæ originibus, *secundum* de Astronomia Patriarcharum, *tertium* de Chaldæorum, *quartum* de Ægyptiorum veterum, *quintum*, *sextum*, & *septimum*, de Græcorum, *octavum* de Arabum, *nonum* de Persarum & Tartarorum, *decimum* de reliquorum populorum orientalium, Mogolensium, Siamensium, Sinensium, Americanorum, *undecimum* de Judæorum, *sequentia* de Europæorum, Astronomia agunt. Copiosum nimis foret, si de singulis *Capitibus* ex instituto dicere vellemus. Suffecerit itaque nobis, notatu digniora hinc inde delibasse. Ubi fabulosas Astronomiæ origines exponit Cel. Autor, ea recenset, quæ Poetæ inter scriptores profanos vetustissimi de Astronomiæ inventoribus tradiderunt, & quid veritatis sub his fabulis, inquit multa cum eruditione. Sed nec ex his, nec ex iis, quæ de Patriarchis narrantur, apparet, quinam illo tempore in scientia fuerit progressus. Immo nec satis constat, quantum Chaldæi profecerint & Phœnices, etsi *Diodorus Siculus* autor sit, eos longa observatione astrorum cursum & naturam diligentissimo scrutatos fuisse, & Astrologiæ, cum diutius in ea versati sint, præter ceteros peritos fuisse. Inventor scientiæ sideralis apud eos celebratur *Jupiter Belus*, in cujus honorem

Babylone

Babylone templum extructum fuit. Putat autem Noster, cum *Jupiter Belus* pro Deo fuerit habitus, Chaldaeos Astronomiam inventorem ignorasse, & ejus originem ad Deum retulisse, eaque de causa aliquot mille annorum observationes jactasse. *Diodoro enim Siculo* teste usque ad *Alexandrum M.* quadraginta tria annorum millia numerant, ex quo Astronomorum observationes ab ipsa fuerant coeptæ, & *Cicero* observat, quod quadringentorum & septuaginta millium annorum observationes crepent. Noster multus in eo est, ut ostendat, non nisi ostentationis causa tantam Astronomiæ suæ veritatem jactasse Chaldaeos. Probat hoc imprimis ex eo, quod *Hipparchus* tres tantum eclipses lunares, in Babylonia observatas, quarum prima in annum 480 ante C. N. incidit, ad indagandas lunaris inæqualitatis differentias adhibuerit, & *Ptolemaeus* non nisi tres alias eclipses laudet, quarum prima A. 721 ante C. N. contigit. Parum quoque in Astronomia pro tanta observationum antiquitate profecisse videntur Chaldaei, quippe qui, *Diodoro* teste, de solis defectione incerta, nec unanimia, tradiderunt, neque causam asserre, nec tempus prædicere, ausi. Chaldaeis palmam de Astronomiæ inventionem dubiam reddiderunt Ægyptii, qui, scientiam a se inventam a colonis in Babyloniā fuisse illatam, contenderunt. Exiguæ autem tantummodo Astronomiæ Ægyptiacæ supersunt reliquæ, quas ex antiquis scriptoribus, apud quos earum mentio fit, Noster collegit. Astronomiæ Græcorum tres ætates distinguit, quarum prima usque ad conditum Gymnasium Alexandrinum, secunda ab eo condito usque ad Christum natum, tertia denique a Christo nato usque ad Seculum octavum inclusive, pertingit. A Babyloniis & Ægyptiis Astronomiæ scientiam accepisse Græcos, *Plato* & *Aristoteles* consententur. Gymnasium Alexandrinum cœpit ab anno ante Christum 283, quo *Ptolemæus Philadelphus* patri *Ptolemæo Lagi* succedebat. Cum enim esset Princeps eruditionis amantissimus, & eruditorum Mecænas maximus, sub ipsa statim regni ejus auspiciis ex Græcia confluxerunt viri doctrina & ingenio præstantes, quibus Rex honores & stipendia liberaliter decrevit. Hi, in Museo, quæ erat regiarum ædium pars, congregati, regiisque

gitque sumtibus alti, Philosophiam & Mathesin diligenter pertra-
 gant, inventisque & scriptis suis illustrarunt. Tum etiam
 Astronomia magis, quam antea, excoli cœpit, quamvis paulo
 ante circa annum ante C. N. 290 Alexandria *Timochares* &
Aristyllus, cœvi & laborum astronomicorum socii, sidera jam
 observassent, quorum observationibus usus ipse *Hipparchus*.
 Hanc ætatem nominis sui fama maxime illustrarunt *Aristarchus*,
Samius, *Euclides*, *Eratosthenes*, *Conon*, *Archimedes*, *Apollo-*
nias Pergæus, ac imprimis *Hipparchus*, qui primus integræ scien-
 tiæ Astronomiæ systema condere aggressus est. Floruit autem
 ab anno ante C. N. 160 usque ad 125. Post Christum natum
 Seculo secundo astrorum observationibus operam dedit *Cla-*
udius Ptolemaus, qui integrum Astronomiæ systema digessit, atque
 effecit, ut Astronomia deinceps facilius coleretur, perficeretur,
 & augetur. Opus ejus, cui *Magna compositionis* titulum
 fecit, præcepto *Maimonis*, Regis Arabum, ab *Albazen* & *Sergio*
 in Arabicum sermone translatum, nomen *Ahnogesti* accepit, ex
 Arabico autem in Latinum conversum est auspiciis *Friderici II*
 Imperatoris circa annum 1230. Græcus textus in Europa de-
 mum Seculo XV legi cœpit, quo versionem ex ipso fonte ad-
 ornavit *Georgius Trapezuntius*, editam Basileæ A. 1541, sed ean-
 dem castigatam denovo vulgavit ibidem *Erasmus Osvaldus Schre-*
ckenfuehjus A. 1551, qua editione usus fuit *Tycho de Brahe*.
 Græce Opus idem prodit cura *Sivonis Grynei* Basileæ A. 1538,
 cum Commentariis *Theonis Alexandrini*, ex MSto Bibliothecæ
 Norimbergensis, quo usus erat *Regiomontanus*. Seculo nono
 & sequentibus Astronomia ab Arabibus præcipue exculta, at-
 que ab illis ad Europæos translata est. Inter Arabes claruit im-
 primis circa A. C. 880 *Mubammed Ben Geber Albatani*, quæ
Albateginus appellari suevit, Dynasta Syriæ, qui tabulas Astro-
 nomicas novas adornavit, & Astronomiam totam singulari Tra-
 ctatu de Numeris & motibus stellarum ex *Ptolemæi* & propriis
 observationibus illustravit, Latine verso a *Platone Tiburtino*, &
 additionibus ac demonstrationibus aucto a *Joanne Regiomontu-*
no. Eodem etiam Seculo floruit *Geberus*, Hispalensis, qui no-
 vem Libris Magnam *Ptolemæi* constructionem exposuit, a *Pa-*

trejo Norimbergæ A. 1533 cum instrumento primi mobilis *Petri Apiani* editis. Ex hoc opere, judice *Mersenne*, multa defumserunt *Purbachius* & *Regiomontanus*. Fecit etiam magna solertia machinam, qua omnia *Ptolemæi* instrumenta jucundo compendio mirifice complectitur; & quam *machinam collectivam* vocavit *Regiomontanus*. Monet autem Noster, Astronomorum Arabum merita nobis adhuc parum esse perspecta, cum *Eduardus Bernbardus* autor sit, in solo Mertonienfi Oxonii Museo plus quam quadringentos Codices Arabicos, doctrina & observationibus fiderum refertos, haberi. Recenset etiam ex *Herbeloti* Bibliotheca orientali non exiguum numerum Tabularum Astronomicarum, ab Arabibus & Persis digestarum. Inter Tartaros eminent *Ulugbeigh*, Parthiæ & Indiæ Rex, magni *Tamerlanis* nepos, qui circa annum Christi 1430 Samarcandam, regni sui metropolin, Astronomos doctissimos undique accersivit, & cujus Tabulas longitudinis ac latitudinis fixarum edidit *Thomas Hyde*, ex propriis observationibus ad A. C. 1437 conditas. Catalogus hic pars est majoris operis Astronomici, cujus Codex MSus Oxonii asservatur. Ejusdem Principis Tabulas geographicas edidit *Joannes Gravius*; Epochas vero celebriores, Astronomis, Historicis, Chronologis Chatarum, Syrogræcorum, Arabum, Persarum, Chorasmiorum, usitatas, ex ejusdem Principis traditione publicavit idem *Gravius*. Historiam Astronomiæ Sinenfium ex *Soucieto* repetit *Ausor*, de qua diximus in his *Actis A. 1732 pag. 371 seq.* Adlit tamen alia ex *Schallio*, *Verbieffio*, & *Ludovico le Comte*, de statu Astronomiæ Seculo XVI labente, cum Missionarii Sinam ingrederentur. Judæi olim rerum astronomicarum fuerunt admodum imperiti, unde, florente Hierosolymis Synedrio, neomeniæ inventio facta fuit ex ratione visionis primæ lunæ phaseos, qua conspecta, Synedrîi decreto neomenia indicta, & per nuntios distitis locis significata fuit, donec post Christum natum inter alias gentes dispersi nonnulli eorum ad studium Astronomiæ animum appellerent. In Europa Astronomiæ studium promovere cœpit *Fridericus II* Imperator, qui A. 1230 *Ptolemæi* versionem ex Arabico in Latinum fieri curavit, & mox *Alphonfus X*, Rex Castiliæ, institutionem Astronomiæ

nomie molitus est, qui A. 1240 Toledum convocavit viros Astronomie peritia celebres, Christianos, Judæos, Mauros, tandemque novas Tabulas, quæ *Alphonſine* dicuntur, eo ipſo, quo præſenti ſucceſſit, anno, nimirum Chriſti 1252, in lucem protulit. Sed ſeculo demum decimo quinto, circa medium ejus, inſtaurationem totius Astronomie magno ingenio & ſtudio, nec minori ſucceſſu, aggreſſus eſt *Georgius Purbachius*, Mathematicum in Academia Vienneniſi Profeſſor. Ab eo feliciter cepta ulterius perfecit diſcipulus, *Joannes Regiomontanus*, cujus ſcripta magno numero recenſet Noſter ex Catalogo, quem ipſe *Regiomontanus* confeſcit, *Georgius Tannſtetterus* vero in limine Tabularum eclipſium *Purbachii* elogio *Regiomontani* ſubjunxit. Ab eo tempore aſtrorum ſcientia magis excoli cœpit apud Europæos, præſertim cum *Tycho de Brabe*, a *Wilhelmo*, Haſſiæ Landgravio, qui in Astronomiam perficiendam ſolerter incumbabat, *Fridericico II*, Daniæ Regi, commendatus, Uraniburgi obſervationibus cœleſtibus ab A. 1576 uſque ad 1597 vacaſſet, & ex ejus obſervationibus *Joannes Keplerus* Tabulas Astronomicas felici ſucceſſu emendaſſet, atque Astronomie ſcientiam mirifice inſtauraſſet. Ab eo tempore apud omnes fere Europæ gentes Astronomia excoli cœpit, & hodiernum magno fervore, nec minore ſucceſſu, excolitur. Hic cum tantus ſeſe offerat dicendorum campus, in quem exſpatiari nobis minime conceditur; Lectorem ad ipſum Opus Cel. Autoris remittendum judicamus, præſertim cum eo carere nequeat, qui Hiſtoriam literariam curæ cordique habet, de qua, quod ad Astronomiam, optime omnino meritus eſt Noſter, optime etiam meritus de tot, tam antiquis, quam recentioribus, Autoribus, quorum præclara opera & diligenter ab eo deſcripta, & juſtis laudibus ſunt celebrata.

D. JACOBI HENRICI CHRISTIANI ADAMI,
Civitatis Luccaviensis Phyſici adjunſti, Senatusque Aſſeſſoris, Obſervatio Halonum ſolarium, & quatuor Parheliorum, die 13 Aprilis anni 1733 Luccaviæ
viſorum.

Quanquam complures jam in Physicorum Commentariis Halo-
 lonum Solis, atque Parheliorum, exstant enarrationes; ta-
 men, cum viri harum rerum intelligentissimi pridem moue-
 rint, quo plures illarum observationum publice exponantur,
 eo majus ad illustrandam ejusmodi phænomenorum rationem
 lumen accendi, etiam huic nostræ aliquem relictum iri locum, mi-
 hi penitus persuasi. Equidem de eodem hoc Phænomeno, Lands-
 huthæ Silesiorum d. 13 Aprilis ejusdem anni conspecto, Vir
 quidam doctus in *Novis literariis Lipsiensibus A. 1733 pag. 291*
 retulit. Enimvero utrasque observationes inter se contenden-
 ti, mox palam fit, non in omnibus momentis eas inter se con-
 venire, & pro locorum diversitate aliter atque aliter se hoc spe-
 ctaculum repræsentasse. Ut adeo pateat, vera esse, quæ summus
 Vir, *Christ. Wolffius*, in libro, qui inscribitur: *Vernünfftige Gedan-
 cken von denen Würckungen der Natur, §. 314 pag. m. 428* tradidit,
 unumquemque non eundem, quem alius videt, Parhelium, atque
 Halonem, Circulumque, sed sibi proprium, contueri, multoque
 hæc magis in tanto locorum intervallo, pro aeris reliquarum-
 que rerum conditione, variari. Præcipue de altero illo Halo-
 ne dimidiato, & novis duobus Parheliis, quorum inferius in-
 cidet mentio, prorsus silet Observator Silesiensis. Erat autem,
 ut jam indicavi, anni 1733 dies tertius decimus mensis Apri-
 lis, cum isti Solis Halones cum quatuor Parheliis hic Lucca-
 viæ in Lusatia observarentur. Aerem antecedentibus diebus
 subinde obscurabat nebula, quæ mane, altius ascendente Sole,
 elevata, evanescebat, posterioribus vero, post conspectum
 phænomenon, diebus, aliquoties in tenuem pluviâ resoluta,
 delabebatur. Qui eo die flabat Boreas, non nimis acris erat
 & vehemens. Cum proxime Sol a Meridiano transisset, Halo
 circa illum aliquantum fractus in conspectum veniebat, ita, ut
 alter arcus versus meridiem, alter versus septentrionem, cerne-
 retur. Postquam Sol Meridianum superaverat, versus Occiden-
 tem progressus, Halo hic & major & clarior evadebat, ita
 quidem, ut, quamvis spatium interius obscurum magis, quam
 reliqua coeli facies, ipsiusque etiam Halonis color versus idem
 spatium subrufus & fere obscurus esset, exterior tamen ejus
 pars

pars albicans & valde lucida observaretur. Versus horam secundam pomeridianam circulus oriebatur albicans, Horizonti parallelus, qui, per Solem transiens, Halonem solarem bis intersectabat. Ea vero ipsa intersectio duos generabat Parhelios, maculas scilicet lucidiores, figura irregularis, quæ lucis & coloris claritate multum omnino circulum Horizonti parallelum vincebat, eadem cum vero Sole elevatione. Post horam secundam pomeridianam novo spectaculo major aliquis, sed subobscurus, Halonis arcus versus Zenith in oculos incidebat, qui, cum circulum Horizonti parallelum itidem bis intersectaret aliquantum, his intersectionibus efficiebat, ut novi duo Parhelii orirentur. Interim prior ille Halo admodum mutabatur, ut divisus, & ab utroque latere divergens, a figura sua circulari recederet, & priores duo Parhelii extra eundem positi esse viderentur. Versus horam tertiam cœlum peræque inclarescebat, & omne phænomenon oculis subducebatur. Postea, die 15 Aprilis, hora pomeridiana tertia, cœlo admodum claro, duo Parhelii sine Halone quodam, aut circulo Horizonti parallelato, ad breve tempus observabantur. Die 20 Aprilis, post horam decimam antemeridianam, ingens Halo solaris cernebatur, qui integram horam atque amplius perdurabat. Colores ejus tridi erant similes, tenues quidem, distincti tamen, ex quibus subrufus denuo interiorem locum tenebat. Vapores quosdam advexerat Eurus, aliquantum ad Septentrionem inclinans, a quo tamen non ita multo post cœlum penitus clarum reddebatur. Magnitudinem gradusque omnium horum Halonum, & circuli Horizonti paralleli, ex defectu instrumenti idonei determinare non licuit.

*Conspectus Circulorum atque Parheliorum, prout circiter
in oculos incurrerunt.*

TAB. IV
Fig. 1.

- a. Sol verus.
- b. Arcus Halonis, cujus pars exterior valde lucida, interior obscura & subrufa, erat.
- c. Arcus Halonis alter versus Occidentem, non ita lucidus.
- d. Circulus Horizonti parallelus.
- e. f. Duo Parhelii in utroque latere Solis.

R r 3

g. Novus

- g. Novus arcus Halonis succedens, subobscurus.
 h. i. Novi Parheli.
 k. Horizon.

HENRICI KÜHN, J. U. D. IN ATHENÆO GE-
danensi Mathematicum Professoris, Solutio dubiorum Hy-
draulicorum & Aerometricorum, in Diario Trevoltienfi
A. 1741 Artic. 85 & 94 propositorum, con-
tinuata.

Conf. *Acta hujus Anni Mens. Maji pag. 564 seq.*

Nunc operam dabo tollendis difficultatibus, a Viro Doctissi-
 mo in *Diario Trevoltienfi A. 1741 Art. 85 & 94* proposi-
 tis, & duarum Epistolarum, mihi inscriptarum, forma indutis;
 quas (amputatis saltem verbis officiosis) integras, fideliter ad
 mentem Autoris Latine redditas, responsis meis interpolabo. Ita
 vero Cl. Censor inquit:

I. „A primo propositum tibi fuisse videtur defendere
 „*Cassinianam* de forma Telluris sententiam, postposita *Neuto-*
 „*niana* quem in finem fundamenti loco ponis, aquas Oceani
 „sub Æquatore magis salvas esse, sub Polis minus salvas, ex quo
 „*pag. 21 & 22* colligis, posita ratione gravitarum specificarum
 „aqua: sub Æquatore, & Polis ut 7 ad 5, altitudinem columnæ
 „aqua: sub Æquatore, ad altitudinem columnæ sub utrolibet Po-
 „lo illi æquiponderantem, fore ut 5 ad 7, consequenter dia-
 „metrum Telluris, per Polos transeuntem, majorem esse diame-
 „tro Æquatoris. Ex quo oritur figura Telluris spheroidica.
 „Ad effugienda vitilitigia sit, me non refragante, aqua mari-
 „na sub Æquatore salrior, quam sub Polis, sit item harum gra-
 „vitas specifica ea, quam fumis; per leges Hydrostaticas nullo
 „modo inde consequetur, columnas aquæ sub Polis altiores esse
 „illis sub Æquatore. Leges istæ non pertinent nisi ad fluida,
 „in tubis communicantibus constituta, & ob latera tuborum
 „cedere nescia, ad diversam altitudinem suspensa. In ejusmo-
 „di hypothese diversæ columnæ non nisi extremitatum occursum
 „in se invicem agunt, & fluidum majoris gravitatis specificæ,
 ad

ad æquilibrium cum altero gravitatis specificæ minoris consti-
tuendum, efficere debet columnam, cujus altitudo sit ad alte-
rius altitudinem in ratione reciproca gravitatum specificarum.
At vero, ubi eadem fluida in unum idemque receptaculum in-
fundas, videbis, diversas has columnas illico confundi, aut
unam super alteram defluere, atque exhibere formam maris
exigui, ad eandem ubique altitudinem assurgentis. Cujus rei
ratio evidens hæc est, quod fluidum gravitatis specificæ mi-
noris, quatenus altitudine superat fluidum alterum, cum præ-
ter aerem contiguum nullo aggere coerceatur, proprio pon-
dere percurrere debeat aggerem aereum determinantem,
& defluere in fluidum alterum, cum eodem mox commiscen-
dum, si fluida fuerint homogenea. Ex quo efficitur, aquam
Oceani sub Polis nunquam ad majorem altitudinem consti-
tere posse, respectu aquæ sub Æquatore. Proinde *Cassiniana*
de figura Telluris sententia, pro tua parte, omni adhuc dum,
ope destituitur.

(1). Nusquam in Dissertatione mea expresse dixi, figu-
ram Telluris spheroidicam esse; nec tacite idem affirmasse vi-
deri possum ex eo, quod diametrum per Polos diametro Æqua-
toris majorem esse statui, si utraque in Oceano desinat. Ex
solo enim Oceano, vix tertiam superficiem Telluris partem occu-
pante, vera Telluris figura æstimari nequit (Vid. *Dissert. pag. 68*),
& præterea passim copiose satis docui, maria, tam clausa, quam
particularia aperta, ubicunque sita sint, notabiliter admodum
altiora esse Oceano, tractusque terrestres diversos adhuc mul-
to altiore loco sitos esse. Quæ omnia cum *Cassiniana* de Ter-
ræ forma sententiæ adversentur, & præterea in §. 63 citato ap-
parte ita scripserim: *Hinc satis liquet, longe aliter de vera Tel-
luris figura sentiendum esse, ac hactenus fecimus, &c.* facile vi-
dere licuit, me *Cassinianam* sententiam non amplecti, nec adeo
eam contra quemcunque defendendam suscepisse. Conjecto
igitur, Cl. Censorem in istam partium studii accusationem hac
forte occasione incidisse, quod perpendens, Mathematicos sen-
tentiam communem de figura Terræ spherica dudum abdicasse,
sibi persuasit, inter figuram Spheroidis oblongi & depressi ni-
hil

hil jam medium relinqui, atque sic *Cassinianum* me esse oportere, cum *Newtonianus* non sim, ut qui (in *Dissert. §. 15*) aperte dixerim, figuram *Cassinianam* cum certa aliqua observatione multo melius convenire, quam *Newtonianam*. Cur autem, si alterutrum eligendum esset, *Cassinum* in hoc negotio sequi malletm, quam *Newtonum*, in presenti Commentatione (supra sub litera *A*) plenius exposui. Porro, etsi ita generaliter, ac in *§. 9 Dissert.* feci, amplius asserere nolim, aquas Oceani circa *Æquatorem* maxime salvas in æquilibrio consistere cum aquis *Polo* vicinioribus minus salvis (vid. dicta sub litera *F*); at tamen facile ostenditur contra *Cl. Censorem*, salvo ejus argumento utique fieri posse, ut aqua Oceani extra *Tropicos* ad majorem altitudinem consistat, quam ea circa *Æquatorem*, & nihilo minus cum hac æquilibrio servet. Et quomodo lex *Hydrostatica* de æquilibrio fluidorum, in tubis communicantibus suspensorum, mihi obstare possit, qui eadem hac lege in *§. 10 Dissert.* usus sum, ad propositionem, de qua nunc disceptatur,

TAB. IV
Fig. 2. demonstrandam? Nimirum sint tubi *A, C, E, G*, ope alterius *LM* communicantes. Hocce tuborum communicantium systema impleatur fluido ejusdem gravitatis specificæ; habebuntur columnæ separatæ *A, C, E, G*, non nisi extremitatum occurſu in se invicem agentes, & pro æquilibrio constituendo ad eandem præcise libellam *NO* assurgentes. Porro tubi intermedii infra clausi *B, D, F*, itidem impleantur fluido ejusdem ac ante gravitatis specificæ, & diaphragmata horizontalia *b, d, f*, removeantur, ut extremitatum occurſu in se invicem & in illas *A, C, E, G*, agere possint; columnæ fluidi etiam in his tubis interpositis ad eandem illam libellam *NO* sustinebuntur. Tandem tollantur etiam diaphragmata lateralia *α, β, γ, δ, ε, ζ*, atque eorum loco substituantur diaphragmata fluida, nempe columnæ ejusdem fluidi, quæ itidem non nisi extremitatum intervencu in illas agent (siquidem proprio pondere deorsum nituntur, & nisus laterales, ex natura fluidi alias resultantes, cum utrobique æquales sint, sese mutuo destruunt.); appareret, etiam has ultimas columnas, pro æquilibrio constituendo, assurgere debere ad libellam *NO*. Atque sic hoc maxime

xime compositum tuborum communicantium systema exhibebit receptaculum aliquod commune, eodem fluido repletum, in quo singulae columnae ad eandem horizontalem *NO* assurgunt, sive singulas columnas componentes tantum interventu extremitatum in se mutuo agere possunt, sive etiam nisum lateralem erga se invicem exercere sumas. Jam sit angulus declivitatis admodum exiguus *ONQ*, & remotis illis columnis *A, B, C, D, E, F, G*, substituuntur columnae cognomines diversae gravitatis specificae, ita quidem, ut columnarum *A, B, C, D, E, F, G*, altitudines sint inter se ut gravitates specificae fluidorum *G, F, E, D, C, B, A*; evidens est, has columnas æquilibrium servaturas, & superficiem inclinatum *NQ* formaturas, quamdiu, prout hypothesis postulat, nihil in ratione gravitatum specificarum mutatur. Quare, cum Oceani salsedo ab Æquatore versus Polos decrescat, adeoque determinatum gradum salsedinis atque gravitatis specificae pro diversis locis diversum constanter tueatur, (*§. 6 Dissert.*) patet, Oceanum in hac hypothesis extra Tropicos utique altius assurgere, quam sub Æquatore. Nec licet cum Cl. Censore excipere, columnam altiozem, quatenus altior est, spreto aggere aereo determinante, desluere debere supra columnam proximam depressiorem; nam, ob angulum declivitatis *ONQ* (per *hypoth.*) admodum exiguum, excessus iste altitudinis (*p*) duarum columnarum proximarum tantum non infinito parvus est, adeoque & nisus lateralis seu pressio inde orta (quae semper est ut *p*) plane insensibilis erit, atque nimium impar ad aggerem istum aereum perfringendum, visciditatemque fluidi vincendam, ut diffusio massularum consequi possit. E. g. in exemplo, *§. 12 Diss.* dato, est *NO* arcus 50° circuli maximi = $15 \cdot 50 = 750$ mill. Germ. = $750 \cdot 30000 = 15000000$ pedum geom., & *OQ* = 4000 ped. geom. Jam sumatur *No* = $\frac{1}{100}$ ped. geom., quaeraturque hujus columnae *A* excedens altitudo *oq* supra alteram *B*; reperietur $oq = \frac{OQ \cdot No}{NO} = \frac{4000 \cdot \frac{1}{100}}{15000000} = \frac{40}{1500000} = \frac{1}{37500}$ ped. geom. qualis altitudo infinite parva censenda est pro nisû atque motu aquae laterali producendo. Imo, si operæ pretium videretur, arte parari potest receptaculum continuum ejus conditionis, ut diversae gravitatis specificae fluida insula, dum sibi mutuo æqui-

ponderant, saltem intra aliquot minuta temporis prima, superficiem sensibilibiter concavam constituent. At in Oceano (qui minime est simplex aquarum receptaculum, (vid. supra sub lit. B,) sed potius machinamentum Hydraulicum naturale perfectionis admodum compositæ, uti vel ex ejus diaphragmatibus interruptis, apertis, & cæcis, ex Euripis sorbentibus & vomentibus, ex innumeris fluminibus in idem sese effluentibus, &c. quodammodo intelligitur,) determinatus gravitatis specificæ gradus, diversis locis diversus, cum constanter conservetur, altitudo columnarum diversis locis diversa in omne ævum perdurare potest.

II. „Videamus, an argumentum, a cursu fluminum dudum, magis idoneum sit ad novum aliquem probabilitatis gradum huic opinioni acquirendum. Convenit inter nos, fluentorum, rivorum, fluminumque, cursum versus mare aliquod dirigere, adeoque locum, ad quem aqua fluit, depressiorem, seu centro Telluris propiorem, esse loco altero, a quo fluit. At quid inde conficitur? Terram spheroidicam esse? Conclusio non cohæret cum suo principio; quin & ipsemet hujus rei incommodum præsensisse videris. Posteaquam enim multum operæ posuisti in diversa diversorum marium altitudine determinanda, nixus principio, quod deinceps in disquisitionem veniet, consentis demum, multa diversis locis, sociata plurimum opera, accurate exploranda esse, antequam diversæ Telluris partes ad diversam quandam figuram geometricam quam proxime reduci possint. „

(II). Ex sententia Cel. *Cassini*, omnis omnino aqua marina stagnans est, atque in nullam partem progreditur, adeoque ob figuram Spheroidis oblongi, quam Telluri tribuit, omnia loca maris, minimum in eodem parallelo, sunt æque alta, seu in una eademque libella. Ego vero ex consideratione cursus fluminum sitisque marium passim ostendi, maria particularia ad instar fluminum versus Oceanum decurrere, Sinum Mexicanum versus Orientem, maria Europæa versus Occidentem, notabiliter declivia esse, darique tractus maris, etiam in eodem parallelo, quorum alter altero aliquot milliaribus Germ. altior est, & præterea satis perspicue meam de his rebus sententiam exposui, quando digressionem de figura Telluris abrupturus,

pag. 84 & 85 Dissert. ita loquor: *Neque enim putandum est, Tellurem, ad instar solidi Geometrici, certa figura geometrica praeditam esse oportere, quin potius certum habendum est, --- organica Telluris structura figuram simplicem, qualis geometrica est, minime convenire, &c.* Quæ omnia cum *Cassiniana* hypothese æque ac *Newtoniana* maxime adversentur; nescio, unde factum sit, ut Cl. Censor sibi persuaserit, me *Cassinianam* hypothesein, argumento a cursu fluminum ducto, firmare voluisse, e-ventu tamen spem fallente.

III. „Mensura declivitatis aquarum, inquis pag. 10 & 11, cum sit ratio, quam habet distantia linearum horizontalium verarum, per terminos a quo & ad quem ductarum, ad veram longitudinem viæ fluminis, inter hos terminos interceptam; & si de experientia constet, si hæc 100 pedum fuerit, illam minimum esse pedis dimidii; calculus satis facilis, his duobus principiis factus, ostendit tibi omnium marium altitudines diversas; unde statim tibi nascitur curiosa admodum enarratio rerum maxime singularium. Secundum calculum tuum, ostium Ligeris in comparatione ad ostium Sequanæ depressius est, 1000 ped. geom. & amplius; Isthmi Panamici latus occidentale, respectu lateris orientalis, altius est quantitate 14800 ped. geom.; Freti Magellanici ostium occidentale, respectu ostii orientalis, altius situm est quantitate 19045 ped. geom.; mare Mediterraneum notabiliter altius situm est Oceano Atlantico, &c.,

(III). Declivitas unius ejusdemque fluminis minime uniformis est, sed pro diversis tractibus variat; nunc enim crescens est, nunc decrescens, ita, ut e. g. alicubi reperiat mensura declivitatis = 1 : 55, alibi = 1 : 70, alibi = 1 : 120, alibi = 1 : 210, &c. (vid. supra sub litera E). Unde, si integram fluminis dati declivitatem ruditer æstimaturus, sumat declivitatem uniformem fictam, mensuramque hujus declivitatis mediæ ponat = 1 : 200, fere certus esse potest, se potius in defectu peccasse, quam in excessu. Interim Cl. Censor ipse agnoscat, me de ipsis, prout jacent, numeris, quibus differentiam altitudinis nonnullorum locorum terrestrium & marinarum, ruditer expressi, nec spondere voluisse, nec potuisse, non tam propterea, quod pro fluminibus mensuram declivitatis mediæ assumptam 1 :

100 declivitatem mediam veram facile excedere posse existimem, sed maxime propterea, quod vera fluminis longitudo ex Mappis geographicis & hydrographicis, quales nunc habemus, ne quidem quam proxime haberi possit. Accurata enim harum rerum determinatio, in re presenti instituenda, ad Academiae Scientiarum curam pertinet. Interea ejusmodi de locorum diversa altitudine conjecturas, licet saltem ex crassioribus observationibus deductae sint, haud contemnendas arbitror, cum inserviant studiis eruditorum hydrographicis excitandis, viamque sternant ad veras locorum altitudines comparativas olim definiendas.

IV. „At vero multa sunt, quae his assertionibus opponi possunt. Primo enim altitudo Mercurii, in tubo *Torricelliano* suspensi, vi observationum, a *Cassino* A. 1672, a *Labirio* A. 1682, a *Maraldi* A. 1703, institutarum, est vera mensura altitudinis montium, & eminentiae locorum terrestrium supra superficiem maris. Namque, si ponas, ad oram maris primae lineolae descensus Mercurii respondere altitudinem aeris 60 pedum supra mare, secundae lineolae convenire secundam columnam aeris priori aequalentem, sed uno pede auctam, & sic porro, ex variatione barometri, in diversis locis eodem tempore observata, pauculis plus minus hexapedis neglectis, cognosci potest, quantum datorum locorum unus altior sit altero; quemadmodum ex *Maraldi* observationibus constat. Unde sponte sua duo consideranda sese offerunt. Aut nova tua methodus consentit cum ista Academicorum theoria, aut ab eadem dissentit. Si consentit, altera ad alteram confirmandam adhiberi potest, & in eo casu ex methodorum consensu ostenso auctoritas theoriae tuae comparanda fuisse videtur. Si non consentiunt, earum altera falsa est, & tum rei convenientium erat, labefactare theoriam Academicorum, quorum magna in Republica literaria auctoritas, & vis animi in judicando ingens, & diligentia in observando summa, magno momento fuerunt ad eam eruditis in universum omnibus approbandam.

(IV). Variationem Mercurii in barometro, in diversis locis, eodem licet tempore, observatam, nullo modo dare veram mensuram altitudinis montium, aliorumve locorum supra superficiem maris, supra satis perspicue ostendi (sub lit. C). Primi hujus

hujus theoriæ inventores haud dubie suspicati sunt, multum precarii in eam ingredi, & propterea eam non nisi pro erudito tentamine habuisse videntur, olim ex Aerometria, ad majorem perfectionis gradum interim evecta, dijudicando aut emendando. Accidit tamen, quod solet, ut multi, incautius aut præpropere judicantes, theoriam istam tantum non omnibus numeris absolutam esse crederent; multum autem fallitur Cl. Censor, quando sibi persuadet, etiam nostro ævo, quo Aerometriam in formam disciplinæ mathematicæ redactam, & egregiis inventis locupletatam, habemus, theoriam hanc eruditis omnibus probari. Certe in judiciis de eruditorum conatibus ritum illud: qui tacet, consentire videtur, minime valet. Cur autem in Dissertatione de Origine fontium nihil de hac methodo dixerim, nec ejus a mea dissensum, nec causam dissensus, ostenderit, præterquam quod Virorum suo merito Celeberrimorum egregiis conatibus, si fieri potest, adjuvandis operam impendere malim, quam sufflaminandis, hanc quoque rationem habui, quod parum consensaneum videbatur, digressionem de figura Telluris, in quam, minime a me quaesitam, forte incideram, tanquam quaestionem principalem tractare, præsertim mole & tempore Dissertationis transmittendæ præfinito. Ceterum facile apparet, in ista methodo altitudines aeris, singulis lineolis descensus Mercurii respondentes, constituere progressionem arithmeticam, in qua est terminus primus $a = 60'$, differentia terminorum $d = 1'$, summa progressionis $c =$ altitudini aeris integræ, ad quam barometrum supra superficiem maris evectum est, in pedibus data, & numerus terminorum $x =$ numero lineolarum descensus Mercurii, integræ altitudini, modo commemoratæ, respondentium. Erit ergo $(2a + (x-1)d) \cdot \frac{1}{2}x = c$; & $dx^2 + (2a-d)x = 2c$. Qua æquatione reducta, prolixè $x = \sqrt{\left(\frac{(2a-d)^2}{4d^2} + \frac{2c}{d}\right) - \frac{2a-d}{2d}}$, hoc est, si brevitatis gratia fiat $\frac{(2a-d)}{d} = m$, erit $x = \sqrt{\left(\frac{1}{4}m + \frac{2c}{d}\right) -$

$\frac{1}{2}m$. Cujus formulæ utendæ mox occasio dabitur.

V. „Secundo, ratio distantie duarum linearum horizontalium, per terminos a quo & ad quem ductarum, ad longitudinem inter istos terminos interceptam, non est accurata mensura

„sura declivitatũ aquarum, si quando accidat, ut duo fluvii,
 „longitudine cursũs admodum inter se differentes, ex eadem al-
 „titudine proficiantur; tum enim semper res ita eveniet, ut
 „nimiam rapiditatem unius compenset immodica longitudo
 „alterius.

(V). Ex eodem termino communi digrediantur duo
 flumina, exonerenturque in aliquod mare, ita quidem, ut eorum
 ostia multis miliaribus sint ab invicem disjuncta. Jam, quia ac-
 curate declivitates desiderantur, in re presenti, adhibita Ma-
 thematicorum opera, explorentur verè eorum longitudines in-
 ter terminos datos, quæ sint L & l , & præter ea determinentur,
 uti in aquis librandis moris est, trium extremarum horizontali-
 tum verarum H, b , & k , distantia, seu integri lapsus aquarum in-
 ter H & b , item inter H & k , qui sint A & a ; erit in priorè
 flumine accurata declivitatũ mediæ mensuræ $= A:L$, & in po-
 steriore $= a:l$. An ergo mensuræ, quæ accuratæ sunt, propter
 ea degenerabunt in minus accuratas seu falsas, quia ab uno eo-
 demque termino incipit dimensio? Nullo modo. Porro accu-
 rate illæ declivitatũ mensuræ $\frac{A}{L}$ & $\frac{a}{l}$ sunt inter se ut $lA : L a$.

Quodsi jam majorem rapiditatem fluminis prioris præcisè com-
 pensare debet major longitudo posterioris, ponendum erit $A =$
 a , adeoque tunc mensuræ declivitatũ erunt ut $l : L$, hoc est,
 in ratione longitudinum reciproca. Quam rem, ego quidem
 non abnuo, aliquando, præsertim in mari clauso, magno casu ita
 contingere posse; at, quando Cl. Censor affirmat, semper ita rem
 eventuram, hoc est, duobus fluminibus ex eodem termino
 proficiscentibus, & ad diversa maris loca decurrentibus, semper
 esse $A = a$, manifestum est, eum ex improvise ad precariam,
 imo falsam, hypothesin de figura maris spherica delabi, atque sic,
 invita maris historia, mare haberi pro stagno, omnique adeto
 motu progressionis aquarum destituto. (Vid. dicta sub litera D,
 & Dissert. pag. 31, 56, 57 seq.)

VI. „Tertio impossibile est, (quod paulo ante demon-
 „strasse mihi videor,) ut aqua ad inæquales altitudines consistat
 „in maribus, quæ alio modo inter se communicant, quam per
 „canales subterraneos. Posterioris generis aquæ obtemperabunt
 „legibus fluidorum, in tubis communicantibus suspensorum; at
 vero

vero aquæ maris Pacifici & Atlantici, Oceani atque maris Me-,,
diterranei, cum per freta secum communicent, necessario erunt,,
his legibus soluta, ob rationes supra commemoratas. Præter,,
ea quantum terroris affers nautis, quando asseris, freti Ma-,,
gellanici ostium occidentale 19045 ped geom. altius esse o-,,
stio orientali! Nonne verebatur, ne nautici homines animo con-,,
ciderent, aut saltem, ne in commentorum acta referri videres,,
dari montes liquidos, qui altitudine superent montes, quos su-,,
per terra continere novimus altissimos?,,

(VI). Aut maria omnia æquilibrium inter se servant, (hoc
est, nullum eorum versus alterum defluit,) aut non sunt in æqui-
librio. Si prius ponas; ob *permanentem* maris *falsedinem*; in
diversis locis *diversam*, maria diversis locis ad diversam altitu-
dinem consistent, etsi non per canales subterraneos, sed per fre-
ta saltem communicent (vid. dicta ad N. 1). Sin autem, quod
historiæ maris magis convenit, sumas, ea non esse in æquili-
brio, sed quædam eorum in alterum aquas suas exonerare; ma-
rium superficies in una eademque libella esse nequit, sed di-
versa maris loca ad diversam altitudinem consistent, & nihilo
minus ista libellæ maris turbatio perpetuo conservari poterit,
ob continuum aquæ per fluvios affluxum, & continuam aquæ
decessionem, tam per evaporationem, quam per Euripos lor-
bentes, effectam, æque uti in fluminibus aberratio superficiæ
a libella ex similibus causis perpetuo conservatur. Nec est, quod
quis propterea altissimos montes liquidos extimescat, ubi nulli
usquam apparent. E. g. Basilea, respectu Roterodami, altius
sita est, quantitate $\frac{1}{2}$ aut $\frac{3}{4}$ mill. Germ. aut etiam paulo amplius.
Nihilo minus navigantes, Roterodamo solventes, adverso flumine
Mosæ atque Rheni, Basileam tendere possunt, sine ullo metu
montis fluidi occurruri, (quem demum visuri sunt, ubi ultra per-
gentes celebrem Rheni cataram prope Scaphusiam attinge-
rint). Eadem est ratio freti Magellanici. Cujus ostium oc-
cidentale etsi 19045 ped. geom. hoc est, fere integro milliari
Germ. altius situm esse ponatur ostio ejusdem orientali, nihilo
minus, cum freti longitudo sit circiter 150 mill. Germ., inde
saltem oriatur mensura declivitatis aut acclivitatis $medis = 1 : 157$ (*Dissert. pag. 75*), quæ cum proxime accedat ad declivita-
tem fluminum modice saltem rapidorum (vid. sub litera E);

nec hic montes aquarum expectandi erunt, nisi quos colliculos aqueos, vix per aliquot minuta temporis secunda durantes, faviens procella ibidem, æque ut alibi, excitaverit.

VII. „Denique quarto, ex observationibus *Cel. de la Condamine* A. 1738, altitudo Mercurii barometrici prope superficiem maris Panamici circiter est 28 digitorum, quæ est altitudo ordinaria ad oram marium omnium. Vi observationum *Cel. Maraldi & Piccardi*, superficies Oceani atque maris Mediterranei sunt in eadem libella. En præjudicatas opiniones, fatis molestas, & nuperrimæ methodo tuæ adversarias, usque dum tua opera convincamur, aut falsam esse theoriam, quæ observationes istæ barometricæ nituntur, aut observationes ipsas vitio aliquo laborare. „

(VII). Ponamus, per observationes accuratissimas constare, quod Cl. Censor asserit, tam in loco maris Pacifici prope Panamam, quam in freto Britannico ad ostium Sequanz, ordinariam Mercurii barometrici altitudinem esse 28 dig. Parisiorum. Jam quæritur de altitudine horum locorum observationis, seu de eorum distantia a centro Telluris. Cl. Censor affirmabit, loca ista æque alta esse, seu æqualiter a centro Terræ remota, & haud dubie assertionem suam in hunc circiter modum demonstrabit. Ex Aerometricis constat, in tubo *Torricelliano* majorem columnam Mercurii suspendi in locis profundioribus, quam in altioribus. Jam aut horum locorum alter *P* altior est loco *S*; aut contra, locus *S* altior est loco *P*; aut denique ambo loca sunt æque alta. Si ponatur primum; erit columna Mercurii, in *S* suspensi, major columna Mercurii, in *P* suspensi. Si ponatur secundum; erit columna Mercurii, in *P* suspensi, major columna Mercurii, in *S* suspensi. Sed utrumque, cum repugnet observationibus modo commemoratis, est absurdum. Ergo relinquitur tertium, hoc est, loca *P* & *S* sunt æque alta, seu æqualiter a centro Terræ remota. Si tamen mihi dicendum esset, quid mihi de isthac demonstratione videatur, negarem, eam admittendam, ac dicerem, paralogismum in ea committi, dum inferitur, quod inferri non debebat. Nimirum Theorema aerometricum citatum saltem intelligendum est de altitudinibus locorum a superficie Telluris computatis, cum ejus Theorematis demonstrationem distantia loci observationis a centro

a centro Terræ plane non ingrediatur. Quapropter ex observationibus istis saltem inferri debebat, loca observationum P & S æque alta esse, altitudinibus a superficie maris ad Panamam & a superficie freti Britannici ad ostium Sequanæ respective computatis, minime vero, altitudinibus a centro Terræ computatis. Ut taceam, propositiones aerometricas perpetuam hanc conditionem adjunctam habere, *ceteris paribus*. Permultum autem interest, an in Problematibus aerometricis resolvendis hujus conditionis rationem habeas, an non habeas (vid. dicta sub litera C). Denique ostendam, admissâ hac theoria pro altitudinibus locorum comparativis, per observationes barometricas determinandis, talia inde phænomena consequi debere, quæ nusquam deprehenduntur. Nimirum, quia e. g. via vera fluminis Rhæni atque Mosæ inter Basileam & Roterodamum minimum est 150 mill. Germ. = 150.22917 = 2291700 + 1145850 = 3437550 ped. Paris.; posita mensura declivitatis mediæ = 1 : 200, (quæ pro tam rapido flumine haud dubie justa minor est,) erit Basilea, in comparatione ad Roterodamum, altior quantitate $\frac{1 \cdot 3437550}{200} = \frac{343755}{20} = \frac{68751}{4} = 17188$ ped. Paris. = c. Unde, cum per formulam, quam supra ad n.

$$IV \text{ exhibui, sit } x = \sqrt{\left(\frac{1}{4}m^2 + \frac{2c}{d}\right)} - \frac{1}{2}m, \text{ ubi est } m$$

$$= \frac{2a-d}{d} = \frac{120-1}{1} = 119; \text{ erit } x = \sqrt{\left(\frac{119^2}{4} + \frac{2 \cdot 17188 \cdot 4}{1 \cdot 4}\right)} - \frac{119}{2} = \frac{\sqrt{(14161 + 137504)} - 119}{2}$$

$$= \frac{\sqrt{151665} - 119}{2} = \frac{389 - 119}{2} = \frac{270}{2} = 135''$$

= 11. 3. Jam vero in locis maritimis, adeoque & Roterdami, (per *hypoth.*) est altitudo Mercurii barometrici ordinaria = 28. Ergo Basileæ Mercurius in tubo *Torricelliano* consistere debet ad altitudinem 28'' - 11'' - 3'' = 16. 9. Quod ipsum haud dubie est absurdum; cum Mercurius Basileæ nunquam infra 26'' consistere possit, ob integram scalam variationis barometricæ intra 28. 4, & 26. 4 contentam. Vicissim consistat &

Roterodami ad altitudinem 28'', sed eodem tempore Basileæ (ut maxime liberalis sim in concedendo) saltem ad altitudinem 26'', quarum altitudinum barometricarum differentia est = 2'' = 24'', adeoque numerus terminorum $x = 24$. Unde per formulam, supra n. IV datam, cum sit $dx^2 + (2a - d)x = 2c$, erit $2c = 1 \cdot 24^2 + 119 \cdot 24 = 576 + 2380 + 476 = 3432$, adeoque $c = 1716$ ped. Paris. = altitudini comparativæ locorum Basileæ & Roterodami. Quare, cum via vera fluminis interjecta sit = 3437550 ped. Paris., foret pro tantæ rapiditatis fluminis Rheno atque Mosa mensura declivitatis mediæ = $1716 : 3437550 = 1 : 2003$. Quod itidem est absurdum. Conf. dicta lit. E. His probe pensitatis, de falsitate theoriæ *Maraldi* non amplius dubitabitur. Restat, ut lustremus difficultates, quas Cl. Censor contra eum, quem feci, voraginum sorbentium & vomentium usum movit.




VIII. „ Ex tua sententia dantur in mari Euripi sorbentes
 „ & vomentes. Priorum ope, aqua marina absorbetur, in loca
 „ subterranea defertur, atque per horum meatuum ramificatio-
 „ nes longe lateque usque infra tractus montosos, cavernosos, fi-
 „ stulososque, distribuitur, dum interea hæc aqua falsa, per ca-
 „ lore subterraneum fere ubique disseminatum, ad exhalatio-
 „ nem tantum non insensibilem disponitur, vaporesque per loca
 „ fistulosa atque cavernosa, qua datur, in altiores altioresque ca-
 „ vernas, sub ipsis tandem tractibus montosis sitas, adscendunt, - - -
 „ & tandem fontes perennes, ad radicem montis aut jugi aut col-
 „ lis scaturientes, efficiunt. Posteriorum ope, aqua in canale re-
 „ sidua, quæ, tanta aquæ dulcis decessione per evaporationem ef-
 „ fecta, falsedinem gravitatemque specificam acquisivit marina
 „ majorem, & ex ramusculis in ramos atque canales confluit,
 „ mari appropinquans, aquam marinam, etsi ad multo altiore
 „ libellam consistentem, loco pellit, & sub forma Euripi vomen-
 „ tis in mare exoneratur; hæc quidem omnia, prout inquis, ad
 „ eum effectum obtinendum, ut sorbitio voraginis sorbentis per-
 „ ennare, & evaporatio aquæ dulcis continuare possit, nec ta-
 „ men mare quidquam falsedinis suæ amittat. His in rebus duæ
 „ præcipue difficultates sese offerunt annotandæ. Primo, cana-
 „ lis

His subterranei lumen utrumque (per *hypoth.*) longe infra
 superficiem maris collocatum est, consequenter necesse est, ut
 utrumque eorum ab initio vorago sorbens fuerit. Quo pacto
 igitur eorum alterum ex voragine sorbente in Euripum vo-
 mentem transformari potuit? Nullam ejus rei in Dissertatione,
 tua rationem sufficientem deprehendo; imo (quod addo) e-
 jusmodi mutatio nec cum principiis tuis, nec cum legibus
 naturæ, conjungi posse videtur. Ambo Euripi inter se com-
 municant, quia eorum alter reliquias aquæ marinæ, ab altero
 haustæ, in mare deferre ponitur. Canales igitur subterranei,
 aquis utriusque Euripi iter ministrantes, considerari possunt ut
 tubi communicantes, ac hiantes in unum idemque recepta-
 culum, fluido homogeneo repletum: constat autem, his posi-
 tis, fluida æquilibrium servare, usque dum nova aliqua causa,
 supervenerit, æquilibrium turbatura. Causa huic rei idonea,
 in principiis tuis nulla alia occurrit, nisi evaporatio aquæ dul-
 cis, constituendis fontibus destinata; at vero, stantibus prin-
 cipiis tuis, ea ipsa huic effectui producendo impar est. Ut
 æquilibrium fluidorum, contra nitentium, in casu proposito per
 evaporationem tollatur, oporteret eam ab utraque canalium
 subterranei parte inæqualem esse. Nihil est, quod, cur ita cre-
 damus, nos inducat. Calor subterraneus, evaporationem effici-
 ens, ubique æqualiter agere ponitur eo ipso, dum, eundem per
 viscera Telluris disseminatum esse, censes, ibique sese prode-
 re, dum ubique aquam præbet, fontibus stratisque aquosis alen-
 dis infervituram. Quod si vero etiam isthanc evaporationis in-
 æqualitatem admitterem; attamen hoc ad summum conseque-
 retur, Euriporum unum ad tempus saltem vomentem fore;
 longinquitate temporis enim penitus obstrui debuisset. Quod
 ita esse ut appareat, sumatur aqua, sale æque saturata, ac illam
 esse concipis, quæ sub Euripi vomentis forma in mare exone-
 ratur; hæc, super corpore quocunque, ad horizontem sive in-
 clinato, sive perpendiculari, effusa, primo temporis momento,
 ibi deponet crustam salis, magis magisque augendam, quo se-
 pius ejusmodi falsugo affunditur. Ex quo manifesto conse-
 quitur, canales vomentes inde ab initio sensim sale obstrui, &
 id eum, quem his tribuis, effectum producendum inutiles,
 eddi debuisse.

(VIII). Multa hic precario sumuntur, multa mihi dicta attribuantur, quorum contrarium diserte affirmavi; quin &, contra genuinam methodum in Physicis sequendam, experimenta, arte facta, opponuntur atque præferuntur experientiis, ex ipsa rerum natura observata haustis, ad Historiam naturalem, si fieri posset, confutandam. Nimirum 1), etsi uterque Euripus secum communicet ope canalibus subterranei, propterea tamen comparatio hujus aqueductus naturalis cum ejusmodi tubis communicantibus, quales in Hydrostatica supponuntur, non satis accurata est. In his pressio fluidi ab utraque parte plena est, ita, ut a neutra parte ulla causa externa, pressionem minuens aut adaugens, accedat; at in illo canali subterraneo, præsertim in mediterraneo ejus tractu, fluidum maximopere dispersum est, & per loca glareosa ac sabulosa dum difficulter percolatur, plenam pressionem, ab utroque Euripo pendentem, non sustinet, & ope caloris, accedentis per innumeros meatus angustos, urgetur, per quos alias vix ac ne vix quidem percurrere posset (vid. *Dissert. pag. 160 & 161*). 2) Mare non est simplex aquarum receptaculum, sed potius machinamentum hydraulicum summo opere admirandum (conf. dicta ad n. 1, item *Dissert. pag. 16, 17, & 18*). 3) Quando hic mare comparatur cum uno eodemque aquarum receptaculo, eo ipso tacite supponitur, superficiem maris omnem, tanquam si stagnum, & quidem ubique homogœneum, foret, esse in una eademque libella, seu illam ubique ad eandem altitudinem assurgere; at vero, superficiem ejus, tanquam aquæ perpetuo per declivia fluentis, in diversis locis ad diversam altitudinem assurgere, ostendi supra ad n. II, & in *Dissert. pag. 31, 36, 37, 57, & 58*. Et vel sola hæc superficie maris declivitas facile rationem sufficientem suggerit, cur Euriporum communicantium uterque vorago sorbens esse nequeat, sed ceteris paribus sorbere aut vomere debeat, prout ad altiore, aut depressiore, maris tractum collocatus est. Posita autem superficie maris perfecte horizontali, & fluido utrobique homogœneo, ceterisque paribus omnibus, quemadmodum Cl. Censor facit, neuter Euripus neque ad sorbendum, neque ad vomendum, determinatus est, sed utrumque Euriporum genus, tanquam correlata, simul existere debent. 4) Multo minus mare considerandum est tanquam receptaculum, fluido homogœneo (hoc est, fluido ejusdem ubique salsedinis atque gravitatis specificæ,) repletum, (vid. *Dissert. pag. 15, 16, & 17*), quod ipsum vel ex eo apparet, quod aqua maris, ubi ostia aliquot fluminum majorum vicina sunt, minus salsa atque gravis esse debeat, quam in locis multum inde remotis. 5) Calorem per viscera Telluris (non æqualiter, sed potius) valde inæqualiter disseminatum esse, multis observationibus adductis affirmavi (*Dissert. pag. 141-144*). 6) Imo, etiamsi is æqualiter per subterranea distribueretur, non tamen propterea sequeretur, actionem caloris in aquam canalibus subterranei ubique æqualem fore, quin potius majorem minoremve esse, prout applicatur ad massam aquæ magis minusve divisam aut dispersam, uti expresse monui (*Dissert. pag. 161 & 171*), adeoque & evaporatio producta non ubique æqualis esse potest.

7) Non

Fig. I. Meridies



7) Non sequitur, ubicunque fontes strataque aquosa reperiuntur, sub iis locis dari calorem subterraneum & evaporationem, ista producentem; in locis enim mari propioribus, adeoque respectu mediterraneorum valde depressis, his causis immediatis necessario opus non est, sed sufficiunt aquæductus naturales, ex stratis aquosis altioribus seu mediterraneis pendentes (vid. *Dissert. pag. 112 & 113*). 8) Quod attinet ad experimentum, quo Cl. Censor ostendere conatur, canales vomentes, per crustam salis continuo auferentem, brevi tempore coarctari atque obstrui debuisse; facile credo, fieri potuisse, ut prima saluginis affusione superficies tubi interior tenuissima atque vix observabili crusta salis obducatur, at, affusione continuata crustam illam continuo auferi, mihi nunquam persuadere poterit. Enimvero, si res ita comparata esset, eadem vel ex re culinaria aut salamentaria dudum in vulgus nota esse deberet; item fundus maris, quantus est, sale maxime incrustatus foret; item scaturigines in Salinis Halentibus, Lunenburgensibus, ceterisque, dudum deficere debuissent; item Gel. *Cassius* in Comitatu Ruscinonensi, prope montem Bugarach, tres illas scaturigines salvas, super monte minimum non expectatas, & ad Confluentes rivum salsum satis amplum formantes, nunquam observare potuisset (vid. *Suite des Mémoires de l'Académie Royale des Sciences A. 1718 pag. 118*), quas dum recenset, nullius plane crustæ salis nec in scaturigine, nec in rivi alveo, conspectæ mentionem facit, nec facere potuit. Quibus consideratis, vix opus esse videtur, ut moneam, experimentum propositum propterea quoque non quadrare ad Euripos vomentes, quod per hos, ex vivo saxo constantes, effluit aqua & sale, & bitumine, aliisque parum cognitæ naturæ materiis, imprægnata, in experimento autem non nisi aqua sale imbuta, & tubus ex materia emortua paratus, adhibeantur. 9) Denique in gratiam Cl. Censoris ponam, mare prope Euripum utrumque ad eandem altitudinem consistere, idemque esse ejusdem ubique gravitatis specificæ, & aquæductum, inter Euripos interjectum, nulla glareæ sabulose impeditum, convenire cum tubis communicantibus, quales in Hydrostatica supponuntur, atque sic rem ad ipsius hypothèses, quantum fieri potest, accommodabo; & nihilo minus possibilitatem Euriporum vomentium sorbentibus respondentium evincam. Ut exemplum prope verum habeatur, comparabo *Scyllam* in freto Siculo cum loco maris prope Siciliæ promontorium *Passaro*, tanquam Euripum sorbentem *S* cum vomente respondente *P* (vid. *Dissert. pag. 284*), quorum locorum distantia est plus minus 36 milliarium Germ. Nimirum Figura, hic adducta, exhibeat partem sectionis Telluris per ejus centrum *T*. Ex *T* descripti sint quinque arcus circulares *ADGB*, *SR*, *QqP*, *IK*, & *OZC*; sitque *DFC* tractus terrestris Siciliæ; *DA* & *CB* representent mare, ad eandem libellam ubique consistens; *DSE* & *GPL* fundum maris, tubo autem recurvo & declivi *SVMNKP* aquæductum naturalem exhibente, inter Euripos *S* & *P* interjectum, & eadem plane aqua marina repletum, qualis Euripis incumbit; per conditiones positas manifestum est, pressiones fluidi respectivas ab utraque

TAB. IV
Fig. 3.

traque parte *BR* & *AS*, item *BP* & *AQ* seu *ASVq*, item *BK* & *AI*, seu *ASVMNK*, ab initio prorsus æquales fore, atque sic hæcenus neutrum Euriporum *S* & *P* nec ad sorbendum, nec ad vomendum aptum esse, sed partem fluidi *ASVK* æquiponderaturam fluido, ab altera parte incumbenti *BRPK*. Jam agere incipiat calor subterraneus in aquaductum versus *K* declivem, & quidem maxime in partem ejus mediterraneam *MN*, atque ibi per canalem pars aliqua aquæ non salis quasi transpiret aut exfudet, per loca fistulosa atque cavernosa sub vaporum forma versus tractus montosus *F* adscensura; aqua in *MN* residua necessario inde acquirere salcedinem atque gravitatem specificam majorem, etsi per *S* & *P* nova aqua marina irrompat, molem amissam suppletura. Quod dum contingit, aqua residua *MN* locum pristinum *MN* amplius tueri non poterit, sed, tanquam specificè gravior facta, per locum declivem delabatur versus *K*, liquore specificè leviori obstante, quantum datur, loco pulsio, & horum locis, quantum datur, permutatis. Quoniam vero calor subterraneus, & evaporatio in tractu canalis *MN*, & continuus affluxus aquæ marinæ, non cessant; salugo, in inferiore canalis parte prope *KP* continuo augetur, brevi adscendet, primo ad libellam *QqP*, dein ad paulo altiore libellam *OZC*. Etsi vero, in hoc statu, columnæ *BC* & *AO* seu *ASVZ* sibi mutuo æquiponderent, columna tamen *OQ* seu *Zq* præponderabit columnæ *CP* aquæ marinæ, ordinariæ contranitentis, & salugo per *P* effluere incipiet. Lumen igitur *P* sicut Euripum, continuo aut per intervalla vomentem, prout rubus *PK* pro effluxu continuo obtinendo satis angustus, aut nimis amplus, fuerit, alterum autem lumen *S* exhibebit Euripum sorbentem illi respondentem. Quodsi vero præterea (quod scopo prolixius fieret) ponat, aquam marinam super *P* non consistere ad libellam *B*, sed ad depressiorem aliquam libellam *R*, item huic loco maris *R* vicina esse ostia unius pluriusve fluminum majorum, quæ salcedinem atque gravitatem specificam aquæ marinæ incumbenti *RP* minuunt; celeritas atque impetus saluginis, per *P* erumpentis, tanto major evadet. Arque, has ipsas condiciones in Euripis *Scylla* atque *Passaro* re vera locum habere, exinde satis persuasus sum, quod aqua maris Mediterranei, ex Sinu Adriatico & mari Ionio decurrens, *Melitam* Insulam & Promontorium *Passaro* præterlabatur, declivitate superficiæ marinæ versus fretum *Herculeum*, adeoque versus *Noro-Zephyrum*, spectante, (vid. *Dissert. pag. 57* & 58,) & quod (testante *Mappa Siciliae*) in fretum *Siculum* prope *Scyllam* nullum flumen exoneretur, contra autem ipsi Promontorio *Passaro* trium aut quatuor fluminum majorum ostia sint admodum vicina. Qua occasione obiter annotare libet, hos ipsos Euripos *S* & *P* multo imperfectiores futuros, si *Scylla* *S* vicina forent ostia aliquot fluminum notabilium; tum enim ob pressionem versus *S* minorem, vorago *S* multo lentius sorberet, & quidem aquam nimis modice salis, & multo majori temporis spatio opus foret ad saluginem satis densam gravemque in canali subterraneo præparandam, quæ ad eruptionem per *P* satis apta sit, &c.

IX. „Quid causæ est, cur calor subterraneus, evaporationem efficiens, non omnem aquam dulcem a sale secernat, & in vapores conversam versus cavernas superpositas urgeat? Ignis actio hunc effectum, producit, & calor subterraneus eundem pariter effectum producere, deberet; quod ubi evenerit, canalium tuorum conspiratio erit restituta. Equidem procul dubio concipis, gradum caloris spei tuæ perfectè accommodatum esse; at denuo querere liceat, quo fundamento, fretus ita sttuas. Causa hujus caloris, quam, *Charvasium* secutus, videris referre ad commixtionem aquæ cum succis acris vitrioli aut sulphuris, quibus accedere quoque possint alii sales, aut calces subterraneæ, quas perluit aqua, ea certe non sinit nobis fundamentum firmum. Dicam plenius: hac causâ semel admissa, hypothesis tua de origine fontium funditus evertitur. Calor, ejusmodi commixtione, productus, diutius subsistere nequit, quam quoad fermentatio durat, quandoquidem experientia docet, fermenta, qualiacunque fuerint, post fermentationem, quæ semper parum diuturna est, pugnam, semel sedatam redintegrare non valere. Si dixeris, aquam continuo, a visceribus terræ novos succos acres abluere; en, tecum ipse pugabis, ut qui *pag. 168* ita inquis: Cum rationis & experientiæ fide constat, talem esse Telluris fabricam, quæ ad ejus conservationem tendat; statuendum est, salia ex visceribus terræ non exedi, pro desiderato aquæ marinæ, in canali subterraneo fluentis, incremento salæditinis acquirendo. Si enim res ita ageretur; quovisque successu temporis ex crescere deberent cavitates exelæ? Eadem est fermentorum ratio, quorum exhaustionem intra tot Seculorum decursum oporteret esse, prodigiosam. „

(IX). Si sulfugo, in canali subterraneo apparatus, per neutrum canalium lumen erumpere possit, tum eadem, ob capacitatem canalium semper eandem, nova continuo salæditinis incrementa caperet, canalium ipsæ salæ concreto tandem penitus obstrueretur, & affluxu aquæ marinæ, consequenter & aquæ dulcis, sublato, evaporatione quoque aquæ dulcis cessaret, quantumcunque licet gradum caloris hic adhiberi fingas. Quare, cum in *Differt pag. 170-175*, & hic ad n. VIII, evidenter ostendimus, cur sulfugo ista ex canali subterraneo per Euriporum unum, altero scilicet depressiorem P, necessario erumpere debeat, frustra queritur de gradu caloris ita attemperando, ne per evaporationem omnis aqua dulcis a sale secernatur. Experimentum de vase, ex quo per ignis actionem omnis aqua dulcis a sale secernitur, non quadrat ad casum propositum. Adhibendum enim fuisset vas destillatorium fundi declivis, satis in longitudinem porrectum, aqua salæ repletum, & prætereâ uno lumine prope fundum, altero prope fornicem vasis, instructum, ejus conditionis, ut per hoc tantundem aquæ salæ continuo afflueret, quantum partim per illud, partim per evaporationem aut destillationem, igne admoto, evacuetur: id si fiat, ego nolim expectare, usquedum: quod nunquam futurum est) omnis aqua dulcis a salæditine in vase contenta per evaporationem secernatur. Cur causam caloris subterranei ad disquisitionem meam vocare noluerim, dixi in *Diff.*

pag. 170; ubi quoque facile apparet, me *Charrasii* super hac re sententiam tantisper saltem tanquam probabilem admittere, donec ex acquisitis olim accuratioribus observationibus meliora edoceamur. Fac autem, *Charrasii* de ortu hujus caloris explicationem aliquando evidentissime ad absurdum deductum iri, an propterea corruet Systema de origine fontium, in quo calor subterraneus in aquam circumjectam agere ponitur? Minime; Systema illud saluum manebit, sive causam hujus caloris perspectam habeas, sive non habeas, modo, calorem in subterraneis hospitari, per observationes constat; sed saltem Systema illud de origine caloris subterranei erit repudiandum, & de magis probabili inveniendi cogitandum. Denique, etsi ego his meditationibus pro *Charrasii* Systemate perficiendo nunc immergi nolim, nihilo minus ejusdem explicationem contra Cl. Censoris censuram levi negotio tueri possem. Nam, licet calor, ex commixtione ejusmodi succorum acrium productus, extincta miscibilium fermentatione parum diuturna, simul extinguatur, atque præterea omnino verum sit, pro iterando effectu iterandam esse causam efficientem, propterea tamen necesse non est, ut statuamus, (quemadmodum Cl. Censor me atque *Charrasium* dicturum existimat,) aquam continuo a visceribus Telluris novos succos acres abluere aut avellere. Quis enim adeo tardus est, quin statim intelligat, ad inevitabilem Telluris destructionem ista tendere, modico temporis lapsu eventuram? Proinde ego aut ignorantiam modi operandi, quo natura utitur, ingenue fateri mallet, aut rem ita circiter explicare tentarem. Notum est, aquam marinam leniter destillando equidem obtineri aquam a sale liberatam, at non aquam dulcem, qualis pro fontibus requiritur, sed eam adhuc esse amarâ, & bitumine aliisque haud dubie materiis infectam, bibentibusque intolerabilem (vid. *Lud. Ferdin. Comitis Marsilii Histoire physique de la Mer fol. 47*). Consequenter aqua, ex canalibus subterraneis ope caloris subterranei exsudans, in primis viis nondum erit pro aqua fontana factis elaborata. Relinquitur ergo, ut eadem in secundis viis perfectius elaboretur, ita quidem, ut aqua in his frequenter offendat tenuissimos ductus laterales secundis viis insertos, vasorum secretiorum officio fungentes, quorum alii, bitumine liquido semel imbuti, non nisi bitumen, alii, vitriolo liquido tincti, non nisi vitriolum, &c. sæcernant, atque sic, pluribus ductibus similibus convergentibus, forment rivulos bituminis, vitrioli, &c. per declivia fluentes, atque in ipsos canales subterraneos, ubi res postulat, exonerandos, pro novo fermento novæ aquæ, continuo præterlabenti, præhendo, ad calorem producendum idoneo.

Ceterum, quemadmodum rem mihi aliisque gratam fecisse putandus est Cl. Censor, quod eruditus Dubius suis, tanta humanitate mecum publice communicatis, me invitaverit ad mentem meam de rebus hæcenus maxime controversis plenius ac luculentius explicandam, ita quoque haud ex vano mihi persuadeo, eundem Virum Doctissimum, pro eo, quem testatur, veri cognoscendi ardore, pensitatis his Annotationibus sat amplis, haud difficulter in meam sententiam discessurum.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii Anno MDCCXLII.

Pars II.

ANNALES MINORUM, SEU TRIUM ORDINUM, a S. Francisco institutorum, Autore A. R. P. LUCA WADDINGO, Hiberno, S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo. Editio secunda, locupletior & accuratior, opera & studio R. P. JOSEPHI MARIE FONSECA AB EBORA, Ord. Minor. Scriptoris & Ex-Generalis, Sac. & univers. Inquisitionis Consultoris, Sac. Congreg. Consistor. Vocantis, Episcoporum Examinatoris, & apud S. Sedem tractantibus Lusitanis rebus præfæti, &c.

Tomus XIII.

Romæ, typis Rochi Bernabò, 1736, fol.

Alph. 6 plag. 15.

Qua nos diligentia in enarrandis *Voluminum* priorum argumentis veritates olim meministi, eadem, age, Lector, reliqua nunc percurramus, horumque præcipua, neglectis iis, quæ leviora videri possunt, momenta persequamur. *Tomus* igitur *XIII* illustrissimi Minorum Ordinis historiam ab anno inde 1457 ad 1471 complectitur. Eundem nos in recensendo ordinem tenebimus, & ut continuam quandam rerum a religiosa illa Societate gestarum habeat narrationem Lector, quid annus quisque memorabile cum primis & notatu dignum tulerit, breviter & per summa tantum capita indicabimus. Anno igitur

- 1457, extincto *Joanne Capistrano*, in Hungariam, tuenda hic
 Pag. 2 seq. Christianæ doctrinæ causâ, missus a Pontifice *Jacobus Picenus*,
 5. eidemque paulo post in Italiam reduci, substitutus est *Joannes de Taliano*. Alibi ex Ordine Minorum in alias terras
 8 seq. misit Pontifex, *Marianum de Senis* in Dalmatiam & civitatem
 Ragusinam, postea etiam in Bosnam & Serviam, *Joannem*
 11 seq. *de Albania* & *Eugenium de Somma* ad Principem *Scanderbe-*
 12. *chium*, adversus Turcas strenue pugnantem, *Robertum de Licio*
 in ditiones *Francisci Sfortiæ*, Vice-Comitis Mediolanensis, &
 14. 22. *Ludovici*, Montisferratensis Marchionis, *Antonium a Monte-*
Falcone & *Cherubinum de Spoletis* in Ducatum Spoletanum &
 nonnullos Italiae Episcopatus, *Franciscum de Viterbio* in pro-
 vinciam Patrimonii in Tuscia, *Franciscum de Carbonibus* in
 19. Marchiam Anconitanam & Massam Trebariam, *Angelum a*
 23. *Bolsena* in Orientem, *Alphonsum de Palenzuela* in Hispaniam,
 24. *Laurentium Panormitanum* in Orientem, ad subsidium classi Pon-
 26. tificiæ ferendum, & *Ludovicum Bononiensem* in Æthiopiã.
 29 seq. Mediolani generalia Ordinis Comitia sunt celebrata; quibus
 31. finitis, mortuus est Generalis Minorum Minister, *Jacobus de*
Mozanica, ab Ordine suo inscriptione hac sepulchrali hone-
 status:

*Hac Jacobus humo tegitur Mozanica frater,
 Ingenio Salomon, integritate Cato.*

*Hic fratrum princeps, hic gloria summa Minorum,
 Hic fuerat sancta religionis honos.*

- Huic substitutus est a Pontifice Vicarius Generalis *Jacobus de*
Sarzuola, Provinciæ Aragoniæ Minister, genus ex Catalanis
 ducens. Eodem anno rebus humanis exempti sunt duo Vica-
 32. rii generales regularis Observantiæ, Ultramontanus *Theodori-*
cus Auriga, & Cismontanus *Antonius a Montefalcone*, sanctæ præ-
 39. terea & incorruptæ vitæ femina, *Seraphina*, nobilis Christiã. Pa-
 93 seq. risiis graves adversus Mendicantes turbæ sunt commotæ, sed a
 40. Pontifice paulo post feliciter sedatæ. In Corsicam missi sunt
 41. religiosi homines, qui gentem barbaram purioribus doctrinis
 instituerent. Novi Episcopi complures sunt creati; splendidis-
 sima passim Cœnobia exstructa, & ecclesiæ novis immunitati-
 bus

bus donatæ. A. 1458 *Calixtus III*, Pontifex, quosdam ex Ordine **Pag. 41-**
 Minorum in Hungariam ablegavit, horum opera ad infringendam **47.**
 Turcarum potentiam usus. Fratres Hungari a Vicarii **52.**
 Generalis Observantium jurisdictione ad præsidium Ministri Ge- **54.**
 neralis transferunt. Hierosolymitanos beneficiis multis ac pri- **56.**
 vilegiis donavit Pontifex. Iudicium est Capitulum generale,
 cujus suffragiis Minister Generalis factus est *Jacobus de Surzue-* **58.**
ta. Diem obiit *Calixtus III*, Pontifex, in cuius locum *Pius II* **59. 84.**
 successit. Eidem fato succubuit *Dominicus a Castranica*, Cardini-
 nalis Firmanus, Protector Ordinis, cui substitutus est *Bessarion* **63.,**
Trapezuntinus, Cardinalis Nicænus. Ministro Burgundiæ novus
 Pontifex auctoritatem constituendi Inquisitores concessit. **61.**
 Controversiæ Observantium cum Conventualibus ita sunt compo-
 sitæ, ut, rejecta Bulla *Calixtina*, in usum pristinum revoca- **63 seq.**
 retur *Eugeniana*. *Jacobus Picenus* ad Firmanos, sacra hic obi- **74.**
 turus, abiit. Mortuus est B. *Paulus*, Perpinianensis. Cœnobio
 & Conventus novi sunt exstruendi. Memorabile & religionis ple- **75 seq.**
 num testamentum, quod integrum hic exhibetur, Frater *Lope-* **86-115.**
sius de Salinis condidit. A. 1459 *Pius*, Pontifex, iusta adversus
 Turcorum potentiam remedia inventurus, Mantuæ Con- **116.**
 ciliium indixit, in quo salutarem *Jacobi Piceni* maxime & *Ma-*
riani Senensis operam expertus est. *Angelum de Vulsinio* ad Du- **123.**
 cem Mediolanensem Legatum misit, subortam de eligendo Ec- **123.**
 clesiæ Papiensis novo Episcopo litem compositurum. De *Joan-*
ne Capistrano inter Sanctos collocando consilia sunt agitata. **129.**
Alphonfus Bolanus, sopita controversia Canariensis, in Æthio- **130.**
 piam se contulit. Fundamenta jacta sunt Custodiæ Majo-
 ricensis. Ex hac vita abierunt *Antonius Bitontinus*, *Hieronymus*
de Stupha, *Philippus Asculanus*, *Demetrius Insiber*, & *Joan-* **131 seq.**
nes Nursinus. *Lupus de Salinas* suspectæ doctrinæ accusa- **136.**
 tus, & a sacro munere remotus, vitam in solitudine finivit.
 Nova magno numero Cœnobio ædificata. A. 1460 ex lega-
 tione Ultramarina Romam reversus est *Ludovicus Bonu-* **137 seq.**
nensis, qui plures Orientalium Principum Oratores, ipsum Pa- **153 seq.**
 triarcham sibi experientes, secum duxit, sed cessisse res ea ali-
 ter, ac speraverat *Ludovicus*, ipse etiam, in suspicionem muneris
 sui

- fui male administrati adductus, gratia excidisse Pontificis, dicitur, negantibus id aliis, qui, omni tempore Pontifici fuisse gratum, perhibent. Hungariæ Principes ad sacrum *Joannis Capistrani* cultum multis precibus & literis cives Italos sollicitarunt.
- Pag. 157-162. Ad Superos abierunt *Vincentius Rusca*, Comensis, *Daniel a Nimbro*, *Christophorus a Modetia*, *Thomas* sive *Thomasius Aprutinus*, *Dominicus Castilionus*. Floruerunt *Blasius de Conto*, *Angelus delle Pesche*, *Ruffinus de Ferezano*, *Franciscus de S. Severo*, *Robertus de Rodio*, *Gregorius & Bernardus Faventini*, *Franciscus de Linari*, & complures nobiles Clarissæ, quibus accedunt illustres doctrina viri, ex Germanis *Joannes Kaanemant* & *Henr. Herpius*, ex Gallis *Nicolaus de Orbellis*, & ex Anglis *Robertus Fininghamus*. *Henricus*, Rex Castellæ, omnium
166. Observantium unionem tentavit, & injurias, his a Turcis illatas, gravissime ultus est. Complures Episcopi creati, & novi Conventus instituti. A. 1461 *Gabriel Veronensis* Inquisitor per Bohemiam, *Bartholomæus Egresanus* Inquisitor per partes Gratianopolitanas, *Angelus Vulfinus* Nuntius per Florentinas ditiones, nominatus est. *Sigismundus*, Austriæ Dux, *Nicolaum*, Cardinalem Cusanum, bonis omnibus privatum, vinculis detinuit, quem liberaturus Pontifex, *Martinum de Rotemburga* in Germaniam misit. Canonizationem *Joannis Capistrani* urgere non
- 166 seq. 172 seq. 185. 187. 188. 190 seq. 193. 206-216. 217-248. 249. 251.
- intermisit *Fridericus I* Imperator. Tria Ordinis Minorum Comitia generalia sunt celebrata, primum Divione, alterum in Conventu antiquo Auximano, ubi Vicarius generalis electus est *Ludovicus Vincentinus*, tertium in Conventu Salamantino. Viri docti floruerunt *Franciscus de Seminaria*, *Jo. Antonius de Crema*, *Petrus Fulginas*, *Barnabas Interamnensis*, & *Petrus Maurocenus*. A. 1462 denuo de sanguine Christi controversia agitari cœpit. Omnes fere Germaniæ, Poloniæ, & Hungariæ, Principes precibus suis eo adducere conati sunt Pontificem, ut Sanctis adscribendum concederet *Capistranum*, cujus hoc anno discipuli inclaruere *Ladislaus a Gelmono*, *Melchisedech Polonus*, *Stanislaus de Huyma*, *Clymaeus Cobilinius*, pii omnes doctique homines. Dissidium inter Bosniæ & Dalmatiæ fratres sedare Pontifex studuit. Capitaletm hostem Minoritæ Pragenses *Joannem Rochizæ-*

Rochizanam habuere, ab eodem ipsis urbis finibus expulsi. A. Pag. 252.
 1463 controversia de sanguine Christi aliquantum sedari visa 264 seq.
 est, sed postea in novas flammæ erupit. Pontifex modis omni- 266 seq.
 bus id egit, ut Principes Christianos adversus Turcas in arma
 concitaret, eumque in finem per terras late omnes sic dictos
 Prædicatores Cruciatæ misit. Bosnensi regno a Turcis ejecti Mi- 271-279.
 noritæ, Venetias corpus S. *Luçæ* transportarunt, quod, etsi su-
 spectum primo visum, postea tamen verum Evangelistæ cor-
 pus declaratum est. Hierosolymis defunctus est *Gabriel Bononien-* 289
sis, Commissarius locorum Terræ Sanctæ, in cujus locum suc-
 cessit *Marcus Bononiensis*. Observantes ad unum omnes unius
 capituli imperio adstricti. Ad cœlestem vitam abierunt S. *Didac-*
cus Complutensis, miraculis editis nulli secundus, & ob id a *Sixto V* 281-324.
 inter Sanctos relatus, *Catharina*, Bononiensis Clarissa, sanctissima
 scœmina, & *Joannes Mogin*, Vicarius Generalis Ultramontanus. A. 324 seq.
 1464 sopita est tandem a *Pio II*, quæ diu agitata fuerat, de sanguine 328.
 Christi controversia. Celebratum est Capitulum generale in urbe 340 seq.
 Perusina, in quo *Jacobus a Sarzuela* abdicavit se officio Ministri
 Generalis, qui successorem habuit *Franciscum Savonensem*. Duo 345.
 alia Capitula instituta sunt ab Observantibus Ultramontanis & Cis- 346 seq.
 montanis. Veteres Bosnensium, Dalmatarum, & Ragusinarum,
 Minoritarum similitates sopitæ. Austriæ provincia regimini Vi-
 carii generalis Observantium subjecta. Observantes, multorum 348.
 huc usque obtreccionibus petitos, veros Pontifex S. *Francisci*
 filios declaravit. Vivis excessit *Pius II*, successorem nactus *Paul-* 353.
um II, cui, adversus Turcas bellum paranti, insignem opem Mi-
 noritæ tulerunt. Obierunt præterea *Petrus Aretinus* & *Petrus de* 356.
Fuxo, Cardinalis; floruit autem præ ceteris *Amadeus Lusitanus*.
 A. 1465 *Ludovicus Bononiensis* Legatus missus est ad Principem
 Tartarorum & Regem Polonorum, hos adversus Turcas ar- 369.
 maturus. Ragusini literis Pontificiis in unionem provinciæ suæ
 cum Dalmatia & Bosna consentire jussi sunt. Ab Ordine S. *Hie-*
ronymi recesserunt quidam, in separatam & singularem Congre- 373.
 gationem abeuntes. Decessit Cardinalis *Ludovicus de Allibreto*,
 regia Gallorum stirpe oriundus, nec non *Ludovicus*, Dux Sa- 375.
 baudicæ, Gebennæ habitu Minoritico sepultus. Annus 1466 385.

- parum memorabile tulit, nisi quod Italorum nonnulli,
Pag. 386. adversus Pontificem rebelles, ab excommunicatione, quam
 incurrerant, sunt absoluti, Polonis suus datus est Commissarius,
 387. novi Episcopi electi, nova etiam Cœnobia sunt constituta. A.
 1467 tria celebrata sunt Capitula generalia, unum a Patribus
 397 seq. Conventualibus Florentiæ, alterum ab Observantibus Ultramon-
 tanis in Conventu Montis Lucii, tertium a Cismontanis in Cœ-
 nobio Mantuano. Provincia Austriaca scissa est in tres alias, Au-
 400. striacam, Polonicam, & Bohemam. Inter Mediolanenses &
 402. Brixienfes Monachos gravis controversia suborta est. Bosnen-
 405. sium Fratrum mira adversus Turcas virtus & constantia emi-
 406. nuit. Rebus humanis erepti sunt *Philippus Bonus*, Dux Burgun-
 407. diæ, *Thomas Theutonicus*, & *Christoph. Crivellus*. A. 1468 Bo-
 421. hemis Commissarius præfectus est; qualem & dari sibi pe-
 423. tierunt aliæ provinciæ, inprimis Sardinia. Mortui sunt *Ludo-*
 425 seq. *vicus Petri Latini*, *Franciscus de Castro Millio*, & *Francisca An-*
 427. *drea Perusina*. *Franciscus Savonensis*, Minister Generalis, sacra
 purpura donatus est. A. 1469 Venetiis indicta sunt generalia
 435. Comitia, & in his totius Ordinis Minister constitutus est *Joannes*
sive Zanettus Utinensis; generale item Capitulum in Insula Bi-
 sentina Fratres Observantes habuerunt, & Vicarium Generalem
Marcum Bononiensem nominarunt. Condemnatus est in his Co-
 436. mitiis *Georgius Constat de Podiebrat*, Rex Bohemiæ, &, inter alia,
 438. an Mercurii diebus abstinendum sit a carnibus, quæsitum. E vita
 abierunt *Alphonsus Boroxius*, & *Theodora Annibaldensis*. A.
 1470 rebus humanis erepti sunt *Antonius Scozeftus*, *Didacus*
 453 seq. *a Solorzano*, *Paula Fulginas*, & *Margarita*, Comitissa Venætri &
 454. Mensii. In Polonia floruerunt *Ludovicus de Varta* & *Nico-*
laus Passer. Capitulum generale Observantium in Conventu
 456. Palentiole celebratum. A. 1471, extincto *Paulo II*, supremum
 463. Ecclesiæ regimen collatum est *Sixto IV*, magna adversus Tur-
 cas molienti, sedandisque turbis Bohemicis intento. *Petrus Ria-*
 464 seq. *rius* & *Julianus de Ruvere* ad purpuram evecti sunt. In Mino-
 465. ritas indulgentissimum se gessit Pontifex. Gravem Senensium &
 466. Florentinorum controversiam *Fortunatus a Perusio* composuit.
 467. *Bernardini Feltrensis* clarissimum nomen fuit. Decessit *Antonius*
Stron-

Stronconius, integerrimæ vitæ Minorita. Accessit huic Tomo, ut, qui præcesserunt, omnibus, Regestum Pontificium, seu Collegio Bullarum ab A. 1457 ad 1471, rerumque notabiliorum Index.

THE DIVINE AUTHORITY OF THE OLD AND
New Testament asserted, &c.

hoc est,

DIVINA VETERIS ET NOVI TESTAMENTI
autoritas asserta. Insuper sunt speciales vindiciæ characterum Mosis, Prophetarum, Jesu Christi, Servatoris nostri, ejusque Apostolorum, ab injustis criminationibus, & falsis ratiocinationibus, libri, the Moral Philosopher inscripti. Autore JOANNE LELANDO, M. A., eo, qui Responsonem ad librum, cujus index est: Christiana religio æque antiqua ac creatio, composuit.

Londini, sumtibus Richardi Hett, 1739, 8 maj.

Alph. 1 plag. 10.

Cum Lectoribus nostris noticiam quandam pestilentissimi illius libri, a *Morgano* sub *Philosophi veritate morali innitenti* indice evulgati, superiore Anno in *Actis* nostris exhibuerimus; partium nostrarum esse ducimus, ut cum iisdem quoque noticiam libri docti & egregii, in quo impiæ *Philosophi morales* assertiones atque cavillationes solide doctæque refelluntur, communicemus. Quod eo alacriori animo facimus, quo certius sumus persuasi, omnia illa officia, quæ doctum atque æquum veritatis vindicem decent, in eo esse præstita. Autor hujus elegantissimi libri, *Lelandus*, is, qui jam olim in controversia, a *Tindalio* mota, ea eruditione atque soliditate sanctissimæ veritatis causam defendit, ut inter eos, qui calamum contra *Tindalium* strinxerunt, palma merito ei sit concessa, statim sub Præfationis initium illud observat, quod, qui Christianam religionem evertere suscipiunt homines, nobile illud nomen hominis, libere de rebus ad religionem

ligionem spectantibus sentientis (*a Free-thinker*), magna sibi audacia arrogant. Cum vero sentiendi libertatis justæ finis is sit, ut veritas cognoscatur, eaque, quæ bona sunt atque iusta, majora capiant incrementa; hocce nomine *orthodoxos* potius ornandos esse ostendit. Qui enim jus illud, libere de religione sentiendi, sibi tribuunt, audacter, magnaque animi fiducia, ea, quæ asserunt, proponere, de se ipsis, eaque, qua sibi ornati videntur, perspicacia acieque judicii, nimis arroganter sentire, eosque, qui secum non consentiunt, alto supercilio contemnere, res, quas suæ causæ haud patrocinari arbitrantur, aliter, quam sese habent, exhibere, desiderio quodam, res ad revelationem spectantes odiosa aut iudicra ratione representandi, flagrare, his vero non obstantibus, semper reverentiam erga eam, quam subvertere penitusque delere moliuntur, religionem obtendere, solent. Talem igitur cum *Philosophi moralis Autor, Morganus*, sese præbeat; illorum scelestissimorum hominum numero jure meritoque eum annumerari pater, simulque illud patet, quantæ gratiæ habendæ sint Doctissimo *Lelando*, quod calamum contra talem virum strinxerit, qui ea impudentia, animique acerbitate, sanctissimam religionem aggressus est, ut omnes, qui ante eum infelix hoc negotium tentarunt, audacia atque malitia superare videatur. Quod igitur ad ipsum librum *Cel. Lelandi* attinet, in *XVI Capita* ille est distinctus, in quorum singulis gravissimæ religionis nostræ doctrinæ, ab adversario impugnatæ, examinantur, & ab ejus objectionibus atque criminationibus vindicantur. *Primo Capite auctoritatem revelationis, generatim considerata, vindicat Lelandus*. Adversarius magna passim cum reverentia de revelatione, generatim considerata, loquitur, eandemque neque impossibilem esse, neque usu suo destitui, concedit, quin imo, magnam ex ea utilitatem in genus humanum, sub misera hac, cui subjecti sumus, conditione constitutum, redundare, affirmat, *pag. 143, 144, & 145*. Ast vero, anguem sub herba latere, ex eorum, quæ *pag. 82 seq.* de usu & auctoritate revelationis differit, cum iis, quæ jam adducta sunt, locis collatione patere, ob-

Pag. 5-7. servat Autor. Ibi enim divinæ revelationi haud majorem, quam

quam nos humano testimonio adhibemus, auctoritatem vult tributam. Secundum ipsius enim asserta haudquaquam obstricti sumus ad doctrinam quandam, ut veram, amplectendam, quia ab aliis, quibuscum a Deo est communicata, ad nos pervenit, sed ideo nobis incumbit credere, a Deo eam esse revelatam, quia ratio, eam veram esse, argumentis, ex natura rerum, ab auctoritate revelationis minime pendentium, ductis, dicitur. Cujus rei cum simus certi, amplecti nos doctrinas, tanquam veras, debere, neque quaerere, utrum a Deo profectae sint, an minus. Idem vero hoc esse ostendit *Leibniz*, ac si affirmetur, nihil, tanquam divinitus revelatum, a nobis esse accipiendum, nisi ipsa revelatio nobis obtigerit; & doctrinas legesque, per revelationem nobis traditas, non majori auctoritatis atque evidentiae gradu gaudere, quam doctrinas, a Philosophis aliisque, immediatam revelationem sibi haud tribuentibus, propositas. Fontem, unde haec sententia profecta sit, quaerendum esse in falsa illa assertione, passim saepiusque ab adversario repetita, quod scilicet *veritas, aut justitia, & aequitas, unicum illud, idque infallibile, veritatis, a Deo profecta, criterium* constituant. Quodsi vero nosse cupias, quid per *veritatem & justitiam moralem* intelligat adversarius, eum ita vagum in determinanda harum vocum notione deprehendes, ut vix ac ne vix quidem, quo sensu voces illae ab eo accipiantur, divinare queas, praesertim cum phrasas istas: *veritas moralis, ratio & aequitas rerum, & veritas moralis, consensus (reasonableness) & aequitas ipsarum doctrinarum*, tanquam phrasas idem significantes adhibeat (vid. pag. 10, 86, & 94); quanquam eo adversarii mens redire videatur, quod nos tum demum certi esse queamus, doctrinam quandam a Deo immediate esse revelatam, quando ea in se ipsa aequa est, nostroque intellectui ex argumentis, a natura & ratione rerum desumptis, vera apparet. Inde vero & illud clarum est, quod ex argumentis, ab adversario allatis, nullum ad divinam cujusdam doctrinae revelationem probandam, aut nostram, quam tuemur, revelationem infringendam, necesse queat argumentum, cum res verissima esse queat & rationi quam maxime consentanea, quae tamen a Deo immediate

Pag. 9.

10.

non sit revelata. Simul vero, quo tendat inprimis adversarius, patet, eo nimirum, ut hominibus persuadeat, nullam doctrinam per immediatam revelationem a Deo esse profectam. Quam adversarii assertionem si refellere velimus, duas nobis quaestiones expendendas esse docet eruditissimus *Lelandus*, alteram, utrum illi, quibus revelatio ipsa immediate obtrigit, satis certi esse potuerint, quod vere a Deo profecta sit, quam per immediatam inspirationem accepere, revelatio; alteram, utrum praeter eos, quibus ipsa ab origine revelatio accidit, adhuc alii convicti satis esse queant, a Deo esse revelata, adeoque tanquam revelationem accipienda, quae illi tanquam a Deo revelata mundo annuntiarunt. Quas duas quaestiones omnino affirmandas esse docetur, hacque occasione, cum ad secundam quaestionem ostensum sit, nos per miracula de divina, aliis facta, revelatione convinci posse, ad vindicanda miracula, a *Mose* & *Christo* ejusque legatis perpetrata, progreditur *Lelandus*, docetque primum, ex miraculis, a *Mose* effectis, sufficiens ad divinam ejus missionem probandam argumentum peti posse, & ea ita fuisse comparata, ut ii, in quorum conspectu ea facta fuere, per haec ipsa miracula commoveri potuerint ad doctrinas & leges, a *Mose* publicatas, tanquam divinitus datas recipiendas; deinde, miracula, a *Christo* perpetrata, amplissimum doctrinis legibusque, quae sunt miraculis istis firmatae, testimonium praebere. Excedunt enim humanam potentiam scientiamque omnem, unde, ut per potentiam & adjumentum entis superioris edita sint, sequitur. Quae vero cum ita sint, illud omnino concedendum esse monstratur, quod is, ad cuius missionem divinam confirmandam miracula illa fuere facta, extra ordinem a Deo sit missus, & quod adeo religio, in cuius gratiam miracula illa edita sunt, vera sit, divinaque gaudeat autoritate. Adversarius, ut, quod e miraculis ad divinam doctrinam cujusdam originem probandam ducitur argumentum, robore suo privet, objicit *pag. 80, 83, & 93*, donum, miracula perpetrandi, eos, qui illo fuerint ornati, neque infallibiles, neque peccandi nescios, reddidisse, indeque ex hoc dono argumentum peti non posse. Sed recte Autor noster monet,

net, argumento a miraculis defumto proprie fallibilitatem & infallibilitatem, peccabilitatem & impeccabilitatem (liceat ad mentem adversarii rectius exponendam barbaris vocabulis uti) eorum, qui miracula illa perpetrarunt, non posse evinci. Pag. 29.
30. hoc enim in casu quæ iis, de divina revelatione gloriantibus, tribuitur fides, neque verbis, neque veracitate, neque integritate eorum, sed reali quodam argumento, a verbis eorum plane diverso, eo scilicet testimonio, quod Deus divinæ eorum missioni atque inspirationi, legibusque, suo nomine publicatis, præbet, nititur. 35. 36.
 Eos, qui tum, cum miracula perpetrata fuere, non vixerunt, homines ex his de divina doctrinæ, miraculis firmatæ, origine convinci posse, docet *Lelandus*, si eandem apud illos efficaciam atque convictionem gignant, quam apud eos, in quorum conspectu fuerunt edita, exseruerunt. Neque valere objectionem, quod hæc vel illæ res humano nitantur testimonio, quandoquidem testimonium illud iis instructum esse possit circumstantiis, ex quibus nos certissime convinci queamus, illa facta priscis accidisse temporibus, ejusque generis leges fuisse promulgatas. Cum igitur hoc *Capite* adversarii de revelatione, generatim considerata, sententiam sub examen vocaverit, ejusque auctoritatem defenderit, *Lelandus*; jam *Capite secundo* ejus *contra Vet. Test. divinam auctoritatem allatas objectiones* discutere atque refellere aggreditur. *Morganus* legem *Mosaicam institutum excæcans captivansque, jugumque tenebrarum minime ferendum*, vocat. Vid. pag. 29, 32, & 51, ubi maximis conviciis legem hanc laceratam ab adversario deprehendes. Hanc vero appellationem iniquissime legi tribui, *Lelandus*, naturam finemque legum *Mosaicarum* explicando, docte ostendit. 47.
 Finis legum earum eo directus erat, ut Judæi ab idololatria vitiisque immunes fervarentur, & e contrario ad colendum unum illum, eundemque verum, Deum, & id, quod bonum atque justum est, exercendum, excitarentur. Et, quanquam fines legis ceremonialis omnes indicari atque exponi nequeant, dubium tamen non est, quin ritus, lege illa præscripti, bonum atque sapientem, illique temporis atque populo quam 49. 50.
 maxime convenientem, scopum habuerint. Quidam enim ex
iis

- iis eo tendebant, ut Judæi ab idololatria servarentur immunes; alii ideo erant instituti, ut facta quædam singularia, quorum recordatio cum maxima erat utilitate conjuncta, populo in memorem revocarentur; alii demum, ut typi, Messiam, ejusque
- Pag. 52. beneficia, adumbrabant atque præfigurabant. Quemadmodum vero lex *Mosaiica* universo populo Israelitico, nationis sive societatis instar considerato, data erat; ita sanctiones, sive promissiones atque comminationes ejus, ad naturam quoque atque circumstantias societatis accommodatæ, adeoque temporales erant naturæ, & felicitatem atque infelicitatem, bonas aut malas consequentias, ex obedientia vel inobedientia eorum fluentes, respiciebant.
55. Quod vero Deus populum sibi peculiarem, idque ratione adeo extraordinaria, elegerit, eique ejusmodi leges observandas injunxerit, non ob hunc speciatim populum, sed ideo, ut bonum generatim consideratum promoveretur, factum est; qui finis quam maxime hoc modo obtinebatur, quoniam sic veræ religionis notitia per integrum terrarum orbem percrebrescebat. Id enim per constitutionem hanc peculiarem efficiebatur, ut populus quidam reliquus exstaret, qui veri Dei notitiam, idololatriæ vitio haud conspurcatam, profiteretur, eidemque debitum præstaret cultum. Cui accedit, quod Deus filium suum, impleto temporis spatio, missurus erat, qui homines redimeret, iisdemque divinam voluntatem clarissima perfectissimaque ratione exponeret. Varia quidem contra ea, quæ jam a *Lelando* monita sunt, adversarius objicit, quæ vero doctè solideque *Lelandus* refellit. Primo quidem veritatem factorum illorum extraordinariorum, quæ legis promulgationem comitata sunt, infringere studet. Quod dum facit, nec a *Mose* narrationem horum factorum conscriptam esse, & ipsam narrationem falsam esse, arguit, sed illud persuadere nobis cupit, ut, non eum in finem factorum istorum historiam conscriptam esse, credamus, quasi res illæ vere contigerint, sed ut eas, tanquam poeticas exornationes, *Homeri fictionibus similes*, accipiamus; quo sensu *Mosen* eam, quam de hisce factis retulit, narrationem acceptam quoque voluisse, affirmat pag. 247-251. Sed observat *Lelandus*, *Mosen*, qui Pentateuchi autor
- est,

est, facta hæc eodem illo tempore, quo peracta sunt, literis mandasse; hinc populum certum omnino esse potuisse, utrum facta illa miranda, quæ *Moses* accidisse refert, vere gesta fuerint, nec ne. Si enim & illud concedatur, quod Israelitæ gens fuerint cæca atque stupida, tamen, nisi illis omnem sensuum usum denegare velit adversarius, & illud esse concedendum monetur, quod facta, in conspectu eorum gesta, dijudicare, & utrum vere in Ægypto, mari rubro, atque deserto, acciderint, quæ ibi accidisse affirmat *Moses*, miracula, explorare, potuerint. Sed adversarius amplius ad sensum historiarum, a *Mose* conscriptarum, literalem infringendum urget, nos, si, quæ de exitu Israelitarum ex Ægypto, & occupatione Cananæ, a *Mose* referuntur, secundum literam accipiamus, concedere debere, *illis temporibus Deum, humana forma indutum, ut hominem, sive ens finitum atque circumscriptum, ratione visibili, & que ceciderit sub sensus, apparuisse, egisse, atque locutum fuisse.* Vid. pag. 272. Ast vero siue omni fundamento hæc ab adversario deblaterata esse, ex eo apparere *Lelandus* docet, quoniam in integra historiarum hujus narratione ne unicus quidem, in quo Deus Israelitis humana forma indutus apparuisse dicatur, locus inveniri possit; contrarium potius hujus assertionis in sacris literis, & imprimis *Deut. IV, 12, 15*, adstrui, ubi Israelitis Deum sub imagine quadam, a rebus corporeis desumpta, colere interdicitur. Omne autem, quod ex narratione *Mosis*, si secundum literam accipiat, possit colligi, illud esse, quod Deus, cum sapientissimis rationibus adductus, Israeliticum populum in peculiarem sibi populum elegerit, simul, quo magis Israelitas de immediata præsentia sua, atque majestate divina, convinceret, in nubis illa columna, quæ specialis Dei præsentia signum erat, mirandumque splendorem, licet sine ulla humana forma & imagine, reddebat, illis sese revelaverit. Ad quam *Mosen*, divinam voluntatem exploraturum, accessisse, atque ex ea per vocem, e medio nubis egredientem, divinam voluntatem cognovisse, *Lelandus* conjectat; simulque monet, si hæc rite perpendantur, ex iis quidem argumentum divinæ bonitatis desumi, nulla vero ratione probari, posse, absurdi aliquid

65.

69.

71.

aut Deo indignum, & perfectionibus ejus essentialibus repugnans, in iisdem contineri. *Capite tertio ad eas, quas, Pauli, ut videri vult, autoritate commotus, contra legem Mosaicam affert Philosophi moralis Autor, objectiones progreditur, easque simul refellit, Lelandus.* Eo vero redit adversarii sententia, quod *lex Mosaica, positiva aequae ac ceremonialis illa, quae Levitica, sive sacerdotalis, vulgo vocatur, partem politicae carnalis atque mundanae constituerit, neque adeo ab origine a Deo sit profecta, atque revelata, ita, ut aliquando per aliam revelationem fuerit destruenda atque abroganda.* Quam quidem sententiam tanta audacia proponit, ut victas ei manus promittat, qui probare possit, *Paulum, rite intellectum, ipsi adversari.* Vid. pag. 23 & 24. Quod vero licet praestiterit erudita *Lelandi* diligentia; neque tamen promissis suis stetit, mentemque meliorem induisse adversarium, merito dolemus. Ita vero in de-

- Pag. 81. struenda *Morgani* assertionem versatur solide doctus *Lelandus*, ut, cum divinam legis *Mosaicae* originem ex variis sacri Codicis locis ostendat, tum deinde ipsas adversarii objectiones atque exceptiones speciatim examinet diluatque. Ubi primo id demonstrat, quod *Paulus*, quando scripta *Mosis* atque Prophetarum affert, omnino divinam eis auctoritatem tribuat; deinde eam, quae *Paulo* cum doctoribus quibusdam Judaizantibus intercedebat, controversiam enarrat, ad quam id observandum esse monet, quod *Paulus*, quando contra falsos illos doctores disputat, nequaquam divinam legis ceremonialis originem inficitur, sed illud tantummodo praecipiat, quod lex illa non in perpetuum homines sit obligatura, cum oeconomia legalis, quae ad imperfectum ecclesiae statum accommodata est, imperfecta sit, neque clarum illud lumen, spiritualem scilicet gloriam, perfectamque Evangelii libertatem, attingat. Amplius *Lelandus* contra eam adversarii objectionem, qua, *Paulum novam doctrinam, doctrinam Mosis atque Prophetarum adversam, proposuisse*, affirmat, eumque in finem urget: 1) quod *Moses Israelitis universam legem, tanquam foedus aeternum inter Deum & Israelitas, per omnes eorum generationes ad finem usque mundi observandum, dederit; cum e contrario Paulus eandem ad tempus tantummodo*

*tantummodo per paucas generationes duraturam affirmet; 2) quod Moses propitiationes & expiationes peccatorum per sanguinem animalium fieri jussit, perque hanc sacerdotis, sacrificii sanguinem spargentis, actionem, expiationem obtineri docuerit, neque tamen in his nullam typi mentionem fecerit; Paulus vero affirmet, fieri non posse, ut per bestiarum sanguinem peccata auferantur, hæc observat: 1) quod Hebræorum illo vocabulo, כֶּרֶם, quod ut plurimum in æternum redditur, non semper ejusmodi perpetua duratio, quæ ad mundi usque finem se extendat, innuatur; sed quod haud raro longissimus temporum tractus, per plura secula duraturus, eodem significetur; 2) quod divina sacrificiorum origo atque institutio haudquam in dubium a Paulo vocetur; sed quod, cum sacrificia abrogata Paulo dicuntur, ita ejus mens accipienda sit, quod lex illa cerimonialis, cum Deus sacrificia in Novo Fœdere amplius haud requirat, nos quoque amplius non obliget. His illud accedere simul docetur, quod sacrificia illa cum in finem a Deo fuerint instituta, ut iisdem Christus representaretur, Judæique adeo typicis hisce expiationibus ad magnam illam, eandemque infiniti valoris, propitiationem præpararentur. Quod vero in *Mosis* atque veterum voluminibus mentio sensus typici fiat, ex quamplurimis, in scriptis eorum obviis, locis, in quibus de redemptore futuro sermo est, ostenditur, simulque contra *Morganum* & illud adstruitur, quod ea, quæ in lege, ejusque œconomia, obscurius proposita sunt, in Evangelio, ejusque œconomia, clarius atque fusius sint expressa atque exposita. Capite quarto ea, quas contra legem *Mosaicam* ex interna ejus conditione atque constitutionibus petiit adversarius, objectiones examinantur ac diluuntur. Constitutiones legis mere temporales esse, externamque tantummodo hominum, societatem unam generentium, felicitatem, nullatenus vero futurum quendam statum, respicere, hincque adeo lege illa civiles tantum virtutes, commodaque societatis, contra fraudem violentiamque humanam defendi; neque igitur eam ad principia interni motivaque actionum referri posse, adeoque obligationes legis, quatenus civilem aut socialem virtutem respicit, non amplius, nisi ad societatis ejus,*

Pag. 99.

102.

109 seq.

- ejus, cui lex data erat, membra extendi debere, quae membra, licet ad amicitiam inter se colendam obligata fuerint, simul tamen ad bellum cum ceteris populis incolis gerendum obstricta fuerint, adversarius affirmat pag. 27, 28, 29, 42, 359, 360, & 373.
- Pag. 118. Hic *Lelandus* primo contrarium ejus, quod sub initium hujus assertionis defenditur, cum ex ipsis decem illis praeceptis, in quibus non externae solum actiones malae, sed etiam interni irregulares affectus, morusque concupiscentiae, prohibentur, tum ex iis, quae *Deut. XII, 4, 5*, & *Levit. XIX, 17, 18*, injuncta sunt, patere docet. Deinde illud monet, quod civilis illa lex *Mosaica*, quanquam sit a Deo profecta, non tamen eum lata sit in finem, ut omnes in universum homines ei fiant obnoxii, sed quod ad eam speciatim gentem, cui immediate data erat, fuerit accommodata; ut adeo naturam specialis cujusdam inter Deum & eam, cui data erat, gentem foederis involvat. Inde vero illud fluere amplius docet, ut haec lex directe atque primario ea, quae membris societatis erga se invicem observanda fuerint, praescribat. Quo respectu si consideretur, ita eam comparatam esse, ut mirando quodam modo eos, quibus erat lata, ad omnia officiorum genera sibi praestanda, amoremque fraternum erga se invicem colendum, excitet; id quod, adductis praeceptis illis, de exercenda erga pauperes liberalitate, de abolenda omnis generis inimicitia, de aequitate erga servos observanda, &c. probatur. Simulque illud ex iis, quae *Levit. XIX, 34*, *Deut. X, 17, 18, 19, XXIV, 19*, occurrunt, locis Scripturae, pluribusque aliis, in *Deuteronomio* obviis, evincitur, quod jam commemorata officiorum genera non iis tantummodo, qui eandem cum Judaeis societatem constimebant, sed exteris quoque, nullo societatis vinculo cum illis junctis, fuerint praestanda. Neque Judaeos ad idolorum cultum prorsus extirpandum, omnesque idolorum cultores, quacumque fuerint ex gente oriundi, ferro flammaque delendos, obstrictos fuisse, ex lege *Mosaica*, in qua ne ulla quidem hujus praecepti mentio occurrit, patere, *Lelandus* ostendit; simulque ex *Exod. XXIII, 23, 24*, *XXXIV, 11, 13*, *Num. XXXII, 52*, *Deut. VII, 5-25*, probat, quod, quando Israeliticis idolorum cultores,

cultores, & quæ ab illis exstructa fuerint, monumenta, evertenda in-
 junguntur, hoc præceptum ad eos solum, qui ex Israelitarum gente idola colabant, & ad ea, quibus terra Cananæa
 contaminata erat, monumenta, restringendum sit. Eodem quoque, id est, nullo plane, fundamento eam niti, docet Auctor
 noster, adversarii assertionem, qua, Israelitis, bellum non Cananææ solum, sed omnibus terræ incolis, inferre permissum
 fuisse, asseverat. Quanquam enim *Moses*, fiducia in Deum fretus, Israelitis sæpissime terræ Cananææ occupationem, ejusque
 incolarum internecionem, promittat; nunquam tamen de universali in omnes terrarum gentes acquirendo imperio glo-
 riarur. Cum vero adversarius, ut hypothese suæ inserviat, *Pseudopropheta* suis vicesimum *Deuteronomii Caput* laceraverit
 vehementer atque depravaverit; hinc, hac data occasione, elegans *Lelandi* doctrina atque industria circa illud vindicandum
 strenue occupata est. Illud autem ex dicto *Capite* patere ostenditur, quod Israelitis suo arbitratu, suaque ex voluntate, alias
 gentes hostili animo invadere interdictum, e contrario vero legitima atque justa bella gerere præceptum fuerit. *Capite quinto*
 ab ea *Morgani* objectione, qua, *humana sacrificia, in significationem maximi cultus divini gradus, offerenda lege fuisse,*
 cavillatur, legem liberat *Lelandus*. Inter alias enim calumnias, quibus legem *Mosaicam* onerat adversarius, eam etiam evornit
pag. 129 & 130, quod sacrificiis illis spontaneis, Deo ab Israelitis oblati, annumeranda quoque sint sacrificia humana, que Deo
quam maxime grata atque accepta fuerint. Quod vero hæc sine omni veritatis specie allata sint, ex eo *Lelandus* ostendit, quoniam
 nullum existet mandatum divinum de ejusmodi sacrificiis offerendis. Quid? quod *Deut. XII, 30, 31,* Deus expressis verbis,
 ne sacrificia humana ipsi offerrentur, jussit. Adversarius quidem, ut veri quandam speciem sententiæ suæ concilieret, ad
 historiam *Jephthæ*, ad legem de primogenito, & mandatum divinum, *Abrahamo* de mactando filio suo datum, provocat; sed,
 omnia hæc non id, quod adversarius intendit, probare, neque eum ex hisce allatis exemplis pro adstruenda sententiâ suâ argu-
 mentum petere posse, *Lelandus* docet, simulque, inprimis in

Pag. 136
seq.

147 seq.

152-166.

singulari illo facto *Isaaci* Dei jussu ab *Abrabamo* mastandi, quod adversarius verbis asperioribus perstrinxit, vindicando, & veritate specialis revelationis divinæ, hac in re *Abrabamo* factæ, demonstranda, multus atque copiosus est eruditissimus *Lelandus*. Capite sexto ea, quæ de sacerdotii & sacrificiorum origine effutiit adversarius, sub examen vocantur. Ita vero de sacerdotibus effrænata adversarii audacia pronuntiat, quod illi, tanquam primi reipublica ministri, Deique in terra vicarii, populum gubernaverint, omnemque adeo regni thesaurum ad ecclesiam deportaverint. Vid. pag. 42. Sed, neque hæc veritati consentanea esse, *Lelandus* docet. *Moses* enim per integrum vitæ suæ spatium imperium tenebat, *Aaron* autem sacerdotis maximi munere fungebatur. Posteaquam vero e vivis excesserat *Moses*, non *Eleazaro*, Pontificis maximi munere ornato, sed *Josua*, qui non e tribu *Levi* oriundus erat, imperium tradebatur. Qui deinde populo cum imperio præerant iudices, ex unaquaque tribu promiscue sumebantur. Iudices excipiebant Reges ad Babylonicam usque captivitatem, qui quidem ea præditi erant potestate, ut summos sacerdotes removere ab officio possent, cujus quidem rei luculentum nobis præbet testimonium *Abiathari*, per *Salomonem* ab officio remoti, exemplum. Quid? quod ipsum Synedrium magnum, Judæis ipsis id affirmantibus, non ex solis sacerdotibus atque Levitis, sed ex viris quoque, aliis ex tribus oriundis, fuerit compositum. De sacrificiis vero hæc ejus est sententia. Originem ea traxisse, aut, ex ejusmodi epulis, quæ sociis pluribus læte atque hilariter fuere transactæ; quæ vero quomodo cum iis, quæ *Gen. VIII, 20, XV, 9, 10, Job. I, 5, XIII, 8*, leguntur, conciliaverit *Morganus*, vix conjecturando assequi licet. Sacrificiis bilasticis sub legis æconomia nullo modo pœnas tolli aut mutari potuisse; ipsas vero pœnas transgressoribus legis secundum ejus præscriptum instigendas fuisse, neque, quod veniam atque impunitatem (Pardon) vocamus, sub hac æconomia obtinuisse. Quæ vero hisce sacrificiis adscripta fuerit virtus, posita in sparsione sanguinis sacrificialis, a sacerdote peragenda, ex mera sacerdotum fraude derivandam atque repetendam esse, calumniose affirmat

pag.

pag. 126 seq. In his vero refutandis ita versatur *Lelandus*, ut Pag. 170. primo, sacrificiorum originem non ex lege *Mosis* repetendam, sed ea jam ante latam legem in usu fuisse, ostendat; quod dum facit, simul divinam eorum originem evincit, ubi, ea primis parentibus tum a Deo præscripta fuisse, putat, cum solatii illam plenam de futuro Messia promissionem acciperent. Deinde, hæc sacrificia non contra ea, quæ morte mulctanda fuerint, crimina, aut contra peculiare illas, lege præscriptas, pœnas, ordinata, neque etiam sine adjuncta pœnitentia offerenda fuisse, ipsam vero sacrificiorum expiatoriorum virtutem in sanguinis versus altare sparsione positam fuisse, docet. Quibus præmonitis, ipsas demum *Morgani*, contra sacrificia hilastica, eorumque virtutes, allatas, objectiones examinat, easque docte solideque infirmat atque convellit. Capite septimo, quibus amplius legem proscindit *Morganus*, criminationes atque convicia retundit atque refellit *Lelandus*. Adversarius eam, quam *Moses* Israelitis divino jussu tradidit, legem, non tanquam legem aut religionem naturalem, sed tanquam immediatam vocem, & voluntatem Dei positivam, in cujus rationes atque causas nullo modo inquirendum fuerit, considerari debere, affirmat, ut adeo Israelitæ legem illam amplecti debuerint non ut fundatam in æterna atque immutabili rerum æquitate, aut quasi ex humana prudentia profectam; quæ vero cum Israelitis de hac lege generatim considerata sederit opinio, hinc eos inter morale & rituale, inter obligationes æternas & temporarias, immutabiles & mutabiles, sive, quod idem est, inter naturæ, & quæ huic oppositæ sunt, leges, nullum fecisse discrimen. Inde igitur factum pronuntiat, quod Israelitæ nihil ut necessarium, & secundum naturam atque rationem æternam verum, credere voluerint, sed semper ad quamlibet rem probandam miracula & prodigia postulaverint; neque ullam ejus, quod moraliter bonum aut malum est, habuerint notionem. Vid. pag. 256 & 271. Contra hæc quando Autor noster differit, *Mosën* omnino ex immediata Dei autoritate atque voluntate accepisse, quas populo tradidit, leges, commonstrat. Neque vero illud circa leges divinas requiri monet, ut in particulares omnium præceptorum rationes inquiretur, neque ut

192 seq.

196 seq.

201.

eadem concatenatis philosophicis ratiocinationibus ex æterna rerum æquitate deducantur. Jam vero, si id adversarius velit, quod, quæ in lege propositæ sunt res, populo nunquam fuerint offensæ, prout rationi per se sint consentaneæ, neque rationes & fundamenta legis eidem explicata, veritati aperte contradicere adversarium, *Lelandus* docet. Quin immo, ipsum sibi contradicere, observat, cum *pag. 34* pestilentissimi illius, quem evulgavit, libri affirmet, quod *Moses* vera actionum principia & motiva, internum scilicet Dei & proximi amorem, populo inculcaverit. Neque majori veritatis specie illud gaudet argumentum adversarii, quod ad suam tuendam sententiam ex

Pag. 203 *historia mirandorum illorum factorum, Israelitarum in gratiam*
seq. *editorum, repetit. Horum enim factorum recordatione ansam*
occasionemque naturali illi cæcitati, animique obstinationi, at-
que desiderio illi, quo omnia miraculis firmata volebant Israeli-
ta, datam esse, inquit pag. 263 & 264. Ast vero, facta hæc, eo-
rumque recordationem, eo potius tendisse, Lelandus monet, ut
Israelitæ reverentissima ratione de Deo, ejusque potentia, senti-
re, & istas ei gratias, ad quas ob beneficia, a Deo in ipsos col-
lata, obstricti erant, agere atque habere, discerent; utque simul
 206. *ad obedientiam legibus hisce alacriori animo præstandam ex-*
citarentur. Adversarius sæpius quidem de cæcitate quadam natu-
rali, quam Israelitica gens in Ægypto contraxerit, loquitur, hanc-
que cæcitatem, ignorantiam, opinionesque præjudicatas,
semper ei adhæsisse; inde igitur eam inter voluntatem Dei per-
missivam atque effectivam haud distinguere voluisse, & quamli-
bet rem Deo, quasi ille res moraliter malas æque ac eas, quæ
moraliter quam maxime bonæ sunt, ordinaret ac dirigeret, tri-
buisse; eaque denuum superstitione imbutos eos fuisse cavilla-
tur, ut neque naturæ illa lege, neque communibus istis divi-
 207. *næ providentiæ argumentis, affici potuerint. Vid. pag. 248, 256*
seq. 263, & 271. Sed, iniquissima ratione Judæos traduci ab adver-
sario, ex eo ostendit Lelandus, quoniam ea, quæ temporibus
depravatissimis a sceleratissimis e gente Judaica hominibus com-
missa atque peracta sunt, scelera integræ genti a primo usque
ad ultimum illud, quo floruit, tempus, sine ullo adhibito dis-
crimine,

crimine, tribuit. Illud autem e contrario concedendum esse Pag. 210. Judæis privilegium, *Lelandus* monet, quod, unius illius veri Dei notitiam veramque religionem quod attinet, ceteras gentes omnes, eas etiam, quæ sapientiæ ac doctrinæ fama quam maxime florere, superaverint, cujus rei testem adducit *Canon. chron. Sec. IX*, ubi hæc leguntur: *Certe nulla est controversia, quin πᾶσι μακαρῶτατος, de unius regimine, sive de Deo unico, reverens fuerit & rectissima Hebræorum, non item recta Ægyptiorum, existimatio.* Legem Judæorum mirandam spirasse sapientiam, pietatem, justitiam, atque puritatem, hasque ejus virtutes gentiles ipsos perspexisse, indeque haud infrequenter venerationem erga Judæos, eorumque legem, testatos esse, adductis ex *Strabone, Justino, Porphyrio*, testimoniis, *Lelandus* comprobat, simulque *Josephi* autoritate *Antiqu. Jud. Lib. XIII Cap. V Sect. 9, & de Bel. Jud. Lib. II Cap. VIII Sect. 14*, ostendit, quod Judæi effectivam Dei voluntatem a permissiva ejus voluntate distinxerint, quodque Sadducæi, quos veras præcorum Judæorum reliquias esse, adversarius affirmat, ne quidem circa actiones humanas, multo minus igitur circa malas actiones, divinam providentiam versari, docuerint. A *Capite octavo ad duodecimum* ea, que contra vates, donumque vaticinandi, a *Morgano* sunt allata, examinantur atque refelluntur. Omnibus enim viribus in id incumbit infelix ille homo, ut donum illud vaticinandi, quo sub veteris Fœderis œconomia præditi fuere viri divinitus acti, ludibrio atque risui hominum exponat. Quo cum tendat impius ejus labor, quid mirum, quod pag. 265 & 267, *Prophetas neque infallibiles fuisse, neque hocce dono se instructos credidisse, sed necessitate ad hoc de se ipsis affirmandum coactos fuisse*, pronuntiet. Cum autem, sua fide hanc assertionem ut veram neminem sanæ mentis hominem amplexurum esse, perspiciat *Morganus*, hinc, ut colorem ei obducatur, 1) ad illud τῆς Urim & Thummim oraculum, 2) ad ordinem Prophetarum, provocat. *Originem τῆς Urim & Thummim a Jove Hammonio, cujus cultum populo valde arrisisse ait, repetit.* Eum autem in finem hoc oraculum institutum esse pronuntiat, ut in rebus gravioribus atque difficilioribus populus a sententia judicum ad illud

217.

219.

- provocare posset. Hac vero in re maximopere a recto veritatis tramite aberrare adversarium, sive id fiat ex ignorantia, sive
- Pag. 220. deliberato animo, *Lelandus* docet. Non enim eum in finem oraculum istud fuit constitutum, ut per illud res, in judicio agitatae, quae alio modo componi poterant, deciderentur, sed ideo, ut Dei consilium per illud non in privatis, sed publicis, causis, quae ad rempublicam, regem, optimates, aut integrum populum, spectabant, expeteretur, id quod ex *Num. XXVII, 21*, patet. Quod vero oraculum hoc non floruerit aut cessaverit tum, cum sacerdotum autoritas atque existimatio floureret aut cessaret, ex eo *Lelandus* ostendit, quoniam *Eli* atque
235. *Samuelis* temporibus, quibus sacerdotum ordinem quam maxime depravatum fuisse, ipse adversarius fatetur, hoc oraculum maxima in existimatione erat, & ab ipso *Davide*, cum ante, tum postea, quam ad regiam dignitatem evedus erat, consulebatur, cum contra ea sub templo secundo, quo tempore maxima in existimatione atque autoritate sacerdotes versatos esse, adversarius iterum affirmat, oraculum $\tau\bar{\epsilon}$ Urim & Thummim prorsus cessaverit. Huic $\tau\bar{\epsilon}$ Urim & Thummim oraculo adjungit ordinem Prophetarum *Morganus*, quem a *Samuele* demum institutum esse, affirmat pag. 282. Quod vero haec assertio, si eo sensu accipiatur, quod ante *Samuelem* non extiterint Prophetæ, veritati quam maxime contrarietur, ex *Gen. XX, 7*, *Num. XI, 25, 26*, *Judic. VI, 8*, *1 Sam. II, 27-36*, patere docet Autor. Maximopere quidem in honorem ordinis Prophetarum cedere videntur, quae de ea occasione, qua institui coepit ordo ille, *Morganus* disserit. Eum enim in finem excitatum ordinem illum a *Samuele* fuisse ait pag. 282 seq., ut vates illi, degenerantibus sacerdotibus, scientiam virtutemque postliminio quasi revocarent, & sacerdotum aequae ac populi flagitia vitiaque taxarent. Hinc, eos scientiis literisque deditos, & imprimis merum scientia quam observantissimos, fuisse, perhibet. Quis vero animo illud praesagiret, fore, ut, qui tantis laudibus ornati sunt vates, conviciis maximis deinde proscinderentur? Sed is adversarii mos est, ut, quem taxare sibi proposuit, encomiis antea prosequatur, ut scilicet incautos eo faciliori ratione decipere,

cipere, atque in sententiam suam pertrahere, possit. Quod infelix negotium, dum de vatibus agit, etiam persecutus est. Hinc maximas laudes convicia comitantur maxima. *Perniciosissimos enim incendiarios, maximamque civitatis pestem, omnes gentes vexantem, causamque omnium istarum calamitatum, quæ populus Judaicus per tercentum fere annos perpessus est, & quæ* Pag. 242.
ruinam tandem ei attulere, vates vocare non erubescit perfricæ frontis homo pag. 299, 304, & 320 seq. Inprimis vero in *Samuelem*, cui ordinis Prophetarum natales adscribit, quam maxime invehitur. *Eo enim consilia ejus rediisse calumniatur, ut Regem, ejusque familiam, penitus exstingeret, quod ut eo facilius efficere posset, hinc seriem fraudis atque conspirationis ab eo esse excogitatum, idque sub religionis, atque sanctissimi nominis divini, specie, quo scilicet ambitionem suam eo melius tegere posset.* Vid. pag. 295 seq. Quæ vero calumniæ cum clarissimis Scripturæ Sacræ effatis ita aperte prosternantur, ut facili negotio ab iis quoque, qui mediocri tantum ingenio præditi sunt, detegi queant; hinc responsione fusiori eas haud dignas esse, merito judicat *Lelandus*. 265.
 Eam vero retundendam merito esse judicat calumniam, qua *Samuelem* accusat adversarius, quod *Saulum*, posteaquam Rex fuerat creatus, domum, ut vitam ageret privatam, miserit, per quod temporis spatium ipse regiam potestatem exercuerit. 266. 267.
 Ad quam assertionem probandam cum provocet ad obsidionem urbis *Jabesh Gilead*, ab *Ammonitis* susceptam, quam viginti annos postea, quam *Saulus* in regiam dignitatem evectus erat, accidisse perhibet; *Lelandus* e contrario docet, hanc obsidionem factam esse tum, cum unicus tantum mensis ab inauguratione *Sauli* in Regem, *Mizpæ* peracta, esset præterlapsus. In cujus rei testimonium cum S. Codicis libros, tum *Josephum*, illum Historiæ Judaicæ scriptorem, *Antiq. Jud. Lib. VI Cap. 5*, bellum *Sauli* cum *Ammonitis* enarrantem, tum versionem *LXX Virorum* adducit, in qua posteriori 1 *Sam. XI, 1*, ita habet interpretatio: καὶ ἐγενήθη ὡς μετὰ μῆνα, καὶ αὐτίκη Νουὰς ὁ Ἀμμωνίτης, κ. τ. λ. Hacque simul occasione verus vocum בְּרִיר & נָעַר, quibus sensum quam maxime alienum adversarius affinxerat, sensus atque significatus vindicatur

catur atque ostenditur. *Saulo* relicto, ad *Davidem* progreditur *Morganus*, quem ita conviciis lacerat, ut erga neminem majori odio atque ira flagrasse videatur. Cujus quidem odii hæc causa esse videtur, quod *David* vatis æque ac Regis personam sustinuerit, iique, quos composuit, libri in canonem sint recepti, adeoque ut divinæ originis libri a nobis suscepti. Ea vero calumniarum, in *Davidem*, Herodem maximum, effusurum, quasi summa est: *Regni cum potitum esse longa perjuriorum, simulationum, ingratitude, proditionis, quin immo rebellionis, serie; neque ullum Judæis vitium exprobrari posse, cui David non fuerit deditus, & quod non docuerit illos suo exemplo. Quod vates autem tantis eum laudibus cumulent, atque in exemplum, quod posteriorum temporum principes imitentur, proponant, ideo fieri, cum quod idolorum cultum extirpaverit, idolorumque cultores ferro flammisque exciderit, tum quod sacerdotum reditus auxerit, populumque ad sacrificia Hierosolymis offerenda coegerit. Quam vero servitutem cum cetera tribus perferre non potuerint, hinc commodam quandam occasionem, qua excutere istud jugum possent, expectasse, oblatamque arripisse. Vid. pag. 299, 300, 323, 324, & 334.* Quod vero veritati, & imprimis divinæ illi atque cœlesti, proprium est, ut obscurari quidem, opprimi autem nullis humanis consiliis atque insidiis, queat, illud & hæc adversarii, veritati structæ, insidiæ comprobant. Tanta cura enim *Davidis* res gestæ in sacris literis nobis exhibentur, ut, quem eas tantummodo evolvere haud poeniteat, is calumnias *Morgani* statim perspicere atque refellere queat. Ex iis enim satis superque, monente *Lelando*, patet, tantum abesse, ut ulla *Saul* data fuerit a *Davide* sibi irascendi occasio, ut potius *Saul*, ejusque familiæ, maxima semper fide maximoque zelo fuerit addictus. Unicum ejus crimen, dummodo criminis nomen meretur, in eo positum fuisse, ex sacris literis constat, quod, quas perpetrabat, actiones heroicæ populi favorem atque plausum ei conciliarent. Hæc erat causa illa, ob quam *Saul* odio adversus *Davidem* ita incendebatur, ut interitum ejus quovis modo quæreret. *David*, qui zelo in Deum veramque religionem flagrabat, varias quidem

dem, easque sapientissimas, evulgabat constitutiones, ad sacer-
 dorum officia spectantes; quod vero sacerdotum reditus ab eo Pag. 284.
 fuerint audi, de eo ne *yeu* quidem in S. Codice exstat. Quem-
 admodum vero is, qui semel odio & malitia adductus, carpere
 alium suscipit, etiam ex iis, quæ ab omni vitio immunes sunt,
 actionibus aliquid reprehensione dignum exculpere laborat;
 ita quoque *Morganus* eas *Davidis* actiones, in quibus nihil,
 quod sit perstringendum, inest, perstringere atque sugillare infe-
 lici negotio suscipit. Pertinet huc ille *Davidis* actus, cum gaudii
 plenus ante arcam fœderis saltaret. Hoc autem factum acer-
 bissimo sale perstringit *Morganus*. Eodem enim risu sese *Davidem*
 exposuisse ait, idque præcipue propterea, quod eas cor-
 poris partes, quas teclas modestia cupit, retexerit. 289.
Quo factò licet ridicule egerit, magis tamen ridicule egisse, cum factum
hoc, ut uxori suæ ut probaret, zelo in Deum tribuerit, & deinde,
cum excusatio hæc nullum apud uxorem ejus pondus haberet, con-
silium, nunquam cum ea concumbendi, ceperit, perhibet pag. 22.
 Sed, minus philosophice agere, certissimumque impudentiæ, ac
 levioris animi, atque usitatæ ipsi malitiæ, argumentum rursus
 edere, qui Philosophum se jactitat, *Morganum*, ostendit *Lelandus*.
Davidem enim, quem ipse maximum inter Israelitas Politicum vo-
 cat, ea erat a Deo ingenii judicii que vi præditus, ut, eam, quam
 adversarius ei tribuit, actionem occasione tam solenni, idque in
 conspectu principum e tribubus Israeliticis virorum, perpetra-
 tam ab eo esse, cogitare nefas sit. Contrarium potius ex 2
Sam. VI, 14, patet. Quando enim ibi Davidis ante arcam saltationis
mentio injicitur, additur statim, eum indutum fuisse e-
phodo linteo. Sed 1 Chron. XV, 27, adhuc clarius hæc exprimi-
muntur. Refertur enim ibi, Davidem amictum fuisse prætex-
ta byssina, omnesque Levitas arcam gestantes, &c. Davidem
vero insuper indutum fuisse ephodo linteo. Ex his igitur verbis
 illud elucere *Lelandus* docet, quod *Davidem* singulari hac oc-
 casione, regio vestitu deposito, iisdem, quibus Levitæ, vestibus
 fuerit indutus. Hoc igitur illud erat, quod *Michali* dis-
 pliceret, quod nimirum *Davidem* iis vestibus ante arcam saltando
 incederet. Ea enim in opinione vertabatur mulier illa, quod
290.

- Davidis* factio hoc nimium se demitteret, atque infra regiam ageret dignitatem. Quam opinionem cum e mente *Michalis* evellere laboraret *Davidis*, non ludicra, sed seria omnino, ratione eum egisse, *Lelandus* ostendit, simulque, hac data occasione, hoc *Davidis*, ante arcam Dei saltantis, factum ab iniqua,
- Pag. 291. qua illud notavit *Sbaftsburius*, acutissimi ingenii vir, *Charactéristicor. Vol. III pag. 117*, censura vindicat. Eos, qui ante captivitatis Assyriacæ tempora vixere, vates ea onerat *Morganus* calumnia, quod a tempore rebellionum, sub Davide factarum, (ita enim *Philosophus* iste loqui amat,) usque ad captivitatem
330. *Babylonicam* parci admodum atque lenes in taxandis populi vitiis fuerint, eo majori autem zelo in idolorum cultum fuerint inveci, ad quem eo facilius extirpandum ferri flammaramque necessitatem urserint. Eos autem, qui post captivitatem illam Assyriacam vixere, vates diversa plane ratione egisse, neque tantum necessitatem abstinendi a cultu idolorum, sed potius vera pœnitentia, exactaque, legi præstandæ, obedientia, necessitatem, neglecta illa de sacrificiis & absolutione sacerdotali doctrina, incutasse, inquit pag. 323 & 324. Miratur vero jure meritoque *Lelandus*, tanta audacia hæc ab adversario affirmari, cum potius ex scriptis Prophetarum pateat, cum eos, qui ante, tum qui post, captivitatem Babyloniam vaticinati sunt, vates eodem spiritu divino fuisse ornatos, eodemque Dei honorem, & religionis atque pietatis commoda, promovendi affectu præditos. *Hoseas*, *Amos*, atque *Micha*, ante tempora captivitatis, *Esaias* vero cum ante, tum post, ista tempora vaticinia protulit. Hi omnes vero clarissimis verbis everfionem gentis Judaicæ, atque captivitatem, prædixere, hancque eos experturos esse, non tantum in fictorum, quæ colere, numinum, sed criminum quoque, ab iis commissorum, pœnam, minati sunt. Adversarius quidem illud vatibus exprobrat crimen, quod ante captivitatis Assyriacæ tempora ne ullus quidem ex sacerdotum aut vatum inter *Judeos* numero futura a mortuis resurrectionis, judicii universalis in bonos & malos exercendi, futurique premiorum & pœnarum status, mentionem fecerit; unde facile & illud probari posse ait, quod, quæ Christi & Apostolorum

torum awo floruit Sadducaorum secta, recentioris secta nomen minime mereatur, sed ex priscais illis Judais manserit reliqua.

Vid. pag. 440 & 441. Quæ objectio cum sæpius ab adversario sit allata atque repetita; hinc fusius eam refellit, simulque contrarium ejus, quod affirmavit *Morganus*, ex ea, quæ in Sacro Codice comprehensa legitur, populi Israelitici historia patere, solide doctæque ostendit *Lelandus*, sicque ea, quæ contra Vet. Test. proposita sunt ab adversario dubia, examinandi atque retundendi finem facit. *Capite* igitur jam sequenti *duodecimo* ad ea, quæ contra Novi Fœderis volumen, scriptoresque ejus divinitus actos, attulit dubia *Morganus*, discutienda progreditur. Ubi vero eam inprimis observandam monet adversarii astutiam, quod, cum Vet. Testamenti apertum hostem se professus sit, jam, quando de Novi Fœderis œconomia loquitur, amici speciem induat. Ast vero, speciem amici eum tantummodo induere atque simulare, ex eo statim apparere docet *Lelandus*, quod, licet Christum, Servatorem optimum, laudibus prosequi videatur, dum eum non ut ceteros legislatores virtutis atque communis hominum utilitatis causam, præjudiciis populi dominantibus ut inserviret, deseruisse affirmat pag. 168, simul tamen ipsa ea, a quibus eum antea immunem fuisse pronuntiavit, ei tribuat, atque crimini ducat. Ita enim Christum, quem antea præjudiciis non inservisse affirmaverat, jam præjudiciis populi favisse ait, idque in eo demonstrasse, cum quod œconomiam Evangelicam in *Mose* fundatam affirmaverit, tum quod scriptorum illorum, divinam inspirationem falso obtendentium, auctoritatem non solum defenderit, sed præterea falsum quoque sensum iis affinxerit, tum denique, quod, se personam illam, de qua sub *Messie* caractere vaticinati sint Prophetæ, esse, affirmaverit, licet, ut *Morganus* cavillatur, convictus Christus fuerit, vates nunquam de se, sed de principe quodam terreno, opportuno tempore in Judæam profecturo, Judæosque liberaturo, fuisse locutos. Quid? quod & illud Christo exprobet, quod *a populo se ut Messium* (id est, terrenum principem, Cæsari adversum,) *coli passus sit.* Hoc enim factu sacerdotes atque legis peritos Judaorum ad eum, quæ cum Christo per-

Pag. 334
seq.

346.

- egere, peragenda coactos fuisse, nisi urbem voluerint deletam, calumniatur. Vid. pag. 350 seq. Ast vero, cum malitia versutissima scatere, tum a veritate quam maxime aliena esse, quæ ef-*
- Pag. 351. *fuit adversarius, Lelandus solide atque erudite evincit. Illud enim tam certum esse, quam quod certissimum, ostendit, quod Christus ex una parte negaverit, mundanum se esse principem, Cæsari adversum; ex altera vero de se affirmaverit, esse se ipsum illum Messiam, quem prædixere vates. Adversarius quidem duas quasi notas atque signa, ex quibus Messias cognosci possit, constituit; quorum alterum illud est, ut tantum sit princeps civilis atque terrenus, alterum, ut Judæorum tantummodo Rex, gentisque eorum, nullo vero modo gentium, liberator sit atque servator. Hæc vero signa minime in Messiam convenire, ex scriptis Prophetarum ostendi fusius posse, Lelandus docet, simulque hac occasione, ea Scripturæ S. loca, in quibus beneficia, in Christi regno obtinenda, sub figuris, a splendore atque magnificentia regnorum terrestrium delumptis, repræsentantur, quæ quidem ad literam intellecta vult*
353. *Morganus, spiritualiter intelligenda esse, ostendit. Neque hic valere eam, quæ obvertitur, objectionem, quod hæc vaticinia ad Christum trahi non queant, propterea, quod eventus non responderit magnificis illis de pace universali, justitia, &c. quæ in regno Messia obtineri debere dicuntur, prædictionibus, hæc probat Lelandus argumentis, cum quia Christus novam, eandemque perfectissimam, constituit œconomiam, cujus is est finis, ut justitia, veritas, pax, amor, atque benevolentia, inter homines stabiliantur, nullo inter Judæos & gentiles adhibito discrimine, tum quia suavissimum illud de regno Christi Evangelium, non obstantibus iis, quæ contra illud facta sunt, impedimentis, per exiguum annorum intervallum quam maxima cepit, miranda certe ratione, incrementa, adeo, ut per vastissimum Romanorum imperium fuerit divulgatum, destructoque satanæ regno atque vanorum Deorum cultu, maxima hominum multitudo ad colendum verum Deum se accinxerit. Quæ qui attente atque curate perpenderit, ei haud amplius mirum videri posse ostenditur, quod personæ adeo illustris facta*
- adeo

adeo illustra stilo prophetico ita sublimi, figurisque atque luminibus excelsis distincto, fuerint prædicta, proposita, atque expressa. *Capite tertio decimo & quarto decimo ea, quas in Apostolos effudit criminationes Morganus, confutantur.* Primo quidem Apostolorum infallibilitatem atque divinam inspirationem sugillare suscipit adversarius. *Neminem, ait, Apostolorum atque spiritum sibi quendam sanctum tribuisse, qui homines fallere aut peccare nescios redderet, itaque eos a vitio errandi servaret immunes, ut neque se ipsos in judicando deciperent, neque opinione sua alios seducerent. Posterioribus demum temporibus hanc sibi prærogativam tribuisse Romanam ecclesiam, quam Apostoli, qui vere Spiritu S. donoque perpetrandi miracula prædixi fuerint, prorsus ignoraverint, cavillatur adversarius* Pag. 369. pag. 80 & 81. Contra quæ *Lelandus* observat, duplici modo sumi vocem impeccabilitas. Si enim per eam intelligatur omnimoda prorsus non peccandi, aut per totum vitæ cursum nullam malam actionem perpetrandi, impossibilitas, moneatur, neque Apostolos, neque, qui ante eorum tempora vixere, sanctos viros, ejusmodi donum non peccandi sibi arrogasse. Sufficere potius docetur, quod ea honestatis atque integritatis gloria fuerint conspicui, ut sub divini nominis obtentu homines fallere, iisdemque deliberato animo imponere, adeoque res aperte falsas sub divinæ revelationis specie proponere, nequiverint. Neque, quando, Christi legatos fallere nescios fuisse, perhibemus, absolutam illam infallibilitatem, quæ soli Deo propria est, & secundum quam nec ullo tempore, nec ulla in re, falli potuissent, iisdem tribuimus; sed per infallibilitatis donum illud Apostolorum privilegium intelligimus, secundum quod fuerunt sub infallibili Spiritus Sancti directione, idque ita, ut ab omni errore aut fraude in prædicanda Christi doctrina fuerint immunes. Donum linguarum, quod acriter *Morganus* perstringit, ita comparatum fuisse, ut in bonam & malam partem adhiberi potuerit, adversario concedi posse, *Lelandus* monet, cum hac liberalitate divinæ Apostolorum auctoritati nihil derogetur. Primam enim illam facultatem, peregrinis linguis loquendi, personis quibusdam colla-


371.

375.


- tam, miraculum proprie inferre; hoc vero, quando alii dono illo fuere usi, proprie miraculum dicendum non esse, quandoquidem donum istud, eo modo consideratum, immediate atque proprie eo non spectaverit, ut doctrinæ veritas firmetur atque stabiliatur, sed potius, ut hoc dono instructi ad veritatem, miraculis jam firmatam, cum aliis communicandam idonei efficerentur. Quod vero ad cetera dona miraculosa, sapientiæ atque scientiæ 1 Cor. XII, vaticinandi illud donum 1 Cor. XIV, & facultatem miracula perpetrandi, pertinet, circa illa Apostolis, iisdem in bonam aut malam partem, uti ipsis visum fuerit, utendi, libertatem relictam non fuisse, sed tum demum facultatem, illis donis utendi, datam iis fuisse, monetur, quando Deo idoneum fuerit visum, ut dona hæc ad certum quendam, eundemque maximi momenti, scopum, qualis Evangelii confirmatio est, adhiberent. Qui Novi Fœderis libros animo a partium studio alieno contemplandos sibi sumunt, unum idemque religionis *σχιμα* in iisdem proponi deprehendent. Omnes enim, ne uno quidem excepto, Apostoli, quod ad doctrinas de Deo, ejusque attributis, de modo Deum colendi, de redemptione per Christum facta, &c. attinet, quam maxime inter se consentiunt. Quæ cum ita sint, miranda sane est proterva adversarii audacia, qui veritatem hanc non in dubium solum vocat, sed prorsus omnino negat, & non solum negat, sed contrarium affirmare atque perhibere non veretur, quod *Christi legati in maximis fidei atque revelationis momentis a se invicem dissenserint (pag. 80), populusque non solum eam de Messia conceperit opinionem, quod a Romanorum imperio ens liberaturus sit, sed ipsi Christi discipuli hanc eum ob causam fuerint secuti, ipsumque & post ejus resurrectionem haud alio sensu ut Messiam predicaverint. Vid. a pag. 350 ad 354, coll. pag. 361.* Quod vero & hic malitiæ suæ specimen edat, ex adductis a
391. *Lalando locis, Act. II, 38; III, 19, 26, V, 31, X, 42, 43, 1 Petr. I, 2, II, 2, 5, V, 10, XV, 8, 9, 21, apparet. In iis omnibus enim id agit Petrus, quem principem Judaizantium Christianorum Morganus constituit, ut evincat, quæ a Messia nobis pacta sunt beneficia, spiritualis esse naturæ, vatesque, quando*
- de

de Messia sunt locuti, hanc semper animo suo habuisse obversantem notionem. Unde, quam inter *Paulum* & ceteros Apostolos in doctrina Evangelica sit consensus suavis, apparet. *Capite quinto decimo Morgani de Apocalypsi* sententia examinatur. Eo redire generatim Philosophi hujus scopum, ut Servatorem optimum, ejusque legatos, quin in nno integrum Novum Fœdus, contentui hominum exponat, jam sæpius observatum est. Quod Pag. 425. infelix negotium ut eo melius conficere possit, opiniones nonnullas Christianis Judaizantibus, Evangelium, quod vocat, Judaicum amplectentibus, adscribit. Ut vero eo feliciter has illis doctrinas tribuere possit, non ad Evangelia & Epistolas, a Christi legatis compositas, sed ad Apocalypsin, provocat, quam quidem systema Christianorum Judaizantium fuisse perhibet, idque iis potissimum de causis, ut ex stilo libri hujus obscuro atque figurato commodum aliquod sententiæ suæ lucretur. Hinc igitur, *librum hunc revelationem Christianam, sive revelationem Jesu Christi, proprie completi, adeoque hocce indice, qui nulli alii Novi Fœderis libro tribuatur, vere insigniri*, affirmat pag. 369. Verum enim vero, ex ipsâ, hoc in libro factâ, declaratione illud clarum esse, *Lelandus* docet, quod ille proprie loquendo eum in finem non sit conscriptus, ut, quæ creditu sint necessariæ, doctrina ex eo addiscantur, sed ut, quæ futura & eventura sint, nobis significantur; unde *revelatio Jesu Christi I, 1, & prophetia XXII, 19*, dicatur. Sed, cum adversarius, præconceptis opinionibus obnubilatus, quæcunque Christianis tribuit, vitia hoc in libro deprehendere sibi videatur; quid mirum, quod affirmet, ex hoc libro, & imprimis *Cap. V v. 8*, probari posse, *Christianos Judaizantes in crassissimam idololatriam fuisse delapsos, maximumque mediatorum numerum loco unius illius mediatoris, una cum cultu mediatorio, sanctis atque angelis præstando, esinxisse*. Vid. pag. 364, 365, & 372. Merito autem cum *Lelando* miramur, quod, qui perspicacissimus videri vult adversarius, alium *Apocalypseos* locum, qui magis sententiæ ejus favere videtur, eum nimirum, qui *Cap. VIII v. 3 & 4* legitur, non adduxerit. Sed, uti ii, qui ab illo adducti sunt, loci sententiæ ejus robur haud addunt, ita neque hoc patrocinium aliquod opinioni suæ

426.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1742

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 K 4⁰

Pag. 428. conciliaffet. Dummodo enim illud observetur, quod vox *angeli* non uno in *Apocalypseos* volumine sensu sumatur, statim corruet adversarii propositum. Quemadmodum enim *Cap. V*, & aliis *Apocalypseos* locis, per angelos, qui ibi commemorantur, ii intelliguntur, quorum ministerio Deus in proponenda Evangelii doctrina, hominibusque ad verum Dei cultum perducendis, usus est; ita *Cap. VIII v. 3 & 4* per angelum, cuius ibi mentio fit, unicus ille Novi Foederis sacerdos summus, Jesus Christus, significatur, id quod ex circumstantiis hujus loci, ubi ad ritus a summo Vet. Test. sacerdote expiationis die peragendos alluditur, clarum est. Ut taceamus manifestum illum, ab adversario commissum, errorem, quo seniores, qui *Cap. V v. 8* memorantur, cum angelis, ab illis *v. 11* ejusdem *Capitis* distinctis, confundit. Neque de invocatione Sanctorum, precibusque ad demortuos dirigendis, unica tantum litera in *Apocalypsi* legitur. Quæ enim ex *Cap. VI v. 9 & 10* allegat verba adversarius, illud sane non probant, quod debent. Si enim & illud ei concedamus, quod Sancti demortui Deo pro ecclesia his in terris militante supplicent; inde tamen minime sequi, recte monet *Lelandus*, Sanctos illos demortuos a nobis esse invocandos, eoque, quo a Pontificiis coluntur, cultu afficiendos. Maximum demum causæ suæ patrociniū in eo quærit adversarius, quod liber hic *revelatio rerum mox eventurarum* dicatur, cum tamen res prædictæ non statim acciderint. Sed egregie monet *Lelandus*, eas, quæ in hoc libro prædictæ sunt, res non ita esse accipiendas, quasi statim post prædictionem illam fuerint futuræ, sed eum esse phraseos istius sensum, ut terminus a quo, quando scilicet initium harum prædictionum futurum sit, non vero terminus ad quem, quando finis earum sit futurus, significetur. Cum vero effrænata adversarii audacia atque detestanda malitia non *Apocalypseos* solum auctoritatem divinam infringere atque evertere, sed integrum Novi Foederis canonem labefactare atque subruere, laboret; mirandum non est, quod tam execrandis conviciis atque scommatibus Novum Testamentum laceret & proscindat. Adeo corruptum esse atque interpolatum Novi Foederis Codicem, ut fides haberi nullo modo

modo eidem queat; Christianos Judaizantes suo tempore pro arbitrio, quicquid ipsis haud arriserit, mutasse, indeque, quem nunc habemus, Codicem Novi Fœderis systema esse Christianismi Judaizantis, mixtionemque duarum, minime inter se consentientium, religionum; Christi discipulos ea, quæ dixit fecitque Servator optimus, secundum præjudicatas, quibus dediti fuerint, opiniones enarrasse, adeoque fidem narrationibus eorum haud tribuendam esse, calumniatur pag. 440 & 441. Tantum vero abesse, ut cum veritate hæc consentiant, ut potius eidem aperta fronte contrarientur, hisce evincit argumentis Lelandus. Primo, quod omnino in potestate Judæorum, illorum, qui, secundum ejus assertionem, mille prius Messias crucifixissent, quam gentiles in societatem regni una cum electo Dei populo recepissent, positum non fuerit, sacrum Novi Fœderis codicem, per longe Pag. 439. distitas gentilium ecclesias dissipatum, mutando corrumpere; deinde, quod ne unica quidem ex iis, quas illis proprias vocat, doctrinis, scilicet de Messia temporali, Judæorum tantummodo servatore, de necessitate legem, ad justificationem coram Deo consequendam, observandi, de cultu angelorum, &c. quarum causa Novum Fœdus ab illis interpolatum dicit, in illo deprehendatur inculcata. Posteaquam igitur quindecim jam Capitibus varias illas, a Morgano, ad Vet. & Novi Fœderis auctoritatem infringendam, allatas, objectiones examinavit atque discussit, unum adhuc Caput, quod sextum decimum est, vindicandis sanctissimæ, quam profitemur, religionis dogmatibus, misere a Morgano tractatis, dicavit Lelandus. Non quidem id permittit instituti nostri ratio, ut omnia illa, quæ solidissime ad defendenda fidei Christianæ capita monuit Lelandus, afferamus; cas tamen, quas pro suavissima illa de satisfactione Christi doctrina contra adversarium protulit, vindicias, non possumus, quin strictim breviterque cum Lectoribus nostris communicemus. Variæ autem sunt, quibus hanc solatii quam maxime plenam doctrinam proscindit adversarius, criminationes. Primo quidem nimis arduum ei videtur, affirmare, quod Deus innocentem nocentem loco puniverit, eisque eam pepercerit ob causam, quoniam innocens ea, quæ reis fuerint sustinenda, perpeffus sit; sed ma-

447.

- gis adhuc arduum, quod ad placandam divinam justitiam ejusmodi evenfo imperii moralis omnis, cursusque justitiæ gubernatricis, fuerit omnino necessaria. Vid. pag. 148. Sed, cum ipse adversarius illud concedat, quod Christus perfecte purus fuerit atque innocens, & ex patris voluntate acerbissimis cruciatibus subjectus, ut adeo ita cum eo actum fuerit, ac si ipse peccatis fuerit onustus, ipseque adeo in nostrum commodum peccatorum in locum substitutus fuerit, (vid. pag. 225) mirari omnino subit, quomodo, illud divinæ justitiæ indecens fuisse, pronuntiare queat, quod personæ perfecte puræ atque innocenti acerbissimos dolores in creaturarum peccatis onustarum emolumentum inflixerit. Obvertit quidem adversarius, quos persona innocentia adeo illustri conspicua sustinuerit nocentium loco cruciatus, proprie loquendo nomen satisfactionis justitiæ præstitæ haud mereri; sed pulchre, tum demum aliquid ponderis habituram esse hanc objectionem, *Lelandus* observat, si justitia consisteret in desiderio quodam, vindictam de eo, a quo quis est offensus, sumendi; tum enim non nisi per poenam personalem satisfactionem præstari, nulloque modo, quæ alteri infligatur poena, alterius loci accipi posse. Cum vero divina justitia sapiens sit constansque, honorem atque autoritatem legum suarum imperiique sui vindicandi ac defendendi voluntas, firmumque ita semper agendi propositum, ut sapientem illum justumque mundi gubernatorem decet; hinc, cum huic*
449. fini satisfactio Christi ex asse respondeat, justitiæ divinæ perfectissimo illo atque quam maxime proprio sensu, quo vocabulum hocce accipi possit, satisfactum esse, *Lelandus* ostendit. Secundo, *haud prorsus necessariam esse Christi satisfactionem, cavillatur, idque ex eo probare sustinet, quoniam Deus, dummodo pœnitentia præcesserit, peccata hominibus remittere, neque eum, qui serio ob peccata commissu dolet, rejicere, velit; quam æternam rationis & revelationis vocem esse dicit, indeque eundem casum futurum infert, etiamsi Christus passus aut mortuus non fuisset. Vid. pag. 148 seq.* Quam absurda vero sit hæc ob-
 453. jectione, quæ, si absolute & sine adhibita limitatione intelligatur, omnem divini Imperii legumque divinarum autoritatem ever-
- tit,

rit, ex eo apparet, quod ex sola sapientia & justitia Dei gubernatrice pendet, quatenus ipse poenitentiam accipere & remunerari velit. Ut taceamus, Deum filium suum ad acerbissimos dolores sustinendos non tradidisse, si nostra salus sine morte Christi æque facile obtineri potuisset, ac jam, mortuo Christo, nobis parata illa est. Quamquam verò Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus est atque satisfecit; tamen hæc, Christi morte ac satisfactione acquisita, beneficia iis tantummodo applicantur, qui conditionibus illis, in Novo Fœdere præscriptis, se submittant, id est, iis, qui poenitentiam agunt, novamque obedientiam præceptis Christi testantur. Tertio obvertitur, *fructus meriti Christi nobis applicari non posse, idque propterea, quod, quæ Christus fecit atque passus est, ipsi necessario in suum commodum facienda atque sustinenda fuerint, pag. 154 & 155.* Sed, licet concedamus, Christum, cum redemptionis illud opus in se suscepit, ad illud exequendum fuisse obligatum, illud tamen simul, monente *Lelando*, observandum ducimus, quod opus istud non ex sola divina autoritate, sed ex libero atque voluntario consensu, in se receperit. Jam igitur, cum lex, cujus mediatorem proprio consensu se stiterat nostri causa, eum obligaret, ut animam suam in sacrificium pro nostris peccatis traderet, absurdum omnino esset, quod, quæ ipse, sub lege constitutus, fecit atque perpessus est, nostri loco atque in commodum nostrum accipi nequeant, cum potius clarum sit, ei secundum legis tenorem omnia nostri causa facienda atque perpetienda fuisse. Denique quarto singulari quadam audacia, quasi reportata jam victoria, ex eo se doctrinam de satisfactione Christi infringere putat, quando affirmat, *sub legis æconomia sacrificia vicaria non obtinuisse, & in ejus Sæcerdotum probationem urget, quod sub æconomia legali per sacrificia nulla adempta aut mitigata sit pena; quare, cum in Novo Fœdere de morte Christi sermo sit, ad sacrificia Veteris Testamenti respici non posse putat.* Cum vero, quæ hic objicit adversarius, *Capite sexto* fusius jam discussa sint; iisdem strictius hic non inhæret, sed illud tantummodo monet *Lelandus*, discrimen hic omnino esse constituendum. Eum enim, qui

Pag. 454.

455.

458.

461.

466.

467.

- criminis, cui civilis pœna a lege decreta erat, reus fuerit, a legis illa pœna haud liberatum fuisse, concedendum, illud vero prorsus negandum esse, monet, quod nulla sacrificia vicaria sub lege fuerint in usu. Ipsius expiationis enim hæc erat ratio, ut sanguis sive vita cujusdam animalis loco rei offerretur, idque eum in finem, ut reus ille cum ab eo, quem sibi contraxerat, reatu, tum a legis illa pœna atque maledictione, quam peccatis suis meruerat, liberaretur. Quæ doctrina de sacrificio vicario, quod non a sacerdotibus Christianis demum fuerit introducta, sed jam longe ante tum inter Judæos, tum inter gentiles, obtinuerit, clarissimis certissimisque argumentis evi-
- Pag. 469. cit *Outramus de Sacrificiis Lib. I Cap. 20 & 22 pag. 228 seq.* Hæc adeo summa earum observationum est, quibus a *Morganii* calumniis doctrinam de satisfactione Christi vindicavit *Lelandus*. Alias quidem præterea hoc *Capite* doctrinas, ab adversario depravatas, nitore suo restituit elegans *Lelandi* doctrina; cum vero fines præstitutos propemodum supergressi simus, paucis tantummodo illas indicandas esse intelligimus. Affirmat *Morganus*, peccatum nullum, quod proæreticum dicitur, Evangelii sub œconomia remitti, licet homo pœnitentiam quam maxime seriam agat. Quando enim peccatorum remissio sub pœnitentiæ conditione in Evangelio promittatur, promissionem hanc tantum de peccatis, a Judæis & gentilibus ante Evangelii receptionem commissis, intelligendam, minime vero ad omnia
- 471-478. generatim peccata proæretica sub œconomia Evangelica ab homine, ad Christianissimi fœdus adstricto, peracta, extendendam esse. Vid. pag. 170 & 177. Qua vero asseveratione cum arctiores gratiæ Evangelii limites, quam quibus Vet. Test. circumscriptum fuit, ponantur; hanc doctrinam una cum illis Novi Fœderis locis, ex *Hebr. VI, 4-6, X, 26, 27, 1 Jo. V, 16-18*, adductis, vindicat, atque integritati suæ restituit, *Lelandus*. Quo facto, ad ea, quæ contra Baptismi & S. Cœnæ Sacramenta sanctissima audacter
- 485-488. effutiit adversarius, progreditur. Hinc, quæ ex dissensu, quo, quod ad quam plurimos fidei articulos, scinduntur Christiani, ad ipsam religionis certitudinem infirmandam, desumfit argumenta adversarius, examinat atque retundit. Iisdem enim argumentis

gumentis, quibus Christianæ religionis certitudinem atque veritatem infringere studet adversarius, naturalis, quæ vocatur, religionis certitudinem labefactari posse, ostendit. Tandem Pag. 489. in summum illud, quo *moralem Philosophiam* prosequitur adversarius, laudis encomium *Lelandus* inquirat. Hoc vero eo tendere docet, ut hominem, neglectis sacris literis, ad veram religionem ex cœli, terræ, sui ipsius, brutorumque animantium, contemplatione quærendam atque addiscendam adhortetur. Unde simul, quam infensò in Christianam religionem animo sit, sole meridiano clarius patet. Quem animum ut deponere, seriatimque acta pœnitentia, meritum Christi perfectissimum vera fide amplecti, & ad meliorem in sanctissimam solatiique plenam Christianam religionem mentem redire, velit *Morganus*, ex animo optamus.

METHODUS SECANDI, ET CONTEMPLANDI
corporis humani musculos, in usum Medicinæ & Chirurgiæ studioforum, Autore JOANNE FRIDERICO CASSEBOHM, Med. D. & Prof. Publ.

Haltæ Magdeburgicæ, ex officina Rengeriana, 1740, 8.

Plag. 6.

Clarissimus & de re anatomica egregie meritis Autor quilibet ætate Auditores suos methodo, quasvis humani corporis partes secandi, contemplandique, adhuc instituit. Aliquam hujus tractationis partem, eam scilicet, quæ de musculis agit, quoniam hi, remotis corporis integumentis, primum in conspectum veniunt, illorum aliorumque tironum in usus primum nunc publice proponit. Quoniam vero sine accurata musculorum contemplatione omnis futura esset inutilis eorum sectio, utramque statim in hoc libello conjungendam putavit. Equidem & *Cel. Albinus* in *Historia musculorum hominis* duplicem ordinem exponit, ad cujus ductum omnes in humano corpore muscoli incidi queant. Utrumque autem aliquo labore defectu, Noster, adductis aliquot exemplis, ostendit. Methodum, reliquas etiam corporis partes dissecandi, quamvis jam

elaboratam habeat, promittere vix audeat, atque simul pollicitationes suas continuandæ de aure humana Commentationis, ante aliquot annos publice factas, revocat. Usus est methodo, ad quam nunc pro seculi more & genio omne doctrinæ genus detorqueri solet, scientifica, quæ tamen in hoc argumento non majorem lucem fructumque attulisse, sed potius res implicasse magis, & difficiliiores reddidisse tironibus, nec ubique hic ad severas leges exacta esse, nobis videtur. Post Prolegomena igitur *Capite I* requisita ad sectionem externam necessaria, & quæ ad quamlibet sectionem pertinent, ut locum, tempus, instrumenta, & reliquum apparatus, enumerat. *Capite II* de rebus circa musculos contemplandis agit. *Capite III* sectionem in genere pertractat, *Cap. IV* autem præparationem musculorum, *Cap. V* eorundem contemplationem, & *Cap. VI* abscissionem, *Cap. VII* demum ordinem præparationis ratione omnium corporis humani musculorum, persequitur, idque tam perite, & accurate, ut, libellum hunc tironibus non minus, quam aliis jam magis exercitatis, facem ad opus faciendum præclare esse prælaturum, nulli dubitemus. Quæ argumenta singulis *Capitibus* contineantur, viri earum rerum intelligentes non ignorant. Quædam autem excerpere, ob methodi rationem fere non licet.

MEMOIRES POUR SERVIR A L' HISTOIRE, &c.

hoc est,

COMMENTARII, HISTORIÆ CELEBERRIMORUM in Republica literaria Virorum inservientes. Accedunt catalogi librorum, a singulis scriptorum, de iisque judicia. Autore NICERONIO, Barnabita.

Tomus XL.

Lutetiæ Parisiorum, apud Briassonium, 1740, 8.

Plag. 18, & totidem plag. dimid.

Nimirum vivit post funera *Niceronius*, &, biennio abhinc rebus humanis ereptus, tamen verba hic ad nos facit de viris

ris eruditione claris, deque ipsorum monumentis ingeniorum. Sufficiet nostris Lectoribus vel index horum nominum. Habetis igitur hoc in *Volumine* vitam *Isaaci Barrovii*, in Cantabrigiensi Academia prius Græcæ linguæ, postea Geometriæ, tandem, lampade Geometrica *Isaaco Newtono* tradita, Theologiæ, Professoris, m. 1677 d. 4 Maji; *Salomonis Gesneri*, Prof. Theol. Witteb. m. 1605 d. 7 Februarii; *Augustini Dati*, Prof. Urbinensis, deinde Senensis, tum Reip. Senensis Secretarii, m. 1478 d. 6 Aprilis; *Andrea de Saussay*, Concionatoris & Elemosynarii Regii, tandem Episcopi Tullensis, m. 1675 d. 6 Junii, vivendo superatis quinque & octoginta annis. Vocat hunc Noster virum nullius judicii, referens simul, ejus *Acta Sanctorum Gallie* vocari solere *plaustrum mendaciorum*. Sequitur hunc *Marinus Libergius*, JCtus Gallus, m. 1559; *Paulus Arcudius*, Corcyræus, Romæ quondam degens in Collegio Græcorum, m. 1637; *Paulus Æmilius*, Veronensis, Historicus Regis Galliæ, m. 1529 d. 5 Maji; *Sixtus Senensis*, (quem quo errore nonnulli vocent *Franciscum Sixtum*, Noster indicat,) m. 1569; *Georgius Cassander*, Theologus Irenicus, m. 1566 d. 3 Februarii; *Ludovicus Jacobus a S. Carolo*, Cabillonensis, Bibliothecarius Parisinus, m. 1670; cujus & *Bibliotheca Pontificia* & liber *de Bibliothecis optimis* vult hic contemnitur; *Emanuel Tremellius*, (qui eximio errore semper hic nominatur *Fremellius*,) m. 1580 d. 9 Octobris; *Jo. Albertus Fabricius*, Polyhistor Hamburgensis, m. 1736 d. 30 Aprilis; *Joannes Chenu*, JCtus Bituricensis, m. 1627 d. 16 Dec.; *Jo. Garnierius*, Jesuita Parisiensis, m. 1681 d. 16 Oct.; *Franciscus Maria Nigrifolius*, Medicus Ferrariensis, m. 1727 d. 10 Dec.; *Joannes Cloppenburgius*, Theologus Franekeranus, m. 1652 d. 30 Aug.; *Paulus Philippus de Chaumont*, Episcopus Aquensis, m. 1697 d. 24 Martii; cujus etiam patris, *Joannis de Chaumont*, m. 1667 d. 2 Aug. octogenario majoris, libri hac occasione recensentur; *Adamus Olcarius*, Consiliarius Ducis Holsatiæ, m. 1671; cujus *Itinerarii* hic recensentur non solum editiones Germanicæ, sed etiam versiones Gallica, Anglicana, Belgica, & Italica; *Antonius Mizaldus*, Medicus Parisiensis,

fiensis, immeritis a *Thuano* affectus laudibus, m. 1578; *Aloysius Novarinus*, Monachus Theatinus, scriptor multorum, sed haud magni pretii, librorum, m. 1650 d. 14 Januarii; *Theodorus Petrejus*, Carthusiani Ordinis Monachus, m. circa annum 1645; *Jacobus Billius*, Jesuita, Mathematicus, m. 1679 d. 14 Januarii; *Joannes Clumbergius*, Philos. & Theol. Prof. prius Herborenensis, hinc Duisburgensis. m. 1665 d. 31 Januarii; *Bonaventura d' Argonne*, Carthusianus Monachus, m. 1704 d. 28 Januarii; qui sub nomine *Vigneul-Murville* edidit *Melanges d' Histoire & de Literature* tribus Voluminibus; *Jason Denores*, (non *de Nores*), in insula Cypro natus, Philosophus Academiae Patavinæ, m. 1590; *Cornelius Schryver* sive *Scribonius*, Secretarius urbis Antverpiensis, m. 1558 d. 19 Decembris; *Joannes Petrus Gibertus*, JCrus Canonicus, m. 1736 d. 2 Decembris; *Davidus Clericus*, Professor Genevensis, m. 1655; *Thomas Woolstonus*, Anglus, impius scriptor *de Miraculis Christi*, m. 1733 d. 27 Januarii; *Gabriel de Collange*, Mathematicus Gallus, m. 1592; *Joannes Clericus*, m. 1736 d. 8 Januarii; *Jason Mainus*, JCrus Italus, anno vitæ 84 m. 1519 d. 22 Martii; *Laurentius Jussus Clericus*, Theologus Gallus, m. 1736 d. 6 Maji.

Claudit hoc *Volumen pag. 379-386* nostri scriptoris vita, *Joannis Petri Niceronii*, a quodam scripta, qui indignum judicavit, ejus viri mori memoriam, per quem tot hominum doctorum memoria immortalitatem est adeptus. Nos & ipsi nostrarum existimamus esse partium, huic nostræ Historiæ literariæ inferere vitam Viri de literatorum historia optime promeriti. Natus fuit die 11 Martii anni 1685 honestis & parentibus & majoribus Lutetiæ. Impertitus optimis literis, adjecit animum ad vitam monasticam; cumque in Monasterio Barnabitarum unus viveret suæ familiæ, ipse quoque sacro huic adscribi voluit collegio. Ac primo anni 1704 mense factus est hujus generis monachus. Peracto postea cum Philosophiæ, tum Theologiæ, studio, creatus fuit Professor humaniorum literarum ac Rhetorices, deincepsque Philosophiæ. A. 1708 d. 3 Junii, accepta ætatis venia, Presbyteris adscriptus fuit solenni ritu;

ritu; tumque sacras habuit conciones non solum cum applausu, sed etiam cum fructu maximo. Utebatur sacris in sermonibus dicendi genere simplici, sed tamen puro. Non tam ornamenta oratoria consectabatur, quam justam & solidam argumenti sui pertractationem; idque potissimum agebat, ut peccata audientium impleret & veritatis amore, & pietatis studio. A. 1716 revocatus Lutetiam, (nam diu egerat extra hanc urbium reginam,) addiscebat omnes ferme hodiernas Europæ linguas. Hinc totum se dedit componendis eminentium in republica literaria virorum vitis, tanque strenue ac feliciter decurrit hoc stadium, ut inde ab anno 1727 in lucem produxerit *undequadraginta Volumina*. In his de vita cujusque ac scriptis ita differit, ut nec breviores justo, nec longiores, habeantur vitæ literatorum, ab eo concinnate. Quanto studio undecunque collegit hanc notitiam! Quam industrius est & accuratus in recensendis librorum editionibus, ferendoque de singulis judicio! Quam vacuus est studii partium! Non minus laudat, quæ laudanda veniunt, in hæreticis, (liceat loqui ex mente *Niceronii*,) quam in Catholicis; nec minus Catholicorum notat, quæ sibi occurrunt, vitia, quam hæreticorum. Libenter etiam agnoscebat, Opus hoc suum haud carere novis, nec solum sine dolore accipiebat correctiones, sed etiam cum voluptate. Summæ ejus industriæ hoc etiam exstat specimen, quod in tanto laborum concursu duos libros ex Anglico sermone traduxit in Gallicum, alterum A. 1729, alterum A. 1735. Præterea, ut planissime appareat, natum eum fuisse ad Historiam literariam, multa collegit ad instruendam novam *Bibliothecam Gallicam*, hoc est, ad condendos amplissimos Commentarios de Scriptoribus, quotquot unquam habuit Gallia, eorumque scriptis. Hoc vero Opus quo minus perficeret, mors intercessit, qua sublatus est *Niceronius* noster A. 1738 d. 8 Julii, quinquagesimum quartum ægens annum.

VITA MARTINI LUTHERI, BREVITER EX-
posita ab ipsius collega, PHIL. MELANCHTHON. Ad-
juncta est PETRI MOSELLANI Narratio de Disputa-
tione

tione Lipsiensi anni 1519. Adjecit Præfationem, annotationesque subtexuit, CHRISTOPH. AUG. HEUMANNUS, D.

Gottingæ, sumtu Hageriano, 1741, 4.

Plag. 7.

Diu desiderata fuit librariis in officinis *Vita Lutheri*, a *Melanchthone* scripta, non recusa scilicet hoc nostro Seculo. Cum igitur scriptorem ea habeat fide dignissimum, ejusque lectio multum utilitatis afferat juvenibus Theologiæ cultoribus, hos diutius carere hoc libello non passus est *Cel. Heumannus* noster. Ut autem ei nonnihil circumdaret ornamenti, & Præfationem præmisit, & annotationes adjecit, & appendicem subtexuit. Et in Præfatione quidem diversas, easque multas, hujus libri editiones recenset, annotationesque suas plerasque docet ex ipsius *Lutheri* scriptis petitas esse ad ea, quorum testem se præbet *Melanchthon*, confirmanda. Ipsam *Lutheri Vitam* in *Paragraphos* dissecuit, sive *Capita*, quorum singula singulas absolvunt materias. In *Annotationibus pag. 3* docet *Cel. Editor*, veram & antiquam scripturam esse *Lutherus*, quidque id nominis significet, ostendit. *Pag. 4* judicat, pro *Martino*, qui, Constantiensi in Concilio creatus Papa, reformare jubebatur Ecclesiam, sed promissum suum negligebat, eodem Seculo nasci Deum voluisse *Martinum* nostrum, reformatorem & strenuissimum & felicissimum. Similis est *pag. 15* observatio, eodem anno initium reformationis fecisse *Lutherum*, quo (1517) Romæ finitum fuerat sine fructu Concilium reformatorium Lateranense. *Pag. 8* docet, *Lutherum* in monasterio gessisse prænomen *Augustini*. E *pag. 10* discimus, *Occamica* sectæ suam nomen quondam dedisse *Lutherum*. Unde natam ipsi fuisse *Occamicam* adversus Papam fortitudinem, Noster conjicit. Ad acrius intemperantiusque scribendi genus *Lutheri* quod attinet, Noster *pag. 20 seq.* id minime laudat, sed tamen probabiliter excusat. Verum satis esto, hæc depromisse ex *Annotationibus*. Venimus ad Appendicem, in qua exhibetur, & quidem emendatissima, *Petri Mosellani ad Julium Pflugium Epistola*, (cujus

de editionibus in Præfatione differitur,) describens Lipsiensem *Ecclie* cum *Caroloftadio* & *Luthero* difputationem publicam; cui ipfe interfuerat *Mofellanus*. Nec hoc scriptum caret annotationibus; quæ, etfi breves sunt, plura tamen ejus loca illustrant.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INCREMENTUM scientiarum, ab his, qui sunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per partes publicata. Edendi consilium suscepit, sua nonnulla passim addidit, Præfationem, qua instituti ratio explicatur, præmisit,
FRIDERICUS OTTO MENCKENIUS, Phih.
 & *Jur. Utr. Doctor.*

Voluminis I Pars I.

Lipsiæ, sumptibus Auctorum, 1742, 8.

Plag. 13.

Qui in *Novis his Eruditorum Actis* colligendis edendisque præcipuam ponit operam curamque suam *Menckenius*, novum nunc, de civitate erudita non male merendi, consilium suscepit. Suasum enim hortatuque virorum & consilii & doctrina valentium *Miscellanea* instauravit, atque viris doctis stadium aperuit, in quo ipsi industriam suam acuere, ac in commoda publica exercere, possint. Floruerunt dudum in Academia Lipsiensi Collegia, *Gellianum, Conferentium, Anthologicum, Philobiblicum*, atque eorum, qui *Eruditorum Acta* adornant. Cæpit olim doctus Vir & doctorum valde studiosus, *Carolus Fridericus Petzoldus*, plenissimum rerum optimarum penu aperire, modesto *Miscellaneorum Lipsiensium* nomine inscriptum, idque A. 1716 inchoavit institutum, omni elegantioris eruditionis apparatus instructum. Operi illi ortum & initia dederunt flores illi, ex *Anthologorum* hortis decerpti, gratum & jucundum naribus etiam delicatissimis odorem, & varietate ipsa suavissimum adspectum oculis, præbentes. Auspicia & fata hujus instituti perspicue ac copiose in Præfatione exposuit *Menckenius*. Norunt eruditi, *Petzoldi* illud Opus *Volumine XII*

B b b 2

A. 1722

- Præf. A. 1722 fuisse conclusum, dolentibus iis omnibus, qui eruditæ bene cupiunt civitati. Rogandi sunt Lectores, ne de omni, quod dicitur, texto judicent ex simbria hac tenui, nec laboris universi pretium ex prima ejus magis particula, quam parte, æstiment. Elaborant ii, qui symbolas conferunt, ut *Miscellanea* restituant, decore priori ac laudibus olim impetratis digna. Ut præcipuam Philosophiæ, Mathematices, rei medicæ, & naturalis, rationem habebunt; ita nec deserta ipsis aut contempta Historiæ, tam sacre, quam civilis, & literarum fata describentis, antiquitatum omnis generis, Philologiæ sacre, Criticæ, non aridæ illius & cadaverosæ, sed cui succum atque vitam artes debent ceteræ, studia jacebunt. Abesse ab hoc Opere jubent, quæcunque aut nullam prorsus, aut exiguam, in cognitione rerum utilitatem habent. Vulgaria sexcentiesque dicta hic haud occupabunt locum. Qui igitur in hanc societatem admitti cupit, is non nisi rebus bonis & utilibus, & sibi tanquam propriis, onustus veniat. *Volumina* singula *Partibus quaternis* distinguuntur. Tempus certum *Partibus* singulis edendis haud definitum est. Efficiet tamen Editor, ut annis singulis singula in lucem *Volumina* emittantur. Non est nostrum, præconiis nobis prospicere. Industriam nostram favor & approbatio lectorum accendet & conservabit. Hæc ad rationem instituti, Præfatione ipsa copiosius representatam. *Parte* hac *prima* continentur sex potissimum capita. *Joannes Christophorus Harenbergius*, S. Th. Doctor, & Scholarum per terras Brunsvico-Luneburgicas Inspector generalis, in expositione succincta *Parabola de operariis in vinea, Matth. XX, 1-16*, occupatus est, persuadens lectori, designari die illo, intra quem operarii conducti traduntur in vineam Christi *Ἐν ἑσπέρῃ*, tempus, quod a Christo nato ad templi Hierosolymitani excidium effluxit. Intra illud enim Judæi primo a *Joanne* & discipulis Christi, & ante hos a *Simeone, Zacharia, Hanna*, aliisque, ad œconomiam novam regni externi cœlorum vocati sunt. Periodo tertia advocati & arcessiti fuerunt ad eam Samaritæ. Quarto intervallo prophetorum quoque portæ, a *Cornelii* centurionis ætate, ratio fuit habita. Tandem usus doctrinæ Christi & charismatum cum gentibus

gentibus quoque fuit communicatus, quæ, in civitatem Christi adscitæ, in primorum numero censitæ fuerunt, quamprimum Judæi murmurantes repudiarunt Jesum, & postremi evasere. Levissimi sunt momenti errata, quæ in hanc Diatriben irrepererunt. Ita enim pag. 8 lin. 5 *epiphonema* legendum est pro *epiphomena*; pag. 9 lin. 1 *ejusque similes* pro *ejus similes*; pag. 14 lin. 27 *vacaturos* pro *vocatueros*; pag. 24 lin. 24 *horam tertiam* pro *Romam tertiam*. Sub finem cujusque *Voluminis* parorata ejusmodi curate emendabimus. Expositioni illi integræ Lector sese accingat oportet, qui argumenta & vim eorum avet pensitare & suffragio dignari. Tum *Joannes Conradus Schwarzius*, S. Th. Doctor, & Gymnasii Coburgensis Director, sed qui sub literis *J. C. S.* latere hic consultum duxit, *Ironiam a Jesu* Pag. 31. & *discipulis ejus abjudicatam* exhibuit, progressus per singula Nov. Test. loca, in quibus species ironiæ videtur deliterere. Verba illa *Matth. XXVI, 45*: καθεύθετε τὸ λοιπὸν καὶ ἀναπαύεσθε, ita exponit, vertitque in Latinum: *Dormitis in reliquum* (proximum tempus), & *requiescitis?* Non miratur, *Judam* 33. dici a Jesu *ἑταῖρον* *XXVI, 50*, siquidem *Judas* omnino erat socius sodalitiæ paschalis, quod *Josephus ἑταίριον* vocat. Verba Jesu *Marc. VII, 9*, per *communicationis* figuram & quæstionis modum exponit hunc in modum: *An (vos Pharisei) bene abrogastis præceptum Dei, ut majorum vestrorum decreta servetis?* Quærit Jesus, an Pharisei suo in Deum officio satisfaciant. Verba Jesu, *Luc. XI, 41*, per scripta: πλὴν τὰ ἐνὸντα δότε ἔλασμεσύνην, sic reddit: *Sed ea, quæ intus sunt, (interiora animi cogitata & consilia,) misericordie plena efficite. Per justos, qui penitentia haud indigent, Luc. XV, 7*, commemoratos, designari ostendit *justos, quibus peccata sunt remissa, & quos Deus injustitia purgat, tributa filii sui Jesu justitia*. Vindicat deinde loca *Jo. III, 10, VII, 28, 1 Cor. IV, 8, 2 Cor. X, 12, XI, 19*. Verba *2 Cor. XII, 13*: Χαρίσασθε μοι τὴν ἀδικίαν ταύτην, includenda 39. esse parenthesi existimat, complexa quippe formulam, quam urbanitas & communis illorum temporum lepos distabat. Huic succedit Commentationi *Ἐπίκεισις Φιλολογικὴ Christophori Saxii*, Philosophiæ Magistri, in nuperum Franci cujusdam libellum

bellum de Incerto historia Romanorum antiquissima, sed cujus fa-
 boris hic tantum Partem priorem legimus, reliquas in his *Miscel-*
laneis proxime lecturi. Solide Autor hic & eleganter adjuncta
 recenset, quæ Historia præstat Philosophiæ & Historiæ Philoso-
 phia, ac vanitatem eorum recenset, qui ob philosophandi stu-
 dium præposterum injurii sunt in historicas veritates. Expo-
 nit verisimilitudinis historiciæ leges, eisque congruenter de
 prisicis Romanorum rebus judicat. Multa omnino & præclara
 præcepta hic traduntur tum solide, tum diserte, quibus in
 dijudicandis fontibus, e quibus hæciri solet noticia histo-
 rica, est utendum. Pyrrhonismo historico, cujus ipse *Bier-*
lingius coarguitur, obicem ac repagulum hic fuisse op-
 positum, veritatis historiciæ amatores jure suo gaudebunt, in-
 primis illi, qui historiam Romæ Seculorum quinque priorum
 incertam verentur existimare. Tum vero *Christophori Augusti*
Heumanni, omnibus noti nominis, diligentia adamantina labo-
 res criticos offert, quibus tribus *Plinii*, qui *Historiam natura-*
lem scripsit, locis affert medicinam & emendationem. Locus pri-
 mus legitur *Hist. Nat. Lib. VII Cap. 50*, hunc in modum: *Atque*
etiam morbus est aliquis, per sapientiam mori. Quem ita jubet le-
 gendum *Heumannus*: *Itaque etiam morbis est aliquid sapientia.*
Morbis enim quoque quasdam leges natura posuit; quadrini cir-
cuitus febres nunquam bruma, nunquam hibernis mensibus, inci-
pere - - . Consentit cum hac sententia *Cicero de Nat. De. Lib. III*
Cap. 10. Tentaverat *Heumannus* medicinam huic loco jam in *Pæci-*
les Tom. I Lib. III pag. 436. Alter locus est in *Plinii Lib. VII Cap.*
 51, ubi legitur *ægritudo sapientia.* Locum omnem, valde deprava-
 tum, ita legendo restituit: *Jam signa letalia: in furoris morbo ri-*
fus; in sapientium vero ægritudine simbriarum & stragula vestis
plicatura; in somno etiam neglectum præfandi humoris (id est, uri-
næ,) effluviium. Ægritudo sapientum, seu sanam servantium men-
tem, discernitur ab ægritudine vel potius morbo eorum, qui in
furorem fuerant acti. Si conferatur Cornelius Celsus Lib. I Cap. 6, 7,
sanationis illius criticæ facile patefcet ratio. Tandem Autor pro-
cedit ad Plin. Lib. XXXV Cap. 2, ubi hæc verba leguntur intoler-
abilia: Ingenia hominum rempublicam fecit, cum legendum sit: In-
geniorum

geniorum horum rempublicam fecit Asinius Pollio. Arguta hæc Pag. 34.
est dictio, exemplis illustrata. Excipit triadem hanc emen-
dationum *Plinianarum Critica literarie Specimen primum*, exhi-
bens duas *Decadas Plagiatorum*, ab ipso horum *Miscellaneo-*
rum editore, *Menckenio*, spicilegii instar post *Thomasii, Fa-*
bricii, Crenii, Almeloveenii, & aliorum, messem collectas. Ubi 87.
suum putavit *Menckenius*, non tantum indicare plagia, sed et-
iam demonstrare & evincere. Scenam aperit Gallus haud in- 96.
celebris, *Joannes Ludovicus de Balzac*, multa mutuatus ex uno
Josephi Halli libello *Considerationum fortuitarum*, Anglice scri-
pto, teste *Carolo Ancillonio*. *Franciscus Balduinus Francisco Dua-*
reno objecit turpe plagium, commissum in libro *de sacris Eccle-*
sia ministeriis & beneficiis, in quem ex scriptis *Jo. Calvinii de*
Sacerdotio multa transtulisse furtim dicitur a *Balduino*. *Calvinus*
ipse & *Theodorus Beza Duarenus* ab hoc crimine absolverunt.
Desiderium Erasmus e scriniis *Ludovici Calii Rhodigini* nonnihil 104.
transtulisse in librum suum *de Adagiis*, negat Autor. *Oron-*
tium Finaum plagii absolvit. *Samuelis Guichenonii*, Historici
Galliarum præstantissimi, famam vindicat. *Ludovicum* vero 110.
Guyonium, qui *Lectiones diversas* edidit, *Jo. Bostini* vitula sæ-
pius arasse, ostendit. *Bartholomæi Keckermanni* fama labe ea- 112.
dem laborat. *Joannem Maccovium*, Autorem *Collegiorum theo-*
logicorum, rapinæ, in *Molinæi Anatomæ Arminianismi* commissa,
accusavit *Guil. Saldenus*; quod an jure sit factum, non disquirit
Noster, ipsis quippe, ex quorum collatione id disci possit, li-
bris destitutus. *M. Ant. Majoragium* nihil furrupuisse *Petro Vi-*
storio, ostendit adversus eos, qui ex male intellectis *Natalis Co-*
mitis verbis tale quid conjecerant. Copiosus inprimis est No-
ster in recensendis *Egidii Menagii*, Gallorum alioqui doctissi-
mi, furtis literariis, quorum a multis suæ ætatis viris doctis,
nec id immerito, postulatus est. *Jenkinus Thomasus Phi-*
lips in *Historia Atheismi breviter delineata* habet multa, excscri-
pta ex *Diff. B. G. Struvii de doctis Italia Naturalistis*. *Victorinus*
Strigelius in classe plagiatorum haud minus peperit sibi locum.
Disserit posthæc Autor de *Joanne Taisnerio*, *Joanne Baptista Ta-*
vernierio, *Jacobo Philippo Tomassino*, Episcopo Istriensi, *Laurentio*
Valla,

*Valla, Emanuele Fernandez Villareal, Laurentio a Villavicentio, qui Andrea Gerhardi Hyperii libros duos integros pro suis edidit, Nicolao Raimaro Urso, ac tandem de Davide Wendlero, qui Dissertationem de Piscina Bethesda ad Jo. V, 2, Vitebergæ A. 1676 editam, pæne totam transcripsit ex Jo. Frischmutbi, Præsidis, Vitebergæ A. 1663 habita, de Piscina Bethesda Dissertatione. In calce Partis hujus primæ offerunt sese Lectori duæ Guiljelmi Cavei ad Ottonem Menckenium Epistola, quibus de doctis viris librisque summorum in Anglia Phœborum eleganter exponitur. Non est nostrum, de Sylloge hac, & de usibus, inde in civitatem eruditam redundaturis, ferre judicium. Id vero partium judicabimus nostrarum, ut in posterum quoque promamus nova, utilia, jucunda, doctisque hominibus placitura. Si cui sint in promptu Dissertationes & Diatribæ, ad hosce corymbos referendæ, ei, non possumus, quin societatem instituti hujus offeramus. Id unum oramus obnixè, ne quis liticulas & res nullius frugis *Miscellaneis* nostris destinare conetur. Ceterum docendi sunt Lectores, prodire hæc *Miscellanea* ipsius sumtibus Editoris; cujus generis libri cum sint rarius in officinis illorum hominum, qui vendunt libros novos, obvi, hinc bene fecerint, qui *Miscellanea* hæc propius inspicere, remque suam rectè curari, cupiunt, si per amicos Lipsienses aut ab ipso Editore, aut a Jo. Frid. Gleditschio, librario hujus urbis nobili & officioso, hæc sibi, quicquid est libelli, comparaverint.*

Prodiit Tomi quinti Supplementorum ad Nova hæc Eruditorum Acta Sectio prima, hos in compendium missos libros exhibens: 1) *Anonymi Historiam & Vitam S. Epiphani, Gallice scriptam, Paris. 1738, 4;* 2) *Anonymi Tomos V Tractationis de vera religione adversus Atheos, Deistas, simulacrorum cultores, Judæos, &c. Gallico sermone scriptæ, Paris. 1737, 8;* 3) *Anonymi Vitam & expeditiones militares Principis Sabaudie, Francisci Eugenii, Italice exaratam, Vener. 1739, 4;* 4) *Nic. Hier. Gundlingii Solidas Prælectiones in Capitulationem Imperatoriam Caroli VI, Germanico sermone compositam, Francof. & Lips. 1741, 4;* 5) *Richardi Reynell, Pharmacopœi Londinensis, de Catalepsi Schediasma, una cum historia mulieris cataleptica, Londini, 1736, 4;* 6) *Caroli Frid. Hundertmark, Med. D. de Sacchari Saturni usu interno salutari Exercitationem Academicam, Lips. 1741, 4;* 7) *Jo. Matthei Hübschmanni, Ecclesiastæ Eckartshausensis, celerem Hebræum, Lips. & Isenaci, 1741, 8.*

* * *

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii Anno MDCCXLII.

ΑΜΜΩΝΙΟΥ ΠΕΡΙ ΟΜΟΙΩΝ ΚΑΙ ΔΙΑΦΟΡΩΝ ΛΕΞΕΩΝ.
AMMONIUS de affinium vocabulorum differentia. Ac-
cedunt e MSro ERANIUS PHILO de Differentia
significationis, LESBONAX de Fi-
guris grammaticis.

Lugduni Batavorum, apud Jo. Luzac, 1739, 4.

Alph. 2 plag. 20.

Cum Vir Clarissimus Lud. Casp. Valckenaer Isaaci Vossii *Adversaria* versaret, quæ in Bibliotheca Batava Lugdunensi asservantur; accidit, ut, in multis aliis, varias lectiones in *Ammonium de similitum vocum differentia* inveniret. Quæ cum eum ad legendum, curatiusque evolvendum, *Ammonii* libellum invitavissent, & ipse hunc ad Græcæ linguæ accuratam scientiam utilem esse vidisset, multis autem locis male affectum jacere; consilium cepit, laudabile prorsus, & felici eventu probatum, hunc librum emendatius edendi, & Commentariis illustrandi suis. Nam, quanquam illius edendi jam olim spes erat a Cel. *Dukero* facta, tamen ea, majoribus Viri Eruditissimi laboribus intercepta, cecidisse videbatur. Sed, ne alienæ tamen falcem messi immittere, fructusque laborum alienorum intercipere, videretur Cl. *Valckenaerius*, consilium suum prius, quam exequeretur, cum Cel. *Dukero* communicandum esse duxit; a quo confirmatus egregie & magis impulsus, *Ammonio* operam dedit, & nunc eum ornatorem in lucem emisit. Quare non est, quod vehementer dolendum putemus, quod Cel. *Dukeri* opera in eo illustrando non eluxerit; quod quidem faciendum videretur, si ab alio minus perito, & Græ-

carum literarum eruditione minus tincto, quam a Cl. *Valckenaeo*, productus esset. Etenim in eo edendo ita versatus est, ut, etsi antea, uti constat, *Ammonius* erat omnibus Græcæ linguæ studiose apprime utilis, qui proprietatem vocabulorum differentiamque, in intelligendis Autoribus necessariam, egregie maximam partem demonstraverit, tamen, *Valckenaei* opera multo ad percipiendos istos fructus accommodatior, & ad lectionis jucunditatem opportunior, factus, exsplendescat. Quod quidem paulo post, speciminibus quibusdam editis, demonstrabimus. Nunc autem, quibus partibus ornatior *Ammonius* prodierit, quam antea, paucis exponendum videtur.

Clarissimus Editor, etsi, *ἀραυτοῦ* librum hunc scriptum fuisse, putat, tamen priorum Editorum auctoritatem sequi cupiens, & commoditatem videns, ordinem literarum retinuit. Editionem *H. Stephani* potissimum secutus, tamen, quo correctiorem daret *Ammonium*, alias veteres editiones, magna ad emendandos Autores adjumenta, adhibuit. Sunt autem: editio *Ammonii* prima, ab *Aldo* procurata, a qua, etsi reliquæ sunt, tanquam a capite suo, derivatæ, tamen non parum, sine scriptorum Codicum auctoritate, recesserunt; inprimis vero *Stephanus* in ea, quam hæc nostra expressit, lectiones *Aldinas* mirum quantum immutavit; Veneta prima, Dictionario Græco-Latino & *Cyrilli* Opusculo subjuncta, & A. 1497 ex *Aldi* officina progressa; altera Veneta, A. 1524, una cum *Phrynico*, *Thoma Magistro*, & *Moschopulo*, *Aldi* & *Andrea Asulani* operis elaborata. Has editiones veteres appellat; ex iis scripturæ varietatem sedulo excerptit: Parisina A. 1521, Basileensis A. 1522, *Valentini Curionis* typis nitide exscripta, Basileensis, *Valentini Curionis*, A. 1525; Parisina A. 1530 & 1552, quarum illa mendis tyothetarum omnium maxime foedata est, hæc autem, a *Stephano* fere expressa, multo melior, Lexico Græco-Latino, a *Jac. Tusano* locupletato, in fine adjuncta reperitur. Omnium autem, si a prima *Aldi* discesseris, optimam invenit *Jouannis Frellonii*, editam Lugduni A. 1553, quam tamen paulo serius, cum jam esset in litera *I* occupatus, accepit. Hæc editio non pauca subministravit emendata, quæ in ceteris omnibus fuerunt vitiosa, nisi quod Basileensis A. 1554 ab ea fere nusquam recedit; ita,
ut

ut apparuerit, viri haud indocti eam conjecturis esse emaculatam. MStis Bibliothecæ Lugdunensis usus est, conjecturas doctorum virorum adjecit, in quibus præcipue *Scaligeri* & *Jo. Vossii* eminent. Ex, cum viderentur veteres Grammatici & Lexicographi multum posse adjumenti, tum in emendando, tum in illustrando, asserre, eos diligenter evolvit, & locos v. c. *Thomæ Magistri*, *Ptolemæi Afcalonitæ*, *Iranii Philonis*, *Cyrylli* in Lexico inedito, *Eustathii*, *Moschopuli*, *Phavorini*, *Etymologi M.*, commemoravit. Quæ meliora videbantur, e MStis profecta, in textum reduxit; quibus tamen, non tam religiosus fuit, quin interdum, ubi res & ratio poscere videretur, conjecturas doctorum virorum præferret. Suas autem, timore quodam, nimis fortasse modesto, etsi veras, in textum inculcare non sustinuit. In Metricis *Menandreas Bentleji* emendationes probavit. Ceterum Vir Cl. interpretationem Latinam non addidit, ratus, neminem fore, qui, si tam hospes Græcæ linguæ esset, ut ne hunc quidem tam facilem libellum intelligeret, ad eum legendum esset accessurus. Jam vero Præfationem eam præmisit, quæ eruditioni Viri elegantissimi, & libri utilitati, perquam belle respondet; ex qua, quoniam, quæ ibi disserit, bene huc conveniunt, pauca quædam huc transferemus. In ea Pag. 13. itaque de Autore hujus libri ita disputat, ut, *Ammonium* sine dubio eum esse, dicat. Quanquam enim multi, *Herennio Philoni* eum tribuendum esse, putant, quod *Eustathius* ad *Homerum* multa, *Herennii Philonis* nomine, iisdem verbis in medium asserat, quibus in hoc libro leguntur, tamen, quoniam fieri potuerit, ut ex uno eodemque fonte uterque hauriret, ex eo, 14. *Ammonio* hunc librum non esse abjudicandum, arbitratur; præ- 16. fertim cum MStis constanter *Ammonium* agnoscant. Huc accedit, quod *Aristophanis* Scholiasta doctissimus, idemque antiquissimus, quædam ex hoc libro commemorat, & ad *Ammonium* refert. Hic autem *Ammonius* floruisse videtur primo post 17. Christum natum Seculo ad finem inclinato; quod, qui ab eo nominantur Grammatici, ante *Augustum*, eo imperante, usque 18. ad *Tiberium* vixerunt; deinde, quod *Heraclidem* Grammaticum vocat *ἡμῆτερον*, hoc est, ut Cl. Editor conatur ostendere, 19.

praeceptorem suum. Vixit autem is *Augusto* imperante. *Ammonii* consilium fuit, differentias vocabulorum, quæ antiquis temporibus discreta multum, recentioribus autem confusa promiscue usurpabantur, explicare, & e probatissimis antiquæ ætatis scriptoribus illustrare. Fuit enim tum tempus illud, cum Græcus sermo, patrios fines egressus, externis ac barbaris & verbis se oblineret & moribus, & pristinam suam sanitatem amittere inciperet.

Huic *Ammonio* Opuscula quædam adhuc inedita adjunxit, quæ insignem quandam utilitatem Græcæ linguæ studiosis videbantur allatura. Sunt autem: *Erani Philonis* libellus de *Differentia significationis*, qui iisdem pæne verbis *Ammonii* sententiam, sed in paucioribus vocibus, descripsit; *Lesbonax de Figuris grammaticis*, utilissimus ad Græci sermonis facultatem liber, quem olim *Leo Allatius* edere voluit, & *Salmajus* in libro de *Hellenistica* sæpissime laudavit; incerti Scriptoris de *Solæcismis & Barbarismis* capita; *Lexicon de Spiritibus dictionum*, e Codice *MSto Vossiano* annorum circiter quadringentorum. Sed satis de Præfatione. Nunc ipsas Notas, age, & Commentarios, intuebimur, & quales sint, quibusdam locis proferendis ostendemus. In Notis, textui subjectis, breviter de scriptura Codicum agit, conjecturas affert, locos explicat, & breviter illustrat. In Commentarios autem, ad finem rejectos, ea transtulit, quæ majoris disputationis esse & disquisitionis videbantur.

Quanti sit facienda sobria illa in emendandis locis corruptis diligentia & solertia, nemo est, qui Autores veteres paulo accuratius legerit, quin sciat. Et, quemadmodum ea corrigendi prurigo, quæ in sanos locos sine necessitate involat, culpanda est, valdeque reprehendenda, sic critica conjectandi audentia in locis suspectis non potest non probari. Jam, quam feliciter interdum conjecerit Cl. Editor, hæc exempla sunt. *Pag. 6 Ammonii* legitur: τὸ ἐν τισιν ἰπιδικάζειν, quod emendat: ἄτι διακάζειν. *Pag. 6* in v. αἶνος exhibetur . . . κατὰ ἀνάπλοσιν μυθικήν, quæ vox cum sit intellectu difficilis, seu potius nulla, sensui convenientem, & literarum vestigiis erutam, conjecturam affert: κατὰ ἀνάπλοσιν μυθικήν. *Pag. 24* legitur in textu:

textu: Ἀράχνη καὶ Ἀράχνηιον διαφέρει. Sed, cum hæc eadem sint, & telam araneorum proprie significant, ceterorum Grammaticorum autoritate, qui ἀράχνης exponunt *araneus torus*, rescribendum iudicat: Ἀράχνη καὶ ἀράχνηιον Ἀράχνη διαφέρει. *Pag. 32*: βρύκειν καὶ βρύχειν διαφέρει. βρύκειν μὲν γὰρ διὰ τὴν κ, τοῖς ὀδῶσι. βρύχειν δὲ διὰ τὴν χ, ἐπὶ λέοντος τὸ βρυχῆσθαι. Hæc, sine dubio mutila, ita sinitati restituenda putat: βρύκειν καὶ βρύχειν διαφέρει. βρύκειν μὲν γὰρ διὰ τὴν κ, τὸ ἐσθίειν. βρύχειν δὲ διὰ τὴν χ, τοῖς ὀδῶσι. ἐπὶ δὲ λέοντος τὸ βρυχῆσθαι. Nam Grammaticis & Lexicographis Autoribus βρύχειν est τοῖς ὀδῶσι τρίζειν. βρύκειν autem, interprete *Schol. Aristoph. Lysistr.* 307, τὸ ἐσθίειν. βρυχῆσθαι autem de leonibus semper, non autem βρύχσθαι, dicitur. *Pag. 44* διαπολιτεύσθαι καὶ ἀντιπολιτεύσθαι διαφέρει. Διαπολιτεύσθαι μὲν γὰρ λέγεται τὰς ἐκτῆς αὐτῆς πόλεως. ἀντιπολιτεύσθαι δὲ τὴν ἐξ ἑτέρας δι' ἑτέρας ἀντιδιασατῆντας ἀλλήλοις. In hoc cum interpretationem τῆ ἀντιπολιτεύσθαι, ἀντιδιασατῆντας non convenire putet, legit: ἀντιδιαπολιτεύσθαι. Namque eadem forma *Hesychius ἀντιδιαψίλλεται, ἀντιδίησιν*, & plurima. Jam, etsi officio Editoris & Critici satis luculenter defunctus erat Vir Cl., cum, quæ ad textum intelligendum necessaria erant, in animadversionibus, textui subjectis, exposuerit, tamen etiam Animadversionum libros addidit, in quibus multa cum ad hunc librum intelligendum, tum ad alios Autores, egregia protulit. Præclare de voce ἀγγιτεύς & ἀγγιτεύει differit, & primo ostendit, id æque ac Latinum *proximus* metaphorice usurpari. *Trachin. Sophocl.* v. 259: ἀγγιτεύει τῷδε τῷ πάθῳ. *Phædrus*: *cuius proximus*. Deinde jus ἀγγιτεύειος apud Athenienses involutum sane & perobscurum explicat. Si quis moriebatur Athenis intestatus & sine liberis, proximi ἀγγιτεύειος hæreditatem adhibant; quare eos, non secus ac liberos, mortuis oportebat iuxta ἀγγιτεύειο δίκαια facere; ac propterea ταφῆς & κηδέων vocabantur. Tertio ἀγγιτεύς dicebatur, qui virgini ἐπικλήρω genere proximus erat, eamque in matrimonium ducere tenebatur lege *Solonis*; ique hinc dicitur ἀγγιτεύειον γαμήϊον. Sed non solum est propter egregiam Græcæ antiquitatis scientiam, quod hæc dispu-

Pag. 4.

tatiuncula se omnesque ejus animadversiones commendent, verum etiam propter quandam sagacitatem & ευσοχίαν, quam in multis veterum Autorum locis emendandis probavit. Sed, ut in hoc loco maneamus, Vir eruditus feliciter emendat corruptam *Hesychii* glossam: *Αγχιζίνδην ὀμνύων ἐγγύς τῶν βωμῶν παρὰ Σόλωνι*, ita, ut, duas in unam coaluisse, dicat, easque sic dividat: *Αγχιζίνδην παρὰ Σολωνι. Αγχ' ἰζίν ὀμνύων, ἐγγύς τῶν βωμῶν.* Et locum *Demosthenis adv. Naxart. pag. 667 C.* constituit, cum pro: *τὰ πάτρια τοῖς ἀποφθινομένοις ἐκινέμενα ἡμεραιτελεῖν τῆς ποθήμοντας*, divinis vocibus, legit: *ἐν ἐκινέμενα ἡμέραι τελεῖν*, hoc est, *ἐν ταῖς καθημέσαις ἡμέραις*, ut paulo post Orator dicit. Ex istis autem speciminibus apparet, quam circumspecte, & feliciter tamen, emendet Vir eruditus; quare mirabamur, quomodo acciderit, ut a suo more recesserit, & locum *Orphei Argonaut. v. 221* emendandum existimaverit, cum nulla in MStis varietas extiterit, nulla viris doctis mendii suspicio inciderit unquam, nec ulla ad corrigendum necessitas impellat. Est autem is:

Αὐτὰρ δὴ πελῖαο Φερείοθεν ἦλυθ' ἄνακτος
 Ἀγχιζεύς· νῆος γὰρ ἐπ' ἀργάας γενήθητο,
 Ἄξεινον ποτὶ Φᾶσιν ἄμ' ἠρώσσει ἐλάσσαι.

Sic autem commutat:

Αὐτὰρ δ' Αἰσονίδαο Φερείοθεν ἦλυθ' Ἀκάστος
 Ἀγχιζεύς· νῆος γὰρ ἐπ' ἀργάας τε γένηθεν
 Ἄξεινον ποτὶ Φᾶσιν ἄμ' ἠρώσσει πελάσσαι.

lubens enim voluit una cum Heroibus Argos navi ad inhospitalem Phasiam accedere. In his *Ἀκάστος*, a *Cel. Burmanno* ad *Valerium Flaccum* prolatum, recepit, in ceteris autem suo ingenio permisit. Atque illud quidem *Ἀκάστος* omnium verisimillima est, cum propter nominis necessitatem, quod hic decesset, tum propter literarum similitudinem, correctio. Sed in ceteris videat, ut suam cuiquam sententiam possit probare. Nam, ut ab eo incipiamus, quod tanquam fundamentum totam emendationis causam iustinet, *Ἀγχιζεύς* negat posse de filiis dici, sed tantum proximis convenire affirmat propinquis, qui in hereditatem liberis vacuam lege

lege agere, eamque adire, possunt. Quod quanquam negari non potest; tamen etiam hoc velimus nobis dari, si ἀγχιστεία de hereditate liberorum in bonis paternis dicatur, τὸ ἀγχιστεὺς etiam de filio, patris sui herede, poni posse. Atqui ἀγχιστεία ita est apud *Aristophanicum* *Orat.* 1660: Νόθω δὲ μὴ εἶναι ἀγχιστεῖαν, πατρῶν ὄντων γνησίων. εἰ δὲ παῖδες μὴ ᾤσι γνήσιοι τοῖς ἐγγυτάτω τῷ γένει μετῆται τῶν χρημάτων. Ex quo loco cognosci illud etiam potest, non necesse esse, ut in *Ulpiano* in *Demosth. Orat. in Leptin.* pag. 374 C. pro ἐγγυτάτω γέει emendetur ἐγγύτατα τῷ γέει; præsertim cum apud *Demosthenem adv. Macart.* pag. 669 B. reperiat: τὸς γέει ὄντας ἐγγυτάτω ἀγνίᾳ, τέτῃς ἐξελάνοισιν. Si quid tamen sit, adiciendum videtur τῷ. Sed, ut eo redeat, unde est digressa oratio, ἀγχιστεὺς pro herede legitimo in loco *Orphei* positum esse existimamus. Nam *Acastus* unicus erat *Pelias* filius, ad quem aliquando regnum possit venire. Quod si bene est, ἀγχιστεία patris posse nominari filium, illa emendatio: *Λισονίδαο* jam simul labefactata concidit. In his quoque, quæ sequuntur: *μηδὲ γὰρ ἐπὶ ἀργείᾳς τε γέγηθεν*, liceat nobis modeste a *Viro* docto dissentire. Manifeste enim particula *τε* inculcata & abundans, non habebit, neque in antecedentibus, neque in sequentibus verbis, ad quod possit referri. Non est autem hæc *Græcorum* *Poetarum* consuetudo seu inopia, quemadmodum vulgo existimari solitum, ut sic sine sensu complementi tantum causâ particulas hujusmodi versibus suis inserant, & tanquam inferant. Deinde non est, quare *γεγένητο* in *τε γέγηθε* possit mutari, cum nulla literarum similitudo, nulla sententia necessitas, reperiat. Nam, cum *Poeta* dixisset, post alios heroes venisse etiam *Acastum*, Regis filium; quoniam suspicari quis poterat, spectandi tantum causâ eum adfuisse, cum non credibile esset, Regem navi tam insidæ unicum suum filium commissurum fuisse, qui totam navigationem ad *Jasonis* ceterorumque vedlorum interitum comparasset, subjicit: *Venerat autem ille ad Argæam navim, ut una cum heroibus in Phasim inhospitalem navigaret.* Ad extremum quis rationem *Viri Cl.* probet, cum ἐλάσσει in πελάσσει transformat? Ἐλάσειν & ἐλάσειν
de

de navigatione sapius dicitur & longe elegantius τῷ παλάζειν. *Aristophanes* ἰππ. 1179 ἴνα ταῖς ναῦς ἐλαύνωμεν καλῶς. Et simpliciter pro navigare *Homerus* Od. μ.: μάλα σφοδρῶς ἐλαίαν. Phasis autem pro terra Colchica, solenni Poetarum more, fluvios pro regionibus, in quibus fluunt, ponendi, dicitur. Quibus rebus omnibus induci, Virum doctum, existimamus, eam nobis libertatem concessurum esse, ut emendationem ejus ab *Orphæo* prohibendam esse judicemus. Sensus autem totius loci esse videtur: *Tunc vero Pheris venit Acastus, Regis Pelia filius unicus & bares. Venerat autem ille propterea ad navem Argoam, ut una cum heroibus in Phasim inhospitalem inuberetur.*

Fig. 29. Sed ad alia pergimus. Explicat Cl. Editor, quæ vis & potestas fuerit verbo προσήλυτος subiecta. Verba *Ammonii* sunt: Ἐξελύθηρος ὁ διὰ τὰ χεῖρα γινόμενος προσήλυτος. In vocis προσήλυτος sensu exponendo, cum multa a summis viris, *Sakiasio* & *Heraldo*, antea disputata essent, ea autem non satis certe firmiterque stare viderentur; rationem habuit Vir Cl., quomodo melius posset accuratiusque cum vocis ἐξελύθηρος, tum προσήλυτος, vis definiri. Atque ita quidem disputat: Qui Athenis solvendo non essent, lege, postea ad Romanos translata, a creditoribus domum duci, ἀγώγῃμοι γίνεσθαι, & servilibus negotiis administrandis adhiberi, solebant. Qui homines quoniam capite deminuti inquilinorum in statum deveniebant, dominorum acerbiorum, aliorumque hominum, libidini & ludibrio opportuni, miserrima erant & contemptissima conditione. Hæc autem indicare videntur verba *Ammonii*: Ἐξελύθηρος ὁ γινόμενος διὰ τὰ χεῖρα προσήλυτος, qui ob es alienum, civitatis jure privatus, inquilinus factus est. Hæc autem significatio vocis προσήλυτος recentioris ævi est, quo προσήλυτοι, ἐπήλυτοι, συνήλυτοι, dicebantur, quos veteres ἐπήλυτοι & συνήλυτοι, advenas, conuenas, appellabant. Ἐπήλυτοι sunt μέτοικοι oppositæ ad indígenas. Ad hunc usum opportunus est Scholiasta ad *Apollonii Rhodii Argon. I v. 834*: πλανήσθαι περὶ τὰς πόλεις ἀτημαλήτως καὶ θάπερ προσήλυτος. Ibidem: Ἐν αἰσῶσι ταῖς πολιτικαῖς κοινωνίαις, καὶ θάπερ μετοίκως διατρέχειν καὶ προσήλυτος. Μέτοικοι seu inquilini sunt,

sunt, qui, relicta urbe patria, Athenis habitant. Antiquo tempore μεταναστάς dicebantur, ut patet ex *Homeri Il. I v. 442*, ubi μετανάστην vetus Interpres MScus expressit per μέτοικον. Hi Athenis, auctore *Euvarbio*, τὸ μηδὲν σχεδὸν ἦσαν, a Comicis frequenter derisi. Πολλὰ κὴ συνεγράτεον τοῖς Ἀθηναίοις, ut refert *Ammonius*. Μετοίκιον debebant τῶνάσι singuli quotannis δραχμαῖς δίκας. Ab hoc immunes dicebantur ἰσοτελεῖς. Nam, si qui ex iis virtute exstarent meritisque præstantes, tributis & sordidis muneribus liberati, iisdem pæne, quibus Athenienses ipsi, honoribus & privilegiis utebantur, ac propterea vocabantur ἰσοτελεῖς. *Hesychius*: ἰσοτελεῖς ὁ ἐξελύθεις κὴ μετέχων τῶν νόμων, μετοίκιον δὲ ἔφερον. Dicebantur & ἀσόξενοι. Ex his speciminibus colligi potest sine dubio, quantum pretium huic *Ammonii* editioni statuendum sit, quanta Viri Clarissimi in Græcis literis sit eruditio, quam in eo præcipue ostendit, cum demonstravit, qua in re vere, ubi falso, judicaverit *Ammonius*, quæ dictio Græca probatis scriptoribus usitata, quæ differentia usû confirmata, consistat. Vid. Διαβήτες, Επιβήτες. Εσχάραι, Ἀρπάγη. Ἀλοῖαν & Ἀλοῖαν. Ευφυῖς. Ολίγη & Μικρόν. Et summum scilicet hoc ejus consilium fuit, ut in Animadversionibus bonitatem locutionum & vocum Græcarum demonstraret & refutaret; quod *Grævius*, Vir summus, in illustrando *Luciani Pseudosophista* propositum sibi habuit.

ADRIANI A CATTENBURCH, S. S. THEOLOGIE inter Remonstrantes Professoris, Syntagma sapientie Mosaicæ, in quo multa ex prioribus Moysi Libris eruuntur contra Atheos, Deistas, & Libertinos, variæque illustrantur de antiquitate multarum artium & scientiarum.

Amstelædami, ex officina Martini Schagen, 1737, 4.

Alph. a.

Britannorum, interque eos præ ceteris *Roberti Boyle*, meritis, quibus veritatem doctrinæ Christianæ confirmare studuerunt, sacra amulatione *Cattenburchium*, in orbe literario dudum clarissimi.

D d d

clarissimum, inflammantur. Subiit animum ea cogitatio, fieri non possit, ut ad capita religionis confirmanda ex monumentis, a *Mose* literis consignatis, depromi argumenta possent. Nec Virum doctissimum concepta spes fefellit. Ut autem antiquitatem scriptorum *Mosaicorum*, integritatemque eorundem, evinceret, fuerunt varia immiscenda, quæ primo intuitu aliena, atque ab instituti ratione disjuncta, possent videri. In ipsis inprimis enarrationibus, & filo historiae Reipublicæ, digna Autore afferuntur, veritasque adstruitur factorum, quæ *Moses* exposuit. Ita nempe disputat Vir Clarissimus: Cum nemo non *Mosen* teneatur agnoscere solertissimum virum, quidni credendum sit, ab ipso literis potuisse consignari res gestas, de quarum fide ipsa plebecula poterat judicare? Legatur modo in posterioribus *Capitibus Geneseos* historia *Josephi*; tota *Aegyptus Mosen*, si fuisset ficta, potuisset falsitatis redarguere, uti & omnes gentes victæ, si non vera fuissent, quæ tradit de strage *Pharaonis* cum exercitu, & incolumi Israelitarum transitu per mare rubrum. Sed, quæ, positæ in adverso litore castris, mox evenerunt, & ab ipso describuntur, quanto robore militant ad comprobandum, *Mosen* a summo Numine afflatum, inque operibus suis fuisse gubernatum! Divinitatem scriptorum *Mosis Cattenburghius* porro exinde probandam putat, quod tam artificiosè admirabilisque tabernaculi descriptio in iis contineatur. Iis enim neque temporibus, neque subsequenter, tam exquisiti ingenii opus esse constructum, declarat; hinc historiam artium, speciatim Architecturæ, repetit altius. Animum sane ad hæc advertenti, nostra quidem sententia, aliquid probabilitatis occurrit; certi autem quid cum *Cattenburghio* statuere, eamque ob causam divinitatem adscribere *Mosis* scriptis, haud licet. Probe vero observat, in *Geneseos* libro variarum artium & scientiarum existare vestigia, de quibus nulla apud veteres injicitur mentio. Suffecerit monere, ut vel ad vestimentum, quo *Jacobus Josephum* ornavit, lector respiciat; quam varia occurrunt ad illud conficiendum necessaria! *Vox versicolor* determinat artem omnem tinctoriam. Si opere *Phrygionio* fuerit vestimentum adornatum, quam exquisitam oportuit fuisse ejus materiam, & quanta arte elaboratam! Ne dicamus de arte plumaria,

plumaria, de filis ex auro argentove conficiendis, metallis effundendis, formandisque rebus stupendis, v. c. Cherubinis, de quibus in *Exodo* curate omnia tradita sunt. Nec pratermisit illustranda *Cattenburghius* Reipublicæ instituta, legesque, tam morales, quam ceremoniales. Nec sicco transit pede vaticinia, a *Mose* prolata, divini afflatus vera testimonia. Ut autem sigillatim hujus libri argumenta præcipua ordine aperiamus, quid boni secum ferant Capita ejusdem singula, dicemus. *Libri I Caput I* agit de *Mose*, ejusque eximiis dotibus; *Caput II* de literarum inventionione; *Caput III* de variis mediis memoriam rerum conservandi; *Caput IV* de antiquitate *Mosaicorum* scriptorum; *Caput V* de certitudine scientiæ *Mosis*, ejusque fidelitate; *Caput VI* asserit, *Mosen* esse autorem *Pentateuchi*. *Caput VII* de modo revelationis *Mosi* factæ, de somniis, visionibus, vaticiniis, oraculis, divinationibus, item de *Urim & Thummim*, agit. *Libri II Caput I* de scientia *Mosis* Chronologica & Genealogica inscriptum est; *Caput II* de scientia *Mosis* Geographica, & itineribus Patriarcharum; *Caput III* de philosophica *Mosis* scientia, item Astronomica; *Caput IV* de *Mosis* scientia theologica, juridica, politica, medica, poetica; *Caput V* de *Mosis* architectonice, exponit. *Libri III*, rebus sacris dicati, *Caput I* agit de sacrificiis; *Caput II* de altaribus, titulis, seu monumentis, & lucis; *Caput III* de purificationibus; *Caput IV* de foederibus; *Caput V* de juramentis & votis; *Caput VI* de decimis; *Caput VII* de circumcissione; *Caput VIII* de Theraphim. *Libri IV*, de rebus publicis civilibus agentis, *Caput I* est de imperio, ejusque partibus, vel officiis, de origine civitatis, aliisque rebus, huc spectantibus; *Caput II* de judiciis & suppliciis; *Caput III* de muneribus aulicis; *Caput IV* de armis militaribus, deque castrametatione. *Libri V*, res civiles continentis, *Caput I* de matrimonio agit, ejusque ritibus; *Caput II* de conviviis, rebusque ad apparatus victus spectantibus, deque hospitalitate; *Caput III* de servis; *Caput IV* de mercatura; *Caput V* de metallis, eorumque usu, re nummaria, annulis, armillis, sigillis, &c.; *Caput VI* de artibus fabricorum auri, argenti, & æris, variisque operibus, factis ex metallis, de Cherubinis, &c.; *Caput VII* de gemmis in ephodo & pectorali, & arte sculpendi in iis, item de tabulis Decalogi; *Caput VIII* de vestimen-

tis, quorum fit mentio in *Libro I Mosis*, de variis artibus in adornando illorum apparatu, speciatim de arte tinctoria, de re vestitaria, aliisque artibus, in *Libri II Mosis Cap. IX* commemoratis, de luctu, ejusque signis, de sepulchris, ritibusque sepeliendi. Officiū exigit ratio, ut penitius dispiciamus de una alteraque ex dictis materia. Contemplaturi sumus *Libri III Caput VIII*, ubi de Theraphim sermo est Auctori nostro. Statim in limine de vocis Theraphim significatione agitur, excitantur eruditorum derivandi eam rationes, *Pfeifferi in Dubiis vexatis*, *Clerici*, *Paraphrastæ ad Genes. XXXI, 19*, *Antonii van Dalen, de Dieu*, aliorum. Noster, quæ conjectura præ ceteris eligenda sit, nec ne, disquirens, §. 2 de forma Theraphim ancipitem instituit disputationem, hoc dixisse contentus, omnia esse de ea incerta. Num ita exiguæ fuerint imagunculæ, sicut Urim, quod contendit *Spencerus* ad exemplar Theraphim factum fuisse, id Noster admodum ait esse dubium; uti nec firma fide amplectendum, quod multi tradunt, illas retulisse humanam speciem, vel hominis faciem. Hæsitat autem *Cursenburghius*, nihilque addit, quam expositionem sententiarum diversorum interpretum. Rejicit tamen *Spenceri* hypothesein, nempe similitudinem inter Urim & Theraphim, & vetustissimum eorum usum apud Ægyptios, quem passim ille tradit ut indubitatum, nullo collectum hunc esse argumento solido, pronuntians. Theraphim vero non fuisse Ægyptiacæ, sed Chaldaicæ, aut Syriacæ potius, originis, nobis persuadet historia, quæ *Genes. XXXI* commemoratur, & primam eorum videtur facere mentionem *vers. 19, 30, 32, 34, 35*. Syros Theraphim máximo in pretio & honore habuisse, illo loco *Laban*, qui vocatur Syrus, docet sua querela de eorum ablatione, servida per investigatione facti, & præcipue quod eos *vers. 30* nomine suorum Deorum *Elobim* insignire dignetur, hic & profundam reverentiam testetur erga Deum *Abrahami*. Accedimus ad §. 4, ubi de usu & natura Theraphim agitur. *Ludovicus de Dieu* ad *Gen. XXXI, 19*, Deos penates Theraphim fuisse, judicat, qui ad tuendam amplificandamque rem domesticam colerentur. Has imagines ad certum stellarum positum fuisse confe-

ctas,

Gas, & cœlestia iis inscripta signa, idque superstitionis genus Syris pariter atque Amonit̄is solemne fuisse, tam Scriptores a *Cattenburchio* citati, quam *Michaelis* in Notis ad *Gassarellum* de Curiositatibus inauditis, produnt. Varias quoque altiorum figurarum excultas imagines fuisse fatidicas, communi eruditorum calculo est approbatum, quamvis hoc de Theraphim sollicitetur. Sane in divinationibus de rebus ambiguis usum Theraphim ipso *Ezechielis* tempore substituisse, comprobatur abunde Regis Babyloniorum exemplum *Ezech. XXI, 21*. Conf. *Zachar. X, 2*. Noster §. 5 rejicit opinionem, qua, tradita fuisse responsa tam a bonis, quam malis, spiritibus per Theraphim, affirmatur. Ad fidem conciliandam sententiæ *Spencerus* & reliqui, contra quos insurgit *Cattenburchius*, perhibent, Deum interdum per Theraphim oracula reddidisse, nitentes *Judic. XVIII, 4, 5*, & *Hof. III, 4*: Quia dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod & sine Theraphim. Sed respondet *Cattenburchius*: Quomodo illorum defectum potuisset Propheta comminari inter futura mala, cum *Cap. VII* differens de oraculi hujus duratione & defectu, fusc doceat, oraculum Urim, quod vult ab *Hosea* voce Theraphim indicari, sub ultima *Davidis*, aut prima *Salomonis*, tempora siluisse? Reproba quidem significatione *Hoseam* voce non usum fuisse, haud difficulter concedi videtur, nec cœlum cum gehenna commiscuisse, sed recte cum vulgato interprete transferri *manifestationes*, aut cum *Aquila Quirismæus* sensu medio, auguror. Restat, ut expediamus eorum mentem, qui, omnia, quæ de imagunculis hisce ut fatidicis traduntur, fictitia aut plane esse, aut saltem longe diverso sensu esse accipienda, arbitrantur. In medium profert *Cattenburchius Joannis Cocceji* verba in Lexico Ebraico ad *Ezech. XXI, 21*, & *Zach. X, 2*, differentis ita: *Non puto, ut imagines responderent, sed sacerdotes imaginum, aut aliis signis innoresceret, quod rogabatur.* Rabbi *Levi ben Gesson* opinatur, eas, quamvis fuerint imagines, tamen non fuisse locatas; qua in re cum *Kimchi* & *Rambam* (seu *Maimonide*) ipsi plane convenit, quatenus ille, in sola imaginatione superstitionum idololatrarum constitisse,

ponit, atque addit, non posse fieri sermonem seu loquelam humanam nisi per organa, quæ Deus ad id in natura creavit. Et quomodo responsa adscribatur, & a spiritibus infusa dicuntur simulacra, cum tot turbis a *Labane* datis pisce permanferint mutiora. Noster denique huic disquisitioni finem imponit verbis *Antonii van Dalen*, quæ exstant in Dissertatione *de Divinationibus idololatricis sub Vet. Test.*, & ita sese habent: *Dico, ex omnibus, de Theraphim a me jam adductis, nihil aliud posse concludi, quam quod fuerint instrumenta quadam divinatoria, quibus ethnici vel idololatra orientales, ut futura quasi divinitus cognoscerent, abutebantur.* Ceterum in omni hoc Opere observamus, *Cattenburghium* semper fere iudicium suspendere suam, & aliorum unice conquissivisse sententias, minime vero, prout debebat, veritati convenientia a falsis discernere.

JOANNIS GUILIELMI MARCKARTI PROBabilia receptarum Lectionum Juris Civilis.

Trajecti ad Rhenum, apud Matthæum Visch, 1737, 8.

Plag. 12 $\frac{1}{2}$.

Ex quo Pandectæ Juris A. 1535 sunt repertæ, & alii Juris codices describi cœperunt, dici non potest, quantæ in Jus Romanum irreperint depravationes, quot menda traxerint originem. Inde innumere ortæ sunt lectiones, sibi invicem contrariæ, aut minimum diversæ. Et, quanquam nemo non operam daret, ut haberet codicem emendatum, atque idcirco vel ex ingenio, vel ex exemplaribus aliorum, corrigeret leges, attamen rudis literarum humaniorum ignorantia fæt grandem sordium molem reliquit, ab illis everrendam, qui, illucescente sereniori eruditione, acutius cernebant. Interim, quæ in scriptis Codicibus latebant menda, tantum imponebant possessoribus, vel paucis, quibuscum vel evolventi, vel describendi, gratia communicabantur. Tum magnum veritatis argumentum erat, plures habere codices, in unam lectionem consentientes. Post typographiam inventam depravatæ lectiones indices magis apparebant, simulque clarissimorum

morum hominum ingenia ad purgandum Themidos stabulum excitabant. Hic *Ang. Politiani, Andrea Alciati, Jac. Cujacii, & Guil. Budæi*, inclaruerunt nomina, quorum tamen industriam *Haloander*, audacior subinde medicus, superavit, cui ob editionem Corporis Juris Noricam, eamque castigatissimam, æternæ debentur gratiæ. Vestigia *Haloandriana* pressit *Latus Taurellius*, qui, cum integrum decennium collationi Pandectes Florentinæ consecrasset, splendidam ejus editionem A. 1553 publici juris fecit, simulque plurium correctorum monstravit audaciam. Ast inter hos non pauci agre tulerunt, excogitatas a se subtiliter emendationes in conjecturis censerent ac divinationibus, ideoque contra codicis *Thuscæ* auctoritatem insurrexerunt. Hinc sæpe vindicibus lectionis receptæ fuit opus, quorum partes in se receperunt *Edm. Merrillius, Jo. Robertus, Rad. Fornerius, Just. Riccius, Franc. Duarenus, Jo. Steekius, Adr. Putzeus, Gordonius, Suerinius*, alique quamplurimi; in quem censum ii etiam veniunt, qui regulas emendandi tradidere, *Alb. Gentilis, Jo. Clericus, Corn. a Bynckersbœck*. Jam novus in scenam prodit vindex, *Jo. Guil. Marckartus*, Vir & felici ingenio & judicio acri instructus, qui, ceu Dedicatio docet, per integrum septennium *Jo. Ludovico & Leopoldo Casimiro*, Comitibus *de Rechteren*, non sine laude præfuit. Indicem libello dedit *Probabilia receptarum lectionum*, eaque inscriptione curiosum lectorem fecit, quæ lectio *receptæ*, seu, quod idem est, *vulgatæ*, veniat elogio. Non eandem in omnibus Juris voluminibus servat regulam. In *Digestis* ea lectio, quam *Thuscus* probavit liber, recepta habetur; in *Institutionibus, Codice, & Novellis*, editio *Dionysii Gothofredi* normam dedit. Horum lectiones codicum partim defendit, partim excusavit, Vir Clarissimus, isque labor quo succederet felicius, compilatores *Haloandrum & Taurellium* in consilium advocavit. *Probabilium* voce usus est, non tam ut assuetaret modestiam, quam quod re vera emendationes quasdam adeo probabiles & tantum non certas deprehendit, ut receptam lectionem non nisi probabiliter posset defendere. Equidem, si acutiores artis differendi magistri sederent iudices, dubitamus, an hanc tituli apologiam, ab ipso Auctore

tore subtiliter excogitatum, omni ex parte sint probaturi. Illi enim, cum gradus probabilitatis hermenevticæ metiantur, nullam ideo lectionem recipiunt, quod recepta est, nisi simul majorem, quam emendatio, veri habeat speciem. Quantos in erudenda probabilitate progressus fecerit *Jo. Guil. Marckartus*, ex triga speciminum patebit, quam in medium sumus allaturi.

- Pag. 84. In l. 1 §. 3 π. de Postulando legitur: *Initium autem fecit Praetor ab his, qui in totum prohibentur postulare, in quo edicto aut pueritiam, aut casum, excusavit. Cujusvis tanta hic latere visa est barbaries, ut substitueret excuriavit, quam emendationem suam fecerunt, præter Marqu. Freherum, alii Jctorum quamplurimi. Petro Fabro exceptis legere, visum est consentaneum. Cl. Marckartus neutrum probat, sed cum Noodtio, Heineccio, & Bynckershawckio, vulgatam tuetur lectionem. Solenne Jctis Quiritium excusandi verbum est, cum ipsam legis prohibitionem aut impossibilitatem moralem indicare conantur. Latet hic ἐπισημοσύνη quidam, quam & Græci Basilicorum conditores confido novo verbo ἐξουσιάζειν exprimere voluerunt.*
113. In l. 40 §. 1 π. de Edil. edicto reperitur: *Deinde ajunt Aediles, ne quis canem, verrem, vel minorem aprum, &c.* Hanc apri minoris mentionem contra Πανδέκτης Taurulliana & Haloandrina fidem una litura delendam *Jo. Strauchius, Charondam & Cujacium* securus, censuit. Summa concludendi vis in eo latet, quod & *Theophilus σύσσυγον* solum, & *Basilici* nil nisi κάρπον, commemorent. At enim vero *Cl. Marckartus* argumentationem, ex eo, quod aliqua vox in *Basilicis* non exstet, petitam, fallacem & utrovis pede claudam pronuntiat. Quid, inquit, si *Basilici* tantum animal noxium βλαπτικὸν ζῷον memorassent, brevitatis causa nulla expressa animalium noxiorum specie, quod ipsis certe liberum erat, an ideo omnia illa reliqua, in Edicto ædilitio memorata, animalia forent delenda? Græcis videbatur sufficere, si fieret unius alteriusve noxii animalis mentio. Aliter existimarunt Aediles, qui duo vocabula cumularunt, quorum alterum explicat, vel certe clariorem facit, Aedilium intentionem. Prohibentes enim, ne liceat, qua vulgo iter sit, habere verrem vel minorem aprum, eo elidunt ipso prætextum omnem

omnem id genus animalia habendi. Nam, prohibito verre, non videbatur aper minor prohibitus, at, minori apro prohibito, multo magis & prionore consecutione prohibitus esse censei poterat aper major, dentibusque valide armatus. Nostrum non est, litem hanc nostram facere, in qua quidem ita versari nobis videtur Autor Clarissimus, ut & in regulas, a se prefante propositas, aliquantum impingat, & rationibus non omni ex parte satis firmis utatur. In *l. 6 π. de furtis* Thuscus Pag. 129
Πανδέκτης codex legit: *Quamvis enim sepe furtum contrectando* scq.
fiat, tamen initio, id est, faciendo furti tempore, constitucere
visum est, manifestus, nec ne, fur esset. Petrus Pithaus, JCtus
 nulli secundus, acutissimaque virtute judicandi instructus, vocem *sepe* ex lege *Pauli* proseribendam, substituendamque vocem *semper*, arbitratur certissimum. Cl. *Marckartus* vero, *Antonii Fabri* subscribens sententiae, neutiquam hic negare *Paulum*, JCtum, credit, quod furtum non semper contrectando fiat, sed id indicare vult potius, quod furtum separatam habeat ab illis delictis rationem, assidua quippe furtivae rei contrectatione efficiente, ut in singula momenta fur non moram solum, sed furtum etiam, facere intelligatur. Confirmat hanc explanationem legis *Paulinae* scopus, qui ad tempus spectat, unde, fur manifestus sit, nec ne, queat dijudicari. Desinivit autem, ad tempus solum furti faciendi esse respiciendum, quamvis fur, rem furto ablatam contrectando, iterare saepius delictum videatur. Ponderus addit *Basilicorum Lib. LX Tit. 12* autoritas: *εἰ καὶ τὰ μάλιστα γὰρ ΠΟΛΛΑΚΙΣ ἀπὸ τῆς ψηλαφήσεως ἀμαρτάνεται κλοπή, ὅμως ἀπὸ τῆ προομιᾶ ὁ φανερός κλέπτης νομιζέται.* Sipienti *Aclorum* nostrorum lectori, haec speciminis, vel, si mavis, promulsidis, loco degustasse, sufficiet. Facile enim intelliget, tantam esse Cl. *Marckarti* dexteritatem, ut, si eadem, qua cepit, via pergat de cultiori Romani Juris prudentia, & erudita legum antiquarum interpretatione, bene mereri, dignus aliquando sit futurus, quem & plausu & honore boni omnes justissimo prosequantur.

WYERI GUILIELMI MUYS INVESTIGATIO

E c c

fabricae,

*fabrice, que in partibus, musculos componentibus, ex-
stat. Dissertatio prima, de carnis musculoſe, fibra-
rumque carnearum, ſtructura, quatenus ſine vaſis ſan-
guiferis, nervis, nervorumque villis atque mem-
branis, ſpectantur.*

Lugduni Batavorum, apud Jo. Arnold Langerak, 1741, 4 maj.

Alph. 3 plag. 3, Tabb. æn. 3.

Quanta affiduitate & laboris patientia, quanta circumſpectio-
ne, & mentis acie, quam felici etiam ſucceſſu, Cel.
Auctor in obſcuro hoc & perdifficili ſubtilioris Anatomæ ca-
pite explicando verſatus fuerit, ipſe Operis docti & exaſciati,
omnesque boni libri dotes complexi, conſpectus ſatis declarat.
Ad quod enarrandum antequam procedamus, non prætereun-
da nobis videtur Præſatio bene longa, undeviginti quippe pla-
gulis conſtans, ſed docta, acuta, bonæque frugis plena, & ad
præſtantiffimas gravioris momenti doctrinas majori luce illu-
ſtrandas comparata, ſtilo denique terſo, eleganti, ac florido,
conſcripta. In qua Auctor, poſt brevem de actionum animalium
naturaliumque ratione ſermonem, ad generationis opus con-
verſus, præcipue contendit, omnes plantas, animalia, & ho-
mines, ex ſuis ſtaminibus, jam initio mundi conditi a Deo
formati, & ſuo generi inſiti, evolvi, atque in lucem e-
duci, non vero a naturis demum ſectricibus, ſive plasticis,
quas nonnulli commiſcuntur, elaborari, ſimulque objectio-
nes, quod ſcilicet tot innumerabilia plantarum, animantium, ho-
minumque, ſtamina pereant, antequam evolvantur, & ad id,
quod pro ſua natura poterant, educantur, aut formata etiam
præmature, ut dici vulgo ſolet, exſtinguantur, aliisve mo-
dis tollantur e medio; item quod generationum naturalium len-
tudo vanæ habeat pompæ ſpeciem, & quod tot noxæ homi-
num animaliumque ſectibus, antequam in lucem edantur, e-
venire ſoleant, copioſe ſolideque refellit. Qua data occaſio-
ne, & cum ita demonſtrationis nexus poſtularet, ad varias ſi-
mil quaſtiones, inprimis & ſpinofam illam atque difficilem de
origine

origine & permissione mali, tam physici, quam moralis, digreditur, easdemque eum in modum definit, ut ubique vestigia Philosophiæ Leibnitiana atque Wolfiana nobis reperisse videamur. Quamobrem, Deum, demonstrat, hunc mundum in sui omnino nominis gloriam condidisse, illumque tot staminum interitum sapientissimis permisisse ex causis; ac proinde injustas esse querelas, ex eo, quod rerum naturalium alix alias destruant & corrumpant, petitas, neque ea re quidquam imperfecti in præsentis rerum ordine argui, sed duplici potissimum sine illam fieri, ut 1) scilicet confusio in nostro terrarum orbe, ex nimia hominum, animantium, plantarumque, progenie certo eventura, averteretur, & 2) castigarentur homines, hincque vitii occurrere, atque idoneam corruptis suis animis medicinam adhibere, instituerent. Occasione postremæ objectionis multa simul de vi imaginationis maternæ in embryonem copiosissime disputantur. Et, quoniam malum physicum sæpius ex malo morali oritur, atque illius adeo origo sine hujus cognitione perspicere nequit, Cel. Autor de hujus etiam moralis mali origine & permissione disquirat, & mundum hunc, quantum hoc malum continet, perfectissimum esse, ostendit, quod ex ista, quæ nunc existit, mali moralis scena bonum aliquod permagni momenti atque ponderis prodeat, & inde perfectionis cumulus haudquaquam exiguus huic, in quo comparet, mundo accedat, nullaque ratione pateat, hoc malum, quale, illud, quocumque connexum & colligatum est, bonum superare. Bonum vero istud consistere in eo dicitur, quod 1), oborto malo morali, major in orbem introducta fuerit varietas, a qua major huic orbi perfectio & ornamentum accedat; 2) quod alias nullæ Injusti pravique, miseriæ, peccatorumque, perobscuræ etiam bonitatis virtutisque, notiones, hinc & languidior Dei cultus, nec ullæ harum rerum idæ in geniis cælestibus fuissent futuræ, quarum hi notitiam nunc, nostrum intuendo statum, sibi comparant; 3) quod hoc mali genus incredibilem actionum humanarum casuumque & eventuum illustrissimorum varietatem pariat, simulque Dei & hominum virtutibus ac perfectionibus manifestandis, atque e tenebris in lu-

oem protrahendis, admirabili prorsus ratione inserviat. Reversus ad naturas generatrices, hunc quidem generationis modum minus, quam illum, quem superius ipse eclisseruit, cum summi opificis sapientia, & cum perfectione rerum, ab eo conditarum, convenire, imo cum utraque aperte satis pugnare, asseverat. Belle etiam ex isto staminum ordine sibi primus deducere videtur, tum humano generi, tum unicuique animalium plantarumque speciei, & fuisse initium, & definitum quoque adfuturum esse finem. Docte hæc omnia, quæ hic breviter attigimus, accurateque, nec barbaro quodam ac scabro dicendi genere, sed profluente ac nitido, disputat, ut non omnino nullam lucem perobscuris his argumentis attulisse nobis videatur. Verum nos, missis his, tandem ad Opus ipsam aggrediamur. Perfectum id jam pridem a Cel. Autore fuit. Cum enim is juvenili jam ætate animadvertisset, illa, quæ de villis musculorum carnis ab Anatomis doctoribus traduntur, manca admodum esse atque mutila, ipsemet in iis, quæ ad anatomiam & œconomiam animale pertinent, explorandis curiosus, ad horum quoque villorum fabricam experimentis & observationibus, præcipue microscopiorum ope indagandis, accessit, haud alio tamen consilio, quam ut ipse sibi satisfaceret, atque ardenti illi studio obsequeretur, quo ad omnia propriis contuenda oculis & perlustranda concitabatur. Postquam autem hic gradatim alia atque alia observavit, de quibus antea haud quidquam inaudiverat, memoriæ causa res observatas scriptis mandare, sæpe etiam iconibus pro sua pingendi dexteritate exprimere, instituit, quo scilicet deinceps, dato otio, nonnunquam ad easdem explorandas reverteretur. Hinc plurium annorum decursu observationes in ingentem excreverunt molem, quas tandem redegit in ordinem, & in certa capita digessit; quo factò, exorsus est ea, quæ de rebus singulis notaverat, inter se conferre, & quid inde de ipsarum fabrica constare, quid ulteriori observandi opera indigere, videretur, discernere, omniaque novis denuo observationibus quam accuratissime examinare, & si quid adhuc obscurum in iis videretur, ad id omni, quæ poterat, ope conniti. Ita gradatim auctum magisque elab-

raturum

ratum fuit hoc Opus. Tum vero, quas iisdem de rebus alii, præsertim ii, qui microscopiis ad eas investigandas accesserant, ediderant, observationes omni attentione evolvere, & cum suis comparare, cœpit; qua ab re antea confulto abstinuerat, ne forte sibi præjudicata opinio alicubi illuderet, atque in vera vilorum istorum fabrica retagenda obesset. Ubi vero, aliorum observationes a suis dissentire, comperit, utrasque perinde suspensas habuit, donec, quid de re controversâ statuendum esset, observationibus iteratis ac minime dubiis didicisset. Cum autem hoc tandem Opus luce non indignum videretur, ad illud in publicos usus edendum animum adjecit. Itaque *Pars prima*, quæ nunc prodit, A. 1717 typis *Francisci Hatma* exprimi cœpta, atque in æs incisâ fuerunt Tabulæ. Deinde vero accidit, ut idem ille sculptor, quam ære exprimeret Tabulam, *Pars secunda* dicatam, in tertium usque annum suppresserit, atque adeo istius hominis incuria hanc Autor omnino deperditam putarit; cui accuratissime pingendæ cum maximam navasset operam, hujus amissæ tædio ab his scriptis edendis animum avertit, præsertim cum ipse interea *Hatma*, ejusque filii, eidem muneri successuri, ex numero vivorum eriperentur. Ita interrupta fuit Operis editio, cum hæc ejus *Pars* jam usque ad *paginam 120* typis descripta, brevique absolvenda, videretur. Impressæ postea chartæ, una cum ea, quam diximus, Tabula, quæ tunc præter spem sero recuperata fuit, in alias atque alias typographorum manus transferunt, qui Autorem, studiis sum aliis implicitum, ad hoc Opus persequendum frustra pernoverere tentarunt, donec ille, cujus nunc sumtibus in lucem exit, tandem aliquando ipsum perpulit, ut ad hunc laborem vergente jam ætate reverteretur. Interea, cum anniversariis lectionibus œconomiam animaleni explicarit Autor, atque, ubi de musculorum, fibrarumque motricium, fabrica agendum esset, conclusiones ex suis observationibus ducendas summatim exposuerit, inde jam dudum evenit, ut ea, quæ nonnulli ex discipulis his de rebus annotaverant, in alias deinde manus pervenerint, fuerintque ita in diversis Eruditorum Diariis, & in *Philosophicis Anglorum Actis*, pervulgata. Maximo ipsi inter alia

adjumento fuerunt exquisitissima microscopia, quorum ad exacte carnes tum hominum, tum omnis generis animalium, vocavit, eorumque hinc etiam laudes in Præfatione a Clerici objecti- nibus vindicat, & necessarias circa illorum usum caute- las proponit. Quicquid observavit singulare, illud depinxit con- festim, & ex iconibus variis, inter se collatis, longe semper per- fectius structuram ejusmodi villorum cognovit. Quæ adhuc restant, ea alteri Volumini, quod priori hoc non erit spissius, reservantur. Hæc de factis libri non prætereunda silentio puta- vimus, sine mora nunc ad ipsum Opus Lectores nostros admis- suri. Agit igitur prima hæc *Dissertatio* de carnis musculosæ, fibrarumque carnearum, structura, quatenus sine vasis sangui- feris, nervis, nervosisque villis & membranis, spectantur. *Caput I* compositionem carnis ex fibris carneis, harumque diversos ordines, evolvit. In carne ex majoribus hominum quadrupe- dumque musculis tres distincti fibrarum carnearum ordines, crassitudine & compositione diversi, observantur. Fibras pri- mi ordinis, sive crassiores, eas vocat Autor, in quas universa musculi caro primo omnium distributa cernitur. Medias vero, sive mediocres, sive secundi ordinis, fibras tenuiores illas appel- lat, in quas singulæ iterum crassiores divisæ reperiuntur; fibras tenues, sive tertii ordinis, dicit fibras omnium illarum tenuis- simas, quas nudis oculis in carne distincte conspiciere licet, in quas videlicet singulæ fibræ mediæ ultimo dispersitæ videntur. Caro ex musculis exillioribus duos tantum harum fibrarum or- dines continet; ex minimis autem nullum ordinum discrimen in fibris sistit. Caro cordis ex lamellis, non autem ex fibris crassioribus, constat, quamvis hæc iterum lamellæ ex duplici or- dinis fibris componantur. Lingus caro singularem fibrarum situm obtinet, quarum aliæ in bove tres, aliæ duos fibrarum ordines, in ove vero pauciores, complectuntur. Carnes ven- triculi pariter atque vesicæ tunicæ tres fibrarum ordines insunt. Caro autem ex musculis avium in nonnullis tres, in aliis duos tantum, fibrarum ordines exhibet. Caro in carnosis avium ven- triculis ex tenuissimis coaluit lamellis, quæ fibrarum, ex qui- bus componuntur, duos iterum ordines continent. Piscium

CARO

caro ex laminis coaluit, quæ fibras perbreves continent, quarum tres in piscibus nonnullis ordines patent. Carnes tamen, piscium capiti vel pinnis admotæ, nullas ejusmodi laminas, sed similes ac in quadrupedibus fibras, illasque diversis nonnunquam ordinibus distinctas, obtinent. *Caput II* compositionem tenuissimæ fibræ carneæ ex carneis fibrillis, harumque diversos ordines, explicat. Anatomie hujus fibrillæ res magni momenti est, & sine microscopiis frustra tentatur. Ejusmodi fibrilla, quæ fibræ tenuissimam componit, si mediocris fuerit, ab illa fere fibra ducentes, a capillo autem subtiliori novies, superatur. Similis ultimæ fibræ carneæ ex similibus fibrillis compositio in ceteris etiam animalibus est, nec in externis tantum musculis, sed & in corde, lingua, ventriculo, vesica, &c. In quibusdam autem piscium carnibus fibrillæ crassiores, in aliis minus discriminatæ, in aliis supra dictis omnino similes, adsunt. In cordis etiam carne fibrillæ crassiores atque mediocres minus, tenuiores autem magis, discriminatæ, omnes vero carneis inter se ramulis magis connexæ, habentur. Pari etiam ratione in carne, ventriculorum vestiente, fibrillæ minus discriminatæ, eodemque modo, quo in carne, connexæ, comparent. In carneis vesicæ fibræ fibrillæ quidem satis discriminatæ, at tamen ita, ut in corde & ventriculo, inter se connexæ, observantur. In junioribus animalibus carneæ fibrillæ multo tenuiores, quam in adultis, adsunt. Tres hi fibrillarum carnearum ordines distincti, crassitudine differentes, in hominum, & cunctorum, quod quidem constat, animantium, carne animadvertuntur, nec tantum crassitudine, sed & compositione, inter se discrepant. *Caput III* de compositione tenuissimæ fibrillæ carneæ ex carneis filiis, horumque diversis ordinibus, exponit. Quanquam enim jam a musculi ventre per tot compositionum gradus ad ultimam fibrillam carneam perventum est; hæc tamen in carne demum filia resolvitur, quorum duo distincti ordines, crassitudine & compositione diversi, filorum scilicet crassiorum & tenuiorum, observantur. Crassiora fila diametrum plus duplo & sæpe triplo minorem obtinent, quam tenuissimæ, quas componunt, fibrillæ. Figura eorum passim cylindracea, nonnunquam etiam nodosa,

dosa, esse solet. Sed hæc ipsa crassiora fila ex tenuioribus adhuc componuntur. Tenuissimi ejusmodi fili diameter ad diametrum fibrillæ crassioris eam quam proxime rationem habet, quam 1 ad 18, & ad diametrum fibrillæ mediocris, quam 1 ad 10, &, quod subducto calculo conficitur, ejusmodi fili carni crassitudo ad eam ultimæ hujusmodi fibræ hanc circiter rationem habet, quam 1 ad 20000, hoc est, illa tantum $\frac{1}{20000}$ hujus crassitudinis æquat. Ex quo etiam intelligitur, in fibrilla mediocri centum ejusmodi fila, si nempe tam arcte compacta essent, ut nulla interstitia relinquerent, in ultima vero atque subtilissima carnea fibra viginti filorum millia, contineri posse. Quando eorundem quoque & globulorum sanguineorum diametri inter se comparantur, manifestum fit, si fila hæc canaliculi sive tubuli forent humori, ex arteriis influenti, pervii, id quod proxima Dissertatione noster exquirat, tantam eorundem fore angustiam, ut, rubro sanguinis globulo in 46 particulas æquales atque globosas diviso, hæc tamen præ nimia mole ad illos permeandos ineptæ forent, utpote quæ facile externam eorum diametrum æquarent, internam, quæ utrinque, deducta parietum, sive tunicarum, tubulos efficientium, crassitudine, superest, plurimum excederent. Igitur ex *Leeuwenhakkii* calculo, quo talem sanguinis globulum tantum $\frac{1}{1000000}$ arenulæ majoris æquare statuit, necessario sequeretur, istiusmodi arenula in 46000000 particulas globosas & æquales, hoc est, in quadringentias sexagies centena millia talium particularum, divisa, has ipsas tamen præ nimia mole cavos horum filorum tubulos nondum ingredi posse. Quæ sane admiranda est & prodigiosa talium filorum tenuitas, quæ a nostris tam sentiendi, quam imaginandi, facultatibus quam longissime distat. Figura horum filorum plerumque cylindracea est, interdum nodosa, situs vero subinde variat. *Caput IV* ea enarrat, quæ hæcenus Autores de compositione carnis ex fibris carnis, harumque diversis ordinibus, tradiderunt. Placuit enim Autori, suis observationibus aliorum inventa, & opiniones, quæ quidem hisce de rebus ipsi innotuerunt, subjungere, easque ab antiquissimis temporibus ad nostram usque ætatem repetere.

petere. Quæ quidem res, postea sapius dubitavit, an esset tanto molimine digna. Propter multiplicem vero usum tandem non ea solum inventa, quæ ad veram carniæ fabricam cognoscendam conducunt, sed commenta etiam atque opiniones, nullis observationibus atque experimentis innixas, recensere, animum induxit. Adjecit his annotationes historicas atque criticas, quibus & historia Scriptorum, præcipue veterum, illustratur, & inventa illorum ac sententiæ ad examen vocantur, quas tamen, nescimus, quibus ex causis, nunc dolet, cum hoc Opere a se conjunctas. Certe hoc & duo sequentia *Capita* exhibent præstantissimum Historiæ literariæ specialissimæ, ejusdemque criticæ, specimen, quo singularis hujus de musculorum fibris & filamentis doctrinæ historia tam accurate explicatur, ut de omnibus singularum scientiarum doctrinis ad perficiendam tum cujuslibet artis & disciplinæ, tum eruditionis universæ, historiam, talis, qualis hæc est, Commentatio, simili nempe doctrina & industria conscripta, exoptanda esset. Refert igitur, quid Scriptores veteres ante *Hippocratis* tempora, quid *Hippocrates* & alii ad *Celsi* ætatem, quid Scriptores inter *Celsum* atque *Galenum* interjecti, quid *Galenus* cum sectatoribus suis, quid ex recentioribus *Valverdus*, *Piccolhomineus*, horumque sectatores, quid *Leeuwenbakius*, quid *Mery*, de fibræ carneæ fabrica literarum monumentis consignarint, qui ex recentioribus Scriptoribus *Stenonem*, *Borellum*, & *Leeuwenbakius*, secuti fuerint, & quid *Bellini* tandem, hujusque sectator, *Santarini*, de ejusdem fibræ fabrica tradiderint. Judicium vero de Scriptoribus, qui, excusso *Galenii* jugo, in carnis musculosæ fabricam inquisiverunt, ita interponit suum, ut, *Valverdum*, putet, *Piccolhomineum*, & alios, in carne fibras mere carneas, sed nullo intus latitante filo tendinoso præditas, recte posuisse, *Stenonem* itidem, & præsertim *Borellum*, aliosque, qui hos secuti fuerunt, *Galenii* commentum de carne pro tomento seu parenchymate habenda maxime rejecisse, *Borellum* etiam fibras carneas ut fasciculos prismaticos non male descripsisse, at eos a vero aberrasse, qui fibras carneas sine microscopii adjumento oculis obvias, non ex subtilioribus fibrillis, sed

ex materia porosa & spongiosa, & in cellulas distincta, concretas, fixerunt, miraturque, neminem huc usque diversos fibrarum carnearum ordines in carne muskulosa cognovisse. Pari etiam ratione exponit, quid Autores de carne linguæ, ejusque fabrica & compositione ex fibris carneis, tradiderint, putatque, neminem adhuc a *Rufi Epbesii* ætate ad nostra usque tempora explicasse, quantum carnis hujus fabrica ab illa differat, quæ generatim & constanter in musculorum sic dictorum carne obtinet, licet ob nonnulla utriusque communia ad idem, ac illa, genus referri queat, & in communi aliquo usu & officio cum illa conveniat. In quo tamen casu Anatomes doctorem decet linguæ carnem pro specie ab illa musculorum differente habere, atque, ad confusionem in hac scientia vitandam, differentes ejusmodi carnis species diversis nominibus distinguere, non autem hæc uno eodemque nomine, nisi ad genus, eas complectens, denotandum adhibeatur, inter se confundere. Etsi enim carnes linguæ fibræ musculosæ sunt; nondum tamen, carnem linguæ musculum esse, constat, dum systema membraceum, fibras carneas connectens, magnopere differt. Hinc ad ea progreditur Noster, quæ Autores de illa carnis specie, quæ in corde aliisque partibus reperitur, ejusque fabrica & compositione ex fibris carneis, tradiderunt, nominatim *Hippocrates* & *Galenus*, ex quibus ille, cor esse musculum, affirmavit, hic vero pernegavit, & plerisque ad Seculum usque decimum septimum sequentes habuit scriptores, quamvis, omnem eam pugnam logomachiam fuisse, a Nostro ostendatur. Scena tamen hæc Seculo decimo septimo protus mutata fuit, dum primus *Piccolbomineus*, & præcipue *Herveus*, post hunc vero complures, omnium tamen maxime *Steno*, contra *Galenum* musculosam cordis substantiam propugnaverunt, & *Stenonem* gradatim plures alii, ac tandem, vergente superiori Seculo, uti etiam hoc nostro, fere universi, secuti fuerunt. Miratur Autor, post tot Secula Anatomes cultores in scrutanda cordis carne haud plus profecisse, & tandem hanc communi consensu pro muskulosa habuisse. Falsum enim est, eandem carnis & fibrarum motricium fabricam in corde & musculis adesse, ut quod per microscopia

eroscopia evincatur. Quid Autores de carnis specie, in ventriculo & vesica obvia, tradiderint, hic Noster non enarrat, id ipsum singulari olim, quod cupide expectamus, Opusculo persecuturus. Id tantum breviter indicat, eos parum in retegenda hujus carnis fabrica profecisse, suisque se observationibus primum ad hanc detegendam aditum parasse, atque insigne inter hanc musculosamque carnem & utriusque fabricam discrimen reperisse. Quamobrem, cum alia in musculis, alia in corde, ventriculo, & vesica, observetur caro, accuratioris doctrinæ causa Cæl. Autor duas has carnis species distinguendas putat, ita, ut altera musculosa, altera reticulata, appelletur, & utraque ad idem carnis motricis genus referatur. Eodem modo fibras carneas in duas species, scilicet in ramosas & musculosas, distinguit, atque ad idem fibrarum motricium genus refert. Porro carnem reticulatam in duas species inferiores dividit, quarum alteram lamellatam, alteram simpliciter fibratam, appellat. *Caput V* iis destinatur, quæ huc usque Autores de compositione fibræ carneæ ex carneis fibrillis, harumque diversis ordinibus, prodiderunt. Fibræ carneæ ex carneis fibrillis compositio ad Seculum usque XVII ignorata fuit. Primus omnium hanc rem nudis, ut videtur, oculis *Steno* attigit, *Borellus* autem microscopiis itidem primus, quantum constat, examinasse videtur, eandemque multo clariori in luce posuit. Deinde *Leeuwenhækius*, microscopiis longe melioribus usus, hoc inventum longe amplius promovit. Quas ille hæc de re sparsas & inordinatas observationes edidit, hic conjunctim ordine refert Noster, scholiisque suis ab ea, qua laborant, confusione expedire conatur. Post hunc virum pauci hoc opus aggressi, nec parem in eo fortunam experti fuerunt, ut *Antonius de Heide*, *Wilhelmus Corwperus*, *Georgius Baglivus*, qui quid boni præstiterint, candidè Noster refert, simul vero errores notat, in subtili ejusmodi fabrica indaganda ob operis difficultatem facile excusandos; unde quidem mirandum haud est, hos scriptores alia minus accurate, alia male, observasse, ac multa etiam valde notabilia præterisse. *Caput VI* de iis disquirat, quæ hæcenus Autores de compositione fibrillarum carnearum ex carneis filis, horumque

diversis ordinibus, scripta reliquerunt. Hæc quidem compositionis ratio usque ad *Hookii* & *Leeuwenbakhii* ætatem latuit. *Hookius* primus omnium hanc rem, sed in una duntaxat piscium crustatorum specie, reperit. *Leeuwenbakhius* autem in hoc invento ulterius excolendo longius processit. Nonnulla etiam *Antonius de Heide* de istis retulit. At enim vero omnes hi scriptores rerum notabilium partem longe maximam hic silentio prætermiserunt. Sex his *Capitibus* hoc Opus absolvere, deliberatum olim habuit Autor. Mutavit vero nunc consilium, postquam tria priora *Capita*, jam tum, cum ista primum editio ante duodeviginti annos cœpta fuit, typis exscripta, ab eo autem tempore neglecta, ex tanto nunc intervallo relegit, diversaque nonnullis in locis desiderari vidit, quæ ad hoc argumentum vel confirmandum, vel accuratius definiendum, vel magis illustrandum, latiusque promovendum, pertinerent. Quare Supplementi loco *Caput VII* adjecit, quo duplex systema de carnis compositione ex villis gradatim minoribus, alterum Autoris, alterum aliorum, observationibus innixum, breviter exponitur, atque inter se comparatur, operæ, ab ipsis in utrumque collatæ, ratio redditur, & observationes novæ, quæ ad Autoris systema de carne muskulosa, tum & quavis alia, accuratius definiendum, illustrandum, & promovendum, valent, memorantur. Quippe Autor noster illud de carnis muskulosæ compositione ex fibris, fibrillis, filisque carnis, systema, ex Autorum observationibus enatum, tum generatim illustravit, tum ad singulas ejus partes perficiendas multa contulit. Ac primam quidem partem a commentis dudum inveterato, atque etiam nunc vigente, repurgavit; alteram a commentis & erroribus liberavit itidem, partibus deficientibus auxit, novisque observationibus confirmavit & amplificavit. Tertiam non minus partem repurgavit ab erroribus, partibus deficientibus auxit, novis observationibus confirmavit, & quam maxime amplificavit. Hinc Autor suum de carnis muskulosæ compositione ex villis gradatim minoribus systema enarrat, & cum systemate priori confert. Neque minus etiam novis iconibus, sua manu exaratis, quarum præstantiam

tiam hic multis verbis edisserit, de hoc systemate illustrando bene meruit. Quæ autem de fibræ carnez divisione ulteriori in fibras gradatim exiliores ad fibrillas usque tradita fuerunt, novis nunc observationibus confirmat. Inprimis vero crassitudinem & figuram fibrarum tertii ordinis, hætenus haud satis definitam, variis nunc novis observationibus definire aggreditur, simili etiam ratione crassitudinem fibrillarum filorumque carneorum, ac diametrorum rationes, quas inter se invicem, & cum fibrillis carneis, habent, rationem item diametri fili carnei tenuissimi ad rubrum sanguinis globulum, accuratius, quam antea, determinare tentans; quæ omnia fusius nobis excerptere non licet, ne copiosior hæc recensio tædium tandem Lectori pariat. Posthæc disquirat, utrum tenuissima fila carnea hætenus visa sint ultima simplicia, an vero ex aliis etiam subtilioribus, & visum fugientibus, componantur. Probabile sic eidem, fila, huc usque visa, simplicia esse atque ultima. Primo enim nunquam observatione microscopiorum compertum fuit, fila hæc ad extremitates fissâ apparuisse; deinde constat, inter ultimas & minimas partes organicas, quæ microscopio patent, esse ultimos canaliculos sanguiferos, & ultimos medullæ cerebri & nervorum tubulos, ac forte subtilissima etiam fila, membranas contextentia, id quod postremum Autor tum observatione de fibris, membranam, quæ fibras tendinosas investit, contextentibus, tum observationibus duabus, altera *Leeuwenbakkii*, altera sua, de filis intimam arteriæ tunicam contextentibus, tum denique observationibus ejusdem *Leeuwenbakkii* de filis, unicam propaginum venosarum tunicam contextentibus, probabile reddere, quod scilicet fila hæc, membranas contextentia, inter ultima atque simplicia jure meritoque referantur, conatur. Ex quibus omnibus verisimili ratione concludit, ultima atque simplicia carniæ fila, haud secus ac alias minimas atque ultimas partes organicas, in corpore animali retegí posse, atque hinc, quæ per microscopium observavit, vere esse ultima. Denique cogitandum est, ultimis atque simplicibus carniæ fibris haud immodicam, sed perquam limitatam, in homine adulto subtilitatem esse tribuendam, siquidem crassitudinem longe excedere

dere debeant eam, quam eadem in embryone habuerunt, & jam tum, cum in tenuissimo hoc corpusculo cavis suis tubulatis nutritio primum succo perviæ fieri cœperunt. Nova hinc quæstio expenditur, quousque in diversis animantibus villi carnei, qui ejusdem sunt ordinis, crassitudine convenient, vel discrepent. Demonstrat itaque Noster, villos carneos ex diversis animantibus semper a se ad eum relatos fuisse ordinem, ad quem vere pertinent. Cum ergo ejusdem ordinis villi in diversis animantibus crassitudine fere pares existant; idem de villis ultimis, si forte hi nondum visi forent, credibile esset. Proinde digressionem quandam instituit de regulis generalibus ratione molis, qua partes minimæ in diversis animantibus existunt, & animadvertit, in multis eorum, etsi mole plus minus, vel etiam magnopere, differant, minimas & ultimas partes organicas, itemque rubras sanguinis particulas, haud tamen disparas, sed mole fere æquales, existere, nisi quod in insectis, aliisque bestiolis exilibus, aliter res comparata videatur, in quibus, vix credibile est, carneos earum villos cum aliorum animantium villis, qui ejusdem sunt ordinis, crassitudine convenire, cum potius ab iisdem tenuitate longe majori differre videantur. Multo autem magis hoc de carnis bestiolarum insensibilium villis verisimile esse, quorum plerorumque villi similibus saltem non tantum hominum, atque animalium majorum, sed ipsorum quoque insectorum, villis subtiliores esse videntur. Posthæc regulæ generales de subtilitate minimarum partium organicarum, præsertim de tenuitate atque multitudine ultimarum propaginum sanguiferarum in tribus animantium classibus, explanantur. Transitu ad alias carniæ species, a muscolosa differentes, factò, monet Autor, superius in cartilagineis linguæ fibris idem esse villorum gradatim tenuiorum systema a se inventum, ac in carnis muscoli fibris, has tamen linguæ fibras positu, nexu, ac systematis membranacei, has investientis, constructione, multum a muscutorum fibris discrepare videri, eandemque ob causam linguæ carnem haud pro muscolosa habendam esse, & disparem quoque actionem, quam linguæ muscutorumque caro edit, disparem utrobique constructionem exigere.

exigere. Quæ superius de cordis carne expromsit nova inventa, hic novis pariter observationibus confirmare magis & promovere contendit. Proinde dubitationem de lamellis, cordis carnem componentibus, quod nemini antea patuerint, tollit e medio, & nunc inventos esse parietes membranaceos, ostendit, qui ex membranaceo cordis involucreo prognati, & inter carneas istas lamellas porrecti, easdem discriminant atque sejungunt, ex quibus novi deinde parietes membranacei subtiliores producuntur, qui, inter fibras, lamellam componentes, porrecti, has sejungunt, & ambos parietes, lamellam terminantes, connektunt. Neque minus etiam in iisdem fibris pariter atque in carneis fibrarum fibrillis ramosa ac reticulata structura confirmatur, qualis etiam in carneis tertii ordinis fibrillis demum patuit. De ceteris vero carniarum speciebus, quæ iridem a carne musculosa discrepant, observationes suas singulari libro exponet. Ad extremum ostendit, diversum carnis, quæ in corde & in musculis est, usum in hac, ejusque villis, fabricam adeo diversam, talemque exigere, qualis hic invenitur.

JOANNIS LEONHARDI FRISCHII
Deutsch - Lateinisches Wörterbuch.

id est,

LEXICON GERMANICO-LATINUM
Pars I.

Berolini, impensis Christophori Gottlibii Nicolai, 1741, 4.

Alph. 3 plag. 18.

Arduum sane & applausu publico dignum opus Cel. Autor molitur. Exhibet enim in hoc vocum Germanicarum, quibus expositio Latina est adjecta, thesauro non solum primitiva & origines verborum, sed etiam voces, inde derivatas compositasque, imo appellationes rerum artificii ac opificii propriarum recenset. Voces promit, quæ metallurgiæ, salinarum apparatus, piscationibus, venatui, lignationi ac silvis, œconomia, rebusque domesticis, sunt familiares. Exhibet vo-
ces,

ces, quæ sese offerunt in Historiis, Chronicis, Interpretationibus, Carminibusque vetustis mediæque ævi Germanicis. Addidit loca Scriptorum, in quibus voces illæ deprehenduntur. Adjunxit vocibus ac verbis originationes, tum certas, tum conjecturales, criticasque annotationes. Addidit Indicem nominum Latinorum. Quis inficiari audeat, multorum annorum sudore monumentum hoc laboriosissimum Auctori constituisse? Quæ tamen ejus est modestia, doctis id Opus tradit adaugendum & emendandum. Nomina locorum Germaniæ geographica, multitudinæ quippe laborantia, omisit, exceptis vocibus *Aar* & *Land*, quæ sunt indicio, quantum apparatus, & quantam eruditionem, Auctor hic adhibere potuisset, si hoc altum voluisset ingredi. Nomina Nobilium ac sexus æque omisit, exceptis vocibus *Ber* & *Ger*. Teutonas post annum 1000 demum cognominibus usos fuisse, in Præfatione monuit. Si forte originationem vocis ignoravit, etymologiam prætermisit, incertis haud impediturus lectorem. Largitur enim is facile, voces in linguam nostram translatas esse per commercia & bellicas expeditiones ex permultis regionibus, ac ex Asia ipsa. Ad etymologias recte expiscandas, necessum est, nosse gentium & nostrarum & vicinarum historias. Glossarium *Wachteri* excellit in cognationibus vocum Teutonicarum, Gothicarum, Anglo-Saxonicarum, ac consinium. Cognationes illas vocum Auctor *Wachtero* plerumque reliquit. Ne vero opus dimitteret destinatum, incitamento ei fuerunt exhortationes Ill. *Leibnitii*, ac benignitas Regiæ Scientiarum Societatis Berolinensis, cujus decreto in consortionem tam illustrem ac partem Historiæ linguæque Germanicæ ornandam receptus fuit. *Schilteri Glossarium Teutonicum* meritissimis laudibus extollit, & hoc suum Opus pro *Schilteriani* Operis spicilegio habet. Ut exteri hoc Opere uti possint, expositio ubique adjecta est Latina. Alemannicæ dialecti ac ceterarum, quibus in Diplomatum ac Chronicorum collectionibus quondam fuit locus, hic inprimis ratio fuit habita. Denominationibus obsoletis, & extra usum positis, additus est asteriscus. Monet Cel. Auctor solidissime, pro varietate accentus diversum sæpe esse
verbi

verbi significatum, atque de hoc momento sese scripturum aliquid promittit. Admiratione dignum est profecto, Virum satis senem, inter occupationes muneris publici dissentissimas, sine aliorum adjumento, Lexicon tam operosum adornasse, nec dubitamus, quin posterum illud sint expolituri ac ditaturi veluti alterum *Fabri Thesaurum*. Vocem *Mousquet*, *Moschetto*, *Muskette*, deducit Cel. Autor ex denominatione nisi avis. Malumus eam ex *Mosferkeden*, *mortariolo*, repetere, siquidem res tormentaria a Germanis dicta fuit *Moserie*, & praefectus pyrotechniae appellatur in Ordinario Brunsvicensi *Mosermester*. Omisit Vir Celeberrimus utramque hanc vocem. *Aal*, anguilla, est vox decerpta ex *Ele*, *Angolna*, *Ingola*, *ἰγγαλῖς*, *אקלע*, si Autori accedimus. Ipse vocem *Abr*, aquilam, deducendam existimat ex *āpus*. *Abend*, vespera, ab ipso deducitur ex *aben*, descendendo. Vocem *Ebentheur* derivat ex Gallica *avanture*. *Admiral*, supremus navium praefectus, ipso arbitro, est ex Arabico *Amir*, id est, Principe. Vocem Gallicam *alesne*, *alène*, ex *Agel-eisen*, id est, *aculeato ferro*, decerptam docet. *As*, unum, derivat ex Latinorum *asse*. Utramque vocem ex Graeca *ἀσ* & Orientali *אש*, *ahads*, deflexam credimus. Abstinet laudabili instituto a Graecis vocibus compositis, quoties Latinae suppetunt, sapius etiam circumlocutionibus utitur, rei accommodatis. Largissimam exhibet segetem vocabulorum ex omni disciplinarum, scientiarum, artificiorum, & opificiorum, genere. Origines multarum vocum Bavaicarum, Slavonicarum, Gallicarum, Italicarum, Graecarum, &c. felicissime eruit. Voci *baun*, *bannus*, insignem affudit lucem. *Bannus regius*, ipso iudice, est jurisdictio superior & criminalis. Id ipsum quidem veritati haud est absimile; ac addendi sunt alii quoque significatus, banno regio innexi. *Bannus* enim regius denotat etiam certam pecuniae summam, quotannis fisco regio inferri solitam, quod omnino patescit ex *Muratorii Parte I* libri, *Antichiedt Essensi* inscripti, ejusque *Cap. 28 pag. 275*. Designat illa vox quoque iussum & praecceptum Regis. In Charta *Conradi II* apud *Butkenium* in *Preuves des Trophées de Brabant Tom. I pag. 39* haec leguntur: *Attendens, nulli licet*

Pag. 676.

1.

12.

37.

58.

59.

sum esse alicujus ecclesie advocatiam usurpare, nisi banno regio
 ad hoc esset institutus. Brabantia denominationem Autor ducit
 ex voce composita *Brachband*, quæ terram omnibus perru-
 ptam, & agger circumdatam, denotat. *Brach* enim est ex *bre-*
chen, frangendo, perrumpendo, & *band*, ex *binden*, circum-
 dando, vinciendo. *Aloen* Autor ex Græco αλών repetit, omit-
 tens monere, hoc ex Ebraico מים profluxisse. Ad vocem
Blarren pag. 104 addimus, accolis Leinæ *blarren* esse idem ac
 lamentationes edere cum lacrymis ac incondita vociferatione. No-
 mina animalium, plantarum, ludorum, herbarum, & arbo-
 ram, solertissime conquisivit Cel. Autor, lectoribusque im-
 mortali beneficio consuluit, dum voces & phrasas Latinas evi-
 denciores, plerumque haud unas, singulis nominibus verbis-
 que addidit. Frequentissime errores inveteratos solide profi-
 gavit. Dabimus exemplum & unum & alterum. *Pirum* bu-
 tyraceum viroris obscurioris vulgus jam appellat *pire grise*, *poi-*
re grise. Hoc vero Gallice vocandum esse Noster ostendit *burbe*
grise. Langobardos, multi credunt, obtinuisse nomen ex spatio
 arabilis terræ diffuso. At Cel. Vir ostendit, eos sic dictos esse
 ex longa terra extremitate, ex *lange barde*, seu *burde*. Quæ
 originatio confirmatur distributione præfecturæ Wickensen &
 Winzenburg in Saxonia inferiori, fieri solita ex ævo antiquo
 in *obere barde* & *neer barde*. Pleraque horum tractuum sunt
 silvis faxisque plena, terraque arabili carent. Omittimus alia
 complura. Prædicamus justissimisque laudibus concelebramus
 Cel. Autoris inigne hoc Opus, avide exspectantes ejus continua-
 tionem. Prævidere nobis jam videmur iteratas præstantissimi
 hujus Thesauri editiones, & accessiones aliorum. Dabimus &
 nos symbolam nostram, ac voculas adjiciemus lanci saturæ non-
 nullas. *As*, *Asno*, est *merces*. Vide *Leges Brunsvic. Cap. 1 n. 37*,
 & *Leges veteres Cellenses n. 19*. *Afa* in codice Ulphilæ est *id*,
 quod recipimus ex agro. *Afneis*, & Anglo-Saxonibus *esne*, est
mercenarius, *servus*. Videntur hæc ad *As*, cibum, referenda.
Gilammer est Saxonibus ad Inneram *navus*, *vitium*, &c. Gra-
 tulamur præterea Germanis nostris, qui nunc in partem gloriæ,
 Tuscorum, ac Parisiensium, veniunt, a quibus Lexica, lingue
 verba-

Pag. 19.

99.

120.

vernaculæ sermonisque patrii recludentis, thesaurum civitas accepit & lubens excepit erudita.

Anleitung zur Historie der Theologischen Gelahrheit, &c.
hoc est,

INTRODUCTIO IN HISTORIAM THEOLOGICAM,
Autore GOTTLIEB STOLLIO, Prof.
Acad. Jenensis.

Jenæ, in officina Meyeriana, 1739, 4.
Alph. 5 plag. 2.

Cujus *Historia literaria* primam editionem A. 1718 Mens. Dec. pag. 558 seq. recensuimus, alteram auctiorem A. 1725 Mens. Nov. pag. 508, ejusque Latinam versionem A. 1728 Mens. Jul. pag. 335, cujus item *Historiam Medicinæ* A. 1732 Mens. Oct. pag. 405 Lectorum nostrorum oculis exposuimus, ejus Celeberrimi Viri nunc exhibemus *Historiam Theologicam*, etiam atque etiam optantes, ut & *Historiam Jurisprudentiam*, in qua elaboranda nunc occupatur strenue, ad finem perducatur & in publicum edatur. Commendarunt superiores libros imprimis acumen judicii, & generosa sentiendi censendi que libertas. Utramque virtutem in hoc etiam Opere, cujus recensionem aggredimur, læti deprehendimus. Constat Opus hoc octo Capitibus, vel potius Libris, quibus absolvi posse Theologicæ Historiam, Autor credidit. In primo, præmissis de naturali Theologia nonnullis, generatim disserit de Theologia, e sacro Codice extructa. In §. 10 seq. eos commemorans, qui Introductionem in Theologiam scripserunt, *Buddei Usugogen* ceteris præfert omnibus. Systematis theologici conditorem e Patribus primum esse *Augustinum*, e Scholasticis *Thomam*, e nostratibus *Melanchthonem*, §. 14 seq. docet, de cujusque opere proferens & suum & aliorum judicium. Recentiores inter Synopses Theologicæ e nostratibus majorem in modum laudat *Pfaffianam*, e Reformatis *Heideggerianam*, ex Arminianis *Limborchianam*. Hinc Scriptores *Bibliotheca theologicæ* commemorat, itemque Scriptores historię dogmatum theologicorum; quos inter primum Germanorum tale opus conficere aggressum esse

esse *Hew. Altingium*, observat. In *secundo* de sacro Codice agit, in eumque editis Commentariis. Exhibitis hic sacri illius codicis non solum versionibus, sed etiam optimis editionibus, indicatisque iis, qui de Commentatoribus Biblicis singulares ediderunt libros, recenset cum Judæorum, tum Christianorum, Commentarios, & horum quidem prius universales, deinde particulares. Inter Pontificios præcipue laudat *Maldonatum & Calmetum*; inter Lutheranos *Lutherum & Schmidium*; inter Reformatos *Catoinum*. Producit item Scriptores *Harmonia Evangelica*, eosque, qui locorum Biblicorum illorum, qui contradicere inter se videntur, protulerunt conciliationes. In *tertio* Scriptores Historiæ Ecclesiasticæ reperimus. Ac inter eos quidem, qui Veteris Testamenti condiderunt historiam, principem locum *Buddeo* Noster assignat. Novi Testamenti historiæ ecclesiasticæ Scriptores producit ordine chronologico. Tum Scriptores commemorat de Scriptoribus ecclesiasticis, de Vitis Sanctorum, de Martyribus, de Hæreticis, de Conciliis, de Ritibus sacris, de Patribus Ecclesiæ, de recentioris ævi Theologis, de Colloquiis religiosis, post Reformationem habitis. Ut judiciorum, a Nostro latorum, nonnihil proferamus, §. 34 seq. insigni laude maculat *Centurias Magdeburgicas*; & §. 43 observat, Pontificia in Ecclesia solos ferme Gallos colere agrum Historiæ Ecclesiasticæ, interque eos præcipuam ait laudem mereri *Florentium (Fleury)*. Reformatos inter maxime ei placet *Sudorius (le Sueur)*, inter nostrates *Weismannus*. De Theologis veteris Ecclesiæ, qui quinto vixerunt Seculo, eorumque Operibus, accurate agit §. 81-98, inprimis, quæ digna memoratu erant de *Augustino*, exponens, suamque annectens de hujus viri theologica scientia sententiam. Pari modo sexti seculorumque Seculorum Theologos exhibet §. 102 seq. In *quarto* de dogmaticæ Theologiæ Scriptoribus disputat, initio facto a Scriptoribus Catechesium. De *Petri Lambardi* decantatissimo Opere, scriptisque in id Commentariis, plura profert. Lutheranorum & Reformatorum Systemata & Compendia postquam recensuit, etiam eos laudat, qui unum aliquem locum theologicum singulari libro illustrarunt, e. g. de Christo, de imagine

gine Dei, de resurrectione. In *quinto* agit de Scriptoribus Theologiæ moralis. Non omiſſa eorum mentione, qui hiftoriam hujus Theologiæ composuerunt, ipſe luculenter diſſerit de Theologia morali Patrum Eccleſiæ, de conditoribus Theologiæ myſticæ, de Scriptoribus Theologiæ moralis recentioribus, Lutheranis potiffimum ac Reformatis. In §. 51 obſervat, perpaucoſ ſcripſiſſe de prudentia eccleſiaſtica, quique adhuc aliquid ejus argumenti ediderint, eruditioſi haud ſatiſſeciſſe. Cognoscere hinc licet Theologiſ eruditione præſtantioribus, faciendum ſibi eſſe, ut lacunam hanc inſignem poſthac expleant. Patres Eccleſiæ minus felices progreſſus feciſſe morali in Theologia, judicant; myſticæ autem Theologiæ ſcriptores margaritas ſuas multo ſimo involviſſe. Inter hos tamen *Taulerum* laudat, *Thomamque Kempenſem*; quibus & *Arndium* §. 29 & 38 adjungit ſocium. In *ſexto* Theologia conſideratur polemica. Nec alienum hoc loco duxit Autor Celeberrimus, diſſerere de *Symbolis*, aliſque Confeſſionibus fidei, e. g. Au-guſtana noſtra; itemque de *Corporibus doctrinae*. Theologos polemicos ordine exhibet chronologico, nec eos præterminans, qui Atheos refutarunt & Naturaliſtas, Indifferentiſtas item, atque Scepticos. Imo & illos producit, qui adverſus Judæos & Muhammedanos diſputarunt; qua occasione & Scriptorum de veritate religionis Chriſtiana commemorat, de ſingulis quadam proferens, eruditioſiorem reddentia lectorem. Libros Patrum Eccleſiæ polemicos admodum parvi facit, caruiſſe dicens eos ſolida eruditione arteque critica, & oratorie magis, quam philoſophice, diſceptaſſe. *Lutherum* & *Melanchthonem* bene ſe geſſiſſe in hac palæſtra, judicat. Omnium tamen polemicorum Theologorum principem eſſe cenſet *Chemnitium*; cui proximum locum *Gerhardo* concedit. In *ſeptimo* agit de Theologia caſuiſtica, recensens primo Pontificios, (quorum in horto caſuiſtico plurimum zizaniorum natum fuiſſe, obſervat,) deinde Reformatos, poſtreimo Lutheranos. Ac inter hos palmam ceteris præripuiſſe *Spenerum*, *Buddeo* & *Reimanno* aſſentitur. In *oſtavo* denique de Theologia homiletica diſſerit, deſcribens concinne hiftoriam ſacrorum ſermonum,

deinde conciones commemorans in libros Biblicos, itemque Postillarum scriptores, compositores item artis homileticæ, confectoresque Concordantiarum Biblicarum, quorum antesignanus est Cardinalis *Hugo de S. Caro*. Finito sic Operi præclaro subjungitur Appendix, quatuor nostræ ætatis Theologorum vitas exhibens, *Carpzovii, Fartschii, Zieroldi, & Rusii*.

JOANNIS NICOLAI, ANTIQUITATUM
quondam in Academia Tubingensi Professoris celeberrimi, Libellus de Luctu Christianorum, seu de Ritibus, ad sepulturam pertinentibus, nunc primum editus ex Bibliotheca SIGEBERTI
HAVERCAMPI.

Lugduni Batavorum, apud Joannem Hasebroek, 1739, 8 maj. Plag. 15.

Propitio Musarum choro in manus Celeberrimi olim *Haver-*
campi, accuratissimi ingeniorum æstimatoris, præsens pervenit libellus, a Viro in omni quondam antiquitate versatissimo, plurimisque bonæ frugis Operibus immortalitatem consecuto, compositus. Quem partum, sane pulcherrimum, dum parentis loco in tutelam recepit suam, primusque ex MSto in lucem protulit, laudatus modo *Havercampus*, & suam in Autoris cineres ostendit pietatem, & novum reipublicæ inserviendi literariæ specimen exhibuit, dignus propterea, qui communem ejusdem applausum ferat. Ipsum, quod Lectoribus nostris non vulgari modo commendamus, Opusculum *novem & viginti* absolvitur *Capitibus*, quorum *primum de Sepultura definitione, tam nominali, quam reali*, ut Philosophi dicunt, inscribitur. *Alterum, defunctorum corpora sepelienda esse*, ex Veteris pariter Novique Testamenti locis, & Jure gentium, docet. Tum *Capite tertio Sepultura barbarorum improbat* *populorum*, quorum alii belluis projece- runt, alii sub dio exposuerunt, alii in sterquilinia detruserunt, defunctorum cadavera. Chios, addit Autor, combustis corporibus ossa contundere in mortario, & navigio deinceps imposita, per cribrum ad ventorum flatus dispergere, donec pe-
nitus

nicus dissipentur. Quod succedit *Caput quartum*, de *Christianorum Cœmeteriis* agit. Disquirat in illo potissimum Autor, cur sepultura necessaria, quare sepulchra cœmeteria dicantur, an cœmeteria consecrari debeant, quod affirmant quidem Pontificii, atque sic effici putant, ne in locis consecratis habitent diaboli, rectius tamen ab Autore exploditur. *Caput quintum* combustionem cadaverum rejicit, & humationem Christianorum laudat. Hæc an recentior sit illa, dubitatur ex eo, quod Patriarchæ omnibus priores gentibus fuerunt, de quorum tamen crematione altum in sacra Historia silentium est. Hinc, illam ex Philosophorum gentilium cerebro natam, nec a Græcis semper & Romanis observatam esse, censet Autor, & *Capite sexto* in Pontificios graviter invehitur, quos quippe, *insepulta Protestantium cadavera relinquentes, peccare turpiter, & ne minimam quidem justitiæ speciem præ se ferre*, contendit. *Septimum Caput* errorem notat Pontificiorum, quod ad ossuaria & reliquias attinet, ac, religiosum erga demortuorum ossa & reliquias cultum, moremque effodiendi easdem ex terra, rursus alibi condendi, & adorandi, divinis repugnare præceptis, evincit. *Caput octavum* sepeliendi potestatem summò vindicat magistratui; nonum autem, viventes adhuc de sepulchro sibi posse prospicere, dummodo absit superstitio, commonstrat. *Capite decimo de Sepultura materia* disserit Autor. Eos, qui violentas sibi ipsi manus intulerunt, sepultura privandos putat, nisi quidem id ex humano affectu perpetraverint, quo refert antiquæ Ecclesiæ Christianos, (qui, ne tormentis adacti sacra ejurarent sua, *αὐτοχέτους* fuerunt,) aut vita pie & innocenter transacta, vel profunda tristitia & atrabile, quæ rationis compotes esse non sivit, vel manifesta abrepti dementia, voluntaria morte ex vita discesserint. Quid vero hic juris circa maleficos? Sane, ex Hebræorum lege suspensos eodem die, ante solis occasum, sepeliri debuisse, memorat Autor, cujus legis rationem putat esse genuinam, ne tactu cadaveris impuri redderentur homines, imprimis cum immundities, ex mortuo contracta, omnium haberetur maxima apud Hebræos. Id ipsum tamen fueritne lex pure ceremonialis, an mixta, valde disceptatur. Autoris

eo redit sententia, omnino esse sepelienda cadavera delinquentium apud Christianos. *Caput undecimum de Sepultura loco dicitur.* Hic extra urbes erat apud Hebræos, Græcos, Romanos. Rarissime hæc consuetudo fuit neglecta. Christiani e contrario communem humanis defunctorum corporibus destinatum habuerunt locum, quem Cœmeterium appellarunt. Jucundas hic addit Autor observationes, quando intra urbes sepultura admissa apud Christianos fuerit; de sepultura in templis, prope Martyrum monumenta, quod tandem lucri causa factum, & propterea successu temporis ab Imperatoribus fuit cohibitum. Idque recte omnino. Probat enim Autor gravibus argumentis, plane non esse tolerandam in templis sepulturam. *Duodecimum Caput de Ritibus sepultura adhibendis, & quidem de lotione, conditura, osculo, & vestitu,* exponit. Quod & olim, ut hodie, albis cadavera vestibus ornaverint Christiani, non sine ratione factum censet, albumque colorem salutis fuisse signum scribit Autor, dataque hac occasione luxum reprehendit in adornandis defunctorum corporibus. *Decimum tertium Caput cadaverum Christianorum compositionem* Lectoribus præbet conspiciendam. Christiani veteres cadaver lorum atque vestitum loculo imponebant. Quo facto, caput, si juvenis, vel puella, corona ornabant, reliquæ corpore floribus & herbis consperso. Deinde, ut Græci ac Romani, aliorum dabant conspectui cadavera, eademque tandem, arca occlusa, panno serico, vel ex lana confecto, tegebant. *Caput decimum quartum funerum* describit *indictores.* Hi olim apud Romanos præcones erant; hodie vero vel per certos homines, sive mares, sive foeminas, vel per literas, funus indicitur, cui addit Autor æris campani sonitum, in Saxonia potissimum usitatum. *In decimo quinto Capite funeris sequitur deductio,* quæ apud veteres Christianos noctu nonnunquam, nonnunquam interdium, fieri solebat. *Capite decimo sexto comitatum seu pompam funebrem Christianorum, & veterem, & hodiernum,* doctissimus Autor enarrat, & *decimo septimo Capite de precibus & concionibus funebribus veterum Christianorum* exponit. *Capitis decimi octavi de Curriculo vite, & orationibus funebribus,* inscriptio est. Et, cum

cum nostris sæpe temporibus busta floribus ac rosis conspergantur, hæcque deinde templis inferantur, & in his suspendantur, de ritu sparsionis florum atque eleemosynarum Capite decimo nono differitur. *Vicesimum Caput de Pontificiorum ritibus funebribus, illorumque usu & abusu; vicesimum primum de Reformatorum sepeliendi ritu, & usu honesto; vicesimum secundum de Ritu sepulturae Lutheranorum; vicesimum tertium de Silicerniis & cænis Christianorum funebribus; vicesimum quartum de Concionum funebrium usu & abusu; vicesimum quintum de Religione sepulchrorum; vicesimum sextum de Tempore luctus apud Christianos, ejusque moderatione; vicesimum septimum de Defunctorum consecratione; vicesimum octavum de Excessu & moderatione Christianorum circa sepulturam; ultimum denique, quod est nonum & vicesimum, Caput de Usu sepulturae practico, agit.* Allicient hæc omnia sine dubio Lectores, ejusmodi deliciarum cupidos, ad perlustrandum libellum ipsum; neque adeo opus esse judicamus, ut copiosa ex politissimo, quod aliena commendatione plane non indiget, Opusculo specimina proferantur.

PETRI ZORNII, PROFESSORIS REGII ORDINARIi, Historia Eucharistiæ infantium, ex Antiquitatibus Ecclesiarum, tum occidentalium, tum orientalium, secundum decem Seculorum seriem, & multiplicem varietatem, illustrata.

Berolini, apud Jo. Petr. Schmid, 1736, 8.

Alph. 1 plag. 19.

Cum multa momenta restent in Historia Ecclesiastica veteri excutienda, & in lucem adspectumque publicum protrahenda; tum illi operam & studium non male collocare videntur, qui ex hac nobilioris doctrinæ parte unum itemque alterum sibi feligunt argumentum illustrandum, & ex veterum monumentis contra falsas aliorum opiniones confirmandum. Quis igitur erit, qui Cl. Zornio in malam accipiat partem, quod animum induxerit ad historiam Eucharistiæ infantium hoc ipso libello illustrandam, & nonnullorum iniquas sententias de hac ipsa re convellendas?

H h h

das?

das? Eo enim inprimis spectat Doctiss. Autoris opera, ut, quicquid ad hanc historiam pertinet, ab origine usque ad ultima secula initio breviter enarret, deinde idoneis testimoniis probet atque confirmet, omniaque ea explicet, quæ in Ecclesia & orientali & occidentali de hac Eucharistia infantum sunt tradita. Tandem operam collocat in refutando *Jac. Benigno Bossueto*, qui de Eucharistia infantum in Ecclesiis orientalibus & occidentalibus multa fugit, & in gratiam suæ Ecclesiæ exponit, id quod Cl. Autor uberius in Præfatione explicat, illud simul monens, *Jo. Frid. Mayeri* Commentarium de Eucharistia, infantibus olim data, cum hoc libello non idem pertractare. Ne vero tædium lectori in perlegendendo hoc libello moveretur, divisit Cl. Autor totam hanc historiam in *Capita XXXIV*, quæ brevibus, nostrum erit, indicare, quo de pretio hujus tractationis Lectoribus nostris eo

Pag. 1 seq. melius constet. *Capite igitur I* explicantur varia nomina, quibus antiqua Ecclesia Eucharistiam infantum appellavit. *Bossuetus*, ut probet, in veteri Ecclesia infantes, quibus mammam adhuc dabant matres, tantummodo vinum in S. Cœna suctu quodam hausisse, ætate autem provectiores non nisi panem accepisse, in consilium advocat nomina, quibus olim Eucharistia infantum fuerit designata. At frustra id quidem, quandoquidem voces oblationis, communionis, eucharistiæ, & confirmationis, quæ de hac re adhibentur, non habent hanc vim, ut ejus sententiam confirmet. *Capite II* quæritur, an infantibus recens natis Eucharistiam veteres in melle & lacte dederint. Nam, cum *Simplicius Verinus*, seu *Claudius Salmasius*, in libro de *Transubstantiatione* affirmet, loco panis mel, loco vini lac, accepisse infantes, hunc falli ostendit Cl. *Zornius* ex variis locis Patrum & silentio antiquitatis de hoc ritu, nec recte ab eo provocari ad Canonem Ecclesiæ Africanæ. *Caput III* inquit, an infantes adulta ætate tantum reliquias Eucharistiæ, sive tantum panem, acceperint. *Evagrius* atque *Callistus* memorant, antiquiori Ecclesiæ in more fuisse positum, ut, si quædam particule panis in administratione S. Cœnæ remanserint, pueri impuberes, *παῖδες αἰφρότοι*, qui scholam frequentarunt, accerterentur, illas manducaturi. *Bossuetus* autem ex hoc ritu colligit, infantes

fantes adulta ætate solum panem in Eucharistia accepisse, contra quem Autor disputans, demonstrat solide, pueros illos non accepisse communionem, sed tantummodo comedisse panem, qui remanserat ex communione, ne ille, sanctissimis usibus destinatus, ad usum communem transfret. Agnovisse veritatem hujus rei nonnullos Gallos, *Chamierum*, & alios, monet, nec miraculum, ab *Evagrío* traditum, favere *Bossueto*, nec Edictum Concilii II Matisconensis, quod ritum, modo dictum, nec quidquam præterea, confirmat. *Caput IV*, an infantes tenellæ admodum ætatis in Eucharistia solum calicem acceperint, disquirat, doceturque hic, *Bellarminum*, *Garnerium*, & *Bossuetum*, contendere, communionem infantum sub una specie vini celebratam fuisse, provocantes ad *Cyprianum*, & historiam, quam ille tradit. Sed, hanc non esse mentem *Cypriani*, qui potius fateatur, infantes suo tempore utramque speciem accepisse in sacra Cœna, probat Autor, non simul negans, sequiori ætate variatam esse Eucharistiam infantum, quibus vinum tantum fuerit porrectum Seculis recentioribus, quod ipsum de prioribus Seculis non possit asseri. Cum præterea panis eucharisticus apud veteres vino nonnunquam fuerit tinctus in usum ægrotorum; ceptum est quæri, an infantes in Eucharistia panem in calice sacro intinctum tantummodo acceperint. Pontificios ex historia virginis apud *Aquitanum* illud confirmare velle, *Caput V* declarat, monente Cl. Autore, virginem hanc jam grandiusculam videri, adeoque hanc narrationem illud non posse demonstrare, neque tamen prorsus negante, illis temporibus, quibus panis, vino intinctus, non solum ægrotis, sed etiam sanis, fuerit porrectus, idem evenisse infantibus. *Capite VI* de Eucharistia infantum sub utraque specie, præcipue in Ecclesiis Orientalibus, secundum Seculorum multorum seriem disputatur. Sunt ex cordatioribus Pontificiis, qui, Eucharistiam infantum sub utraque specie fuisse celebratam, fatentur, aliis tamen hanc rem apertam negantibus. Ut itaque rem ex Historia demonstraret, docet Autor, in Constitutionibus Apostolicis & Liturgia veterum, ubi ordo communicantium exponitur, etiam *παιδια* enumerari, quod de infantibus Noster accipit, remque eandem referre de infantibus

- nyfium Areopagitam*, ex Seculo tertio *Cyprianum*, contra cuius testimonium nihil valeant *Bossueti* argumentationes, ex quarto *Augustinum*, *Pontium Paulinum*, ex quinto *Gennadium Masfliensem*, ex septimo *Joannem Moschum*, & Concilium Tolletanum XI, ex octavo *Caroli M.* testimonium & *Jessci*, ex nono *Gualterum*, *Theodulphum*, & *Riculphum*, &c. *Caput*
- Pag. 88. VII inquit, an Eucharistia infantum traditione Apostolica & Conciliorum Oecumenicorum consensu probari & confirmari possit. Prius affirmare *Augustinum*, posterius recte negare, docetur, *Christ. Kortholtum* & *Fechium*. *Caput VIII* quæstionem movet, an Baptisum æque ac Eucharistiam infantum inter inventa humana Patrum referre liceat. Cui *Salmafius* occasionem dedit, qui, Apostolicam Pædobaptismi originem negans, postera ætate demum inventam, & tunc etiam Eucharistiam infantibus porrectam esse, credit. Eandem sententiam defendit *Godofr. Arnoldus*, referens Eucharistiam & Baptisum infantum inter inventa humana Patrum, sed qui male in suam sententiam *Tertullianum* trahit. Quemadmodum vero, quod ad originem Baptismi infantum attinet, horum sententiam falsam esse, pronuntiat Autor; ita etiam, nullo fundamento niti illud, contendit, quod Eucharistia & Baptisus infantum uno eodemque tempore in Ecclesia originem habuerint, cum Seculo
105. demum III Eucharistia horum orta fuisse videatur. *Caput IX* ex antiquitate recenset nonnulla exempla illorum, qui Eucharistia
111. ad morbum infantum tollendum abusi sunt. Sunt ex Pontificiis nonnulli, qui, in Ecclesia occidentali infantes, ad Eucharistiam admissos, etiam extremam unctionem accepisse, diserte dicunt, contra quos *Capite X* ostenditur, illos oleo quodam facto morbos depellere consuesse, & post Baptisum etiam infantum corpora, quæ tenera illa ætate malis maxime sunt obnoxia, unxisse veteres. An primi Patres Ecclesiæ, Eucharistiam infantibus ad salutem æternam esse necessariam, crediderint, *Caput XI* disquirat. Hanc quæstionem esse affirmandam, ex *Augustino* & aliis Patribus fit clarum, hique sententiam suam ex *Jo. VI*
136. confirmarunt. Inde contra eos disputatur, qui Patres volunt hac in re excusare. Ignorantiam Doctorum Concilii
Tri-

Tridentini circa doctrinam Eucharistiae infantum memorat *Caput XII*. Hi enim partim in eo errant, quod asserant, hunc ritum, Eucharistiam dandi infantibus, in quibusdam tantum locis fuisse observatum, contra fidem historiarum, partim quod sibi persuadent, nulla salutis necessitate Eucharistiam datam, in quibus omnibus confutantur ab Autore. *Caput XIII* probat, tum Pag. 158.
 demum Eucharistiam infantum in Ecclesia Romana vel variasse, vel abrogatam omnino esse, cum transubstantiatio passim alias egerit radices. Cum multa dentur Ecclesiae Romanae variationes in doctrina veteri, tum etiam illis variationem circa Eucharistiam infantum debere annumerari, ostendit Autor *Capite XIV*. Sic etiam, in antiquis Bohemorum Ecclesiis Eucharistiam infantum in usu fuisse, ex *Capite XV* fit clarum. Miracula nonnulla in Eucharistia infantum divinitus edita in Ecclesiis occidentalibus fuisse, sibi Pontificiorum nonnullos ad confirmandam transubstantiationem persuadere, refert *Caput XVI*. 170.
 Pauciora Eucharistiae infantum in Orientali, seu Graeca, Ecclesia reperiri exempla, tradit *Caput XVII*, idque propterea esse factum, quia plerique Graecae Ecclesiae Patres verba *Joannis Cap. VI* de spiritali manducatione & bibitione corporis & sanguinis Christi acceperint. Inde scilicet Baptisimum & sacram Cœnam differebant ulque ad mortem. Magnas, ut ex *Capite XVIII* discimus, habent lites Ecclesiae Graecae & Romanae de Eucharistia infantum, & Graecae Romanas hereseos & novationis hac in re acculant; quod fieri non deberet, cum nullum præceptum aut testimonium de hac re sacrarum literarum possit produci; quo loco argumenta *Metrophanis Critopuli* confutantur. *Caput XIX* multis veterum Graecorum testimoniis demonstrat, in veteri Graeca Ecclesia communionem sub utraque fuisse usitatam; quid? quod etiam Aubesinis hæc, dissentientibus licet nonnullis, asseritur. Porro, infantum Eucharistiam non solum apud Graecos, sed apud Armenos etiam, Jacobitas, Abyssinos, & omnes fere orientales, nunc obtinere, & quidem sub utraque specie, contendit Autor. 179.
 Quando *Capite XX* quaeritur de Ecclesia Graeca, an transubstantiationi faveat, contra Pontificios, antiquam Graecam Ecclesiam hoc suo consensu non comprobare, respondeatur, recentiore autem Graecam Ecclesiam in doctrina trans-

- substantiationis a majorum suorum doctrinis discessisse. Eucharistiam apud infantes usum medium habere in sanandis morbis, credere Græcos, *Capite XXI* docetur, qui corporis *ἀντίτροπον* ad omnes morbos efficacissimum putant, & propterea in infantum
326. mitris consuunt. Quamvis non negetur *Capite XXII*, ægrotos olim apud Græcos fuisse unctos a sacerdotibus oleo quodam; tamen extremam unctionem ex his exsculpere non possunt Pontificii, cum qua illa unctio nihil habet commune. Hodierni
344. Græci, tradente id *Capite XXIII*, communionem ægrotis aut moribundis maxime necessariam esse, credunt, inde & Eucharistiam ad infirmos aut moribundos mittunt; panis vero vino communi prius intingitur: quo ipso Pontificii suam communionem sub una specie confirmari clamant. *Caput XXIV* de mimica & joculari per pueros Apamenses Eucharistiae celebratione ex *Mofæbi Prælo spirituali* disserit, exponens imprimis, quomodo isti pueri per ludum celebrare instruerint Missam, & deinde per ignem, de caelo delapsam, symbola fuerint consumpta. Pontificii, hanc historiam veram esse, contendunt; quam tamen contra ejus fidem multi multa excipiant, docet Autor, non verum his inesse
369. miraculum, ostendens. Varia expendit *Caput XXV* judicia doctorum Pontificiorum de Eucharistia infantum in veteri Ecclesia, & quidem initio Concilii Tridentini, quod anathemate communionem infantum rejicit; quam sententiam antiquis Patribus fuisse, male defendunt Pontificii. Idem Concilium in eo errare, fusius demonstrat Autor, quod, hunc morem in quibusdam tantum Ecclesiis in usu fuisse, putat. *Suarzcius* loca *Augustini* de spirituali, non de sacramentali, infantum communionem interpretatur, & eundem in modum alii doctores Pontificii placita Concilii
414. Tridentini defendere conantur. Quid Reformati Theologi de infantum Eucharistia apud veteres sentiant, prodit *Caput XXVI*. Illos uno consensu hanc Eucharistiam infantum reprobare, variis testimoniis confirmat, & *Caput VI Joannis* de propria carne Christi, proprioque sanguine, ut ad mortem datis, spiritualiterque per fidem participandis, intelligi debere, indicat. *Lutheranos* Theologos Eucharistiam infantum veterum improbare, *Arnoldum* vero hunc morem veterum inter actiones ludicras

& pessimos abusus referre, *Caput XXVII* memorat, ubi etiam nonnulli ex nostratibus nominantur, qui hunc morem improbant. *Caput VI Joannis Lutherus* & plurimi ex nostratibus de spiritali manducatione exponunt. Præterea Auctor monet, etiamsi *Caput VI Joannis* de sacramentali manducatione exponeretur, tamen illud non probare Eucharistiam infantum. Hodiernos Græcos Eucharistiam infantum admittere, & transubstantiationem in S. Cœna credere, probatur. Cum *Bartholdus Nibufius* inter indifferentia Pag. 459- referat Eucharistiam infantum, de eo disquirat *Caput XXVIII*, & omnino illud assertum miratur, cum Concilium Tridentinum anathema omnibus minetur, qui Eucharistiam infantum existimant retinendam esse, & male ad hanc rem probandam producitur mos, quo olim, calamo in sacro calice tincto, scribebant ea, quæ fixa 466. vellent & rata esse. *Caput XXIX* varias exhibet observationes, quibus Eucharistia infantum illustratur. *Bellarminus* Eucharistiam infantum prorsus repudiat in Ecclesia, rationibus tamen non solidis, utpote quæ possent inverti, ut *Gerhardus* & Auctor noster pluribus exponunt. Postea refutatur *Natalis Alexander*, qui asserit, *Augustinum* non statuere, Eucharistiam infantibus esse necessariam, sed hoc illum intelligere de virtute corporis & sanguinis Christi, in Baptismo cum ipsis communicata. Deinde disputatur contra *Jo. Stephanum Durantum*, qui de Eucharistia infantum credit, statim post Baptismum eam datam fuisse infantibus, sed, postquam cessaverit adultorum Baptismus, & certa baptizandi tempora immutata fuerint, istum morem in Ecclesia Latina antiquatum fuisse. *Dupinium* in eo errare, palam est, quod affirmat, infantibus in Eucharistia tantummodo unicam speciem vini datam fuisse. *Dionysius Petavius* in multis circa hanc doctrinam fallitur, ut in notulis subjectis exponit Cl. Auctor. Denique *Jo. Launojus* humani quid passus in eo dicitur, quod judicium Concilii Tridentini de Eucharistia infantum summo opere commendat. *Caput XXX*, an *Innocentii I*, Pontificis Romani, literæ, ad Episcopos Africanos contra Pelagianos scriptæ, synodicae fuerint, disquirat. In his literis necessitatem Eucharistia infantum doceri, ad questionem autem propositam *Garnerium*, *Augustinum*, & *Launojum*, affirmando respondere, docet Auctor. 493. Esse

- Pag. 498. Esse nonnullos doctores Pontificios, qui necessitatem Baptismi infantum probandam in se recipiant, faterur *Caput XXXI*, eorumque nonnullos nominat. Hoc in loco illud etiam docetur, multa esse Pontificiæ doctrinæ capita, quæ hanc infantum
509. Eucharistiam magis confirment, quam labefactent. *Caput XXXII* judicia Remonstrantium, Mennonistarum, & Socinianorum, de Eucharistia infantum expendit, nominatim *Grotii, Simonis Episcopi, Sæpb. Curcellæi, Philippi a Limborch, Adriani a Cattenburch*, qui minus honorifice de ea sentiunt. Ex Mennonitis *Hermannus Schyn* Baptismum & Eucharistiam infantum ad humana inventa Patrum refert. Ex Socinianis *Socinus & Seblichringius* infantes putant & baptizari, & ad Cœnam Domini posse admitti, & si non deberent ad S. Cœnam, nec ad Baptisimum debere ad-
521. mitti. *Jacobus Pierce*, celeberrimus inter Presbyterianos doctor, librum edidit sermone Anglico de Eucharistia infantum in Ecclesiis Christianorum more antiquo instauranda, in cujus conspectu representando *Caput XXXIII* occupatum est, quamvis librum ipsum non viderit Cl. Autor, sed tantummodo ex relationibus aliorum habeat cognitum. *Caput XXXIV* post mes-
- 548-619. sem spicilegium instituit, & varia additamenta continet, historiam Eucharistiæ infantum illustrantia, suo quæque loco inferenda. Index tandem locorum Scripturæ S. illustratorum, rerum, & Capitum, totum hunc librum claudit, cui omnino sua laus & honor constat. Nam, cum satis omnes sciunt, Cl. Autorem in Historia Ecclesiastica non esse mediocriter versatum, sed ad hanc ornandam illustrandamque prorsus natum atque factum, hunc etiam libellum præclarum esse limatissimæ doctrinæ suæ monumentum jussit, atque insigne hoc doctorumque hominum studio dignissimum argumentum docte solideque persecutus est, nec minori labore, quam lectionis apparatu, Opus hoc egregium, præsertim in subjectis notis, in quibus, quæ dixit, uberius probat, instruxit, ut nullum dubium sit, quin rem harum rerum amatoribus fecerit gratissimam, hosque in spem magnam erexerit, si pergat in hoc studiorum genere otii sui aliquam partem collocare, certissime futurum, ut nobili ejus opera illustrissima quæque sanctioris doctrinæ capita lucem accipiant clarissimam.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCXLII.

BIBLIOTHECA BIBLIOTHECARUM MANU-
scriptorum nova, ubi, quæ innumeris pene Manuscri-
ptorum Bibliothecis continentur, ad quodvis literatu-
ræ genus spectantia, & notatu digna, describuntur &
indicantur. Autore R. P. D. BERNARDO DE
MONTFAUCON, Benedictino Congregatio-
nis Sancti Mauri.

Tomus II.

Parisii, apud Briassonum, 1739, fol. maj.

Tom. I Alph. 10 plag. 11, Tom. II Alph. 9 plag. 9.

Dudum ita viri docti judicarunt, quanta quanta sit libro-
rum, ab ipsis inde typographiæ initiis ad hæc usque tem-
pora in lucem editorum, copia & multitudo, nullum
tamen superesse dubium, quin eorum, quæ a cujuscunque gen-
tis eruditis civibus elaborata unquam sunt & scriptis consignata,
pars longe maxima in tenebris adhuc lateat, nec pauca horum,
si in lucem proferantur, insigni bonis artibus & decori & adju-
mento sint futura. Inprimis vero, quod ad veteres Autores Græ-
cos & Latinos attinet, satis utique constat, horum in illustriori-
bus passim Bibliothecis Codices MSos, & numero multos, & ex
parte omni nobilissimos, servari, quorum si usus, quam fuit huc
usque, communior possit effici, omnes intelligunt, certissima hinc
iis, qui ad edenda verustiorum temporum monumenta curam
suam convertunt, subsidia sperari posse, & suavissimis humanitatis

studiis ita egregie consultum iri. Itaque in ea sententia diu multi steterunt, id salutare imprimè & fructuosum literis futurum, si cui ad Bibliothecarum principum sacra aditus tam facili pateret, ut librorum, qui fatali quodam casu luce nondum publica fruuntur, si non omnium, ac eorum tantum, unde literis praesidium & ornamentum expectari potest, sibi comparare notitiam, hancque deinde cum ceteris communicare elegantioris doctrinae studiosis, possit. Sed negata omnibus ad hunc diem hæc fortuna fuit, aut, si verius dicendum, nemo laboris, quem ea res sane summum habet, ita patiens fuit, ut volvendo huic saxo manum admoveret, nedum ejus molem fortiter, ut par est, sustineret. Explevit igitur tandem vora nostra, qui unus explendis iis par videbatur, ferreæ Vir industriae, & molestissimis dudum laboribus assuetus, *Montfauconius*, tunc annis magis, quam vigore, senex, qui, præstantissimis tot scriptis, magno bonorum omnium plausu a longo inde tempore publicatis, pulcherrimam coronidem impositurus, hoc velut ultimo suorum operum aliis, post se literariam rempublicam ornaturis, indicare fontes voluit, unde scribendæ possint, & de literis optime merendi, materiam hausire. Is, in eunte hoc, quod vivimus, Seculo, in itinere literario, per Italicae urbes nobilissimas suscepto, inter alias nobiliores curas, magni etiã hujus, quo nunc gaudentes utimur, thesauri fundamenta jecit. Admissus enim ad Romanas, & si quæ aliæ in Italia magnum nomen habent, Bibliothecas, hic MSSos Codices, præcipua Bibliothecarum ornamenta, non tantum inspexit diligenter, sed horum etiã, in suos & amicorum usus, accuratos catalogos confecit. Quibus spoliis onustus cum A. 1701 in Galliam rediisset, jam etiã domesticas suæ gentis Bibliothecas attentiore, quam olim consueverat, oculo circumspicere, & ex his colligere MSSorum omnis generis Indices, cœpit, egregie etiã in rem suam usus insigni liberalitate *Cosmi III*, magni Etruriae Principis, qui celeberrimæ *Laurenziana* Bibliothecæ Catalogum, intra decem annorum spatium confectum, petenti ipsi describendum benignissime concessit. Optatum igitur successum habuit labor *Montfauconii*, ita quidem,

dem, ut jam A. 1720 instructam a se duorum majoris formæ Voluminum Bibliothecam videret, cui tunc in ordinem redigendæ, & concinno Indice augendæ, operam adhibuit *Joannes le Maître*, Vir industrius, & *Montfauconii* sui valde studiosus. Sed minime in animo tunc fuerat Autori nostro, usus publici hoc Opus facere, ad id unice destinatum, ut suis partim, partim amicorum, usibus inserviret, quorum multi ex pretiosissimo hoc thesauro suis literis subsidia, nec id frustra, petierunt. Idem vero, non committendum rati, ut laboris tam præclari fructu res literaria destitueretur, eo tandem suis eum precibus consiliisque adduxerunt, ut & firmæ suæ, & seræ posteritati, Opere hoc edito consulere, in animum induceret. Convertit se igitur ad hanc curam A. 1733, totusque ab eo tempore in augendo hoc Opere, & pulcherrime instruendo, fuit, nec quidquam intermisit eorum, unde Bibliothecæ huic gratiam conciliari dignitatemque posse judicaret. Jam enim, quæ ab anno inde 1720 nova ad ipsum undecunque fuerant allata, commode cum ceteris conjunxit, imprimis vero ex Bibliothecæ Regiæ Parisiensis, & quam adjunctam ei constat, *Colbertina*, quæ tria & triginta millia Codicum MStorum, & in his quater millia Græcorum, numerant, Catalogis præstantissima huc multa transtulit, ex aliis etiam, jam olim editis, Bibliothecarum principum, Cæsareæ Vindobonensis, Anglicarum, Coislinianæ, Lipsiensis Academicæ, & quæ sunt aliæ, Catalogis utilissima quæque excerpfit, & quod magnam imprimis laudem habet, abesse ab universo Opere scripta leviora, jussit, aut quæ eruditionem ipsam haud adeo prope tangunt, quo pertinent imprimis Menææ, Troparia, Pentecostaria, ritus Ecclesiasticos spectantia, Commentariû in *Aristotelem*, tam Græci, quam Latini, quibus ita abundante Bibliothecæ omnes, ut vix ullo genere scriptorum magis, denique Decretalium interpretes, Jurisprudentiæ nostræ, si foras producantur, parum adjumenti præstituri, illisque adeo tenebris, quibus sepulti jacent, dignissimi. Nec in his substitit Autoris Celeberrimi industria, sed, cum unius Bibliothecæ Catalogos sæpe duos, eosque inter se diversus, ad manus haberet,

beret, ne qua notitia careret lector, utrumque apposuit; ipsorum vero Codicum indicium facturus, non, quod solet interdum fieri, breves tantum horum notas attulit, sed singulorum, quæ his continentur, Operum titulos, sæpe etiam argumenta, interdum vero his plura, annotavit, ut facile patet legenti in hoc Opere Tabularii Britannici titulos notasque omnes, Acta item Comitum Sabaudiz, & integra passim ex Chartulariis & vetustioribus Codicibus capita descripta. Præterea, cum in Catalogos nonnullos incuria Autorum, quorum plurimos fuisse literarum ignarissimos apparet, errores multi, iique venia vix digni, irrepperint, his, quantam potuit, operam tollendis adhibuit; non paucos tamen, ita desperatos, ut vix manum medicam admitterent, emendandos sagacioribus reliquit, iis vero, de quibus quid statueret, non satis certo scivit, asteriscum apposuit. Sed, quod omnium maxime commoditati lectoris inservit, & Opus hoc ad usum accommodatissimum facit, illud est, quod duo ei Indices accesserunt, copiosissimus uterque, & ad integri Voluminis molem proxime accedens. Horum alter, non tam utilis, quam plane necessarius, in prioris *Tomii* fronte collocatus, Autores omnes Codicesque, per amplissimam hanc *Bibliothecam* dispersos, exhibet, qui nisi esset, boni lectores, unius Codicis notitiam quærentes, singulos perquirendi Catalogos, quorum hic plus quam ducenti & triginta sunt congesti, impositam sibi necessitatem viderent. Sed erunt forte, qui, conficiendi hujus Indicis molestia facile superfedere potuisse Autorem præstantissimum, existiment, si Opus ipsum ita instruere, ut Codices omnes *MSti*, per tot Catalogos dispersi, uno, secundum Alphabeti ordinem decurrente, Indice conjuncti, cuique vero Codici tot Catalogi, quot ejus mentionem faciunt, subnotati, apparerent, quam singulorum Catalogorum collectionem dare, ad ipsas literas, nostro judicio, habentem momenti perparum, maluisset. At ita æquitas postulat, ut, causas, cur hanc imprimis disponendi sui Operis rationem teneret, Cel. Autori, earum rerum, quæ maxime conducunt literis, satis gnaro, fuisse & multas & graves, suspicemur; nec harum nobis fuisse ultima vide-

videtur, quod unius ejusdemque Codicis diversi sæpe in Catalogis diversis tituli legantur, quos ad idem tanquam genus revocare, & incommodum valde, & lectorum multis, sciendi illam diversitatem cupidis, valde ingratum, fuisset. Forſan & alia accessit, quod tituli Codicum non pauci ab Autoribus Catalogorum tam corrupte sint expressi, ut certus iis locus assignari vix possit; quos adeo, satius putavit Noster, suis Catalogis relinquere, quam ad genus aut falsum prorsus, aut quod difficile inventuri sint Lectores, revocare. Sed majori forſan jure de altero, *rerum & Autorum*, Indice, ad *Tomi secundum* calcem adjecto, affirmabimus, hoc tuto carere nos potuisse, Operisque molem ampla hac accessione præter rem adauctam. Nam, quod ex ipsa ejus inscriptione patet, & frequens usus nos docuit, paucissima is habet, non in altero jam obvia, quæ ipsa etiam magno chartæ compendio, & quærentium commodo, adjungi priori illi potuissent. Id sane dubium non habet, ejus generis Opera, cujus hoc est, nulla re magis, quam Indicum adminiculo, ad usum accommodari eruditorum posse; sed, eo usque hoc valere, ut res eadem bis aut ter in diversis sit Indicibus repetenda, nemo facile, eorum inprimis, qui, emtorum etiam haberi rationem, æquitatis judicant, persuaderi sibi patiatur. Est hæc ratio & tanquam œconomia magnæ hujus, nec similem sui habentis, Bibliothecæ, quam ingressus, Scriptorum omnis generis, tam veterum, quam recentiorum, Historicorum inprimis, & si qui alii præter suum meritum literaria hac luce carent, amicissimo conventu gaudebis. In eo vero præclare factum ab Autore, quod, ex parte omni commodis Lectorum prospecturus, toti Operi Diatribæ præliminarem præmisit, indicantem nobis, cujus generis Scriptores hic præ ceteris cum fructu sint quærendi. Docet igitur, ut nulla sit nobiliorum gentium, quæ non rerum suarum Commentarios hic multos & diversos habeat, ita Gallicæ inprimis historiæ Scriptores tanto numero hic inveniri, ut vel soli hi Bibliothecam possint satis amplam & spectabilem implere. Utque specimine rem probaret, provinciarum Gallicarum, præcipuarum item Urbium & Monasteriorum,

riorum, Chartas & Chartularia, censuales libros, bonorum, terrarum, & proventuum, consignationes, quæ barbaro vocabulo *Terrearia* appellantur, Necrologia etiam Ecclesiarum, & quæ similis sunt generis, magno Indice collecta exhibet; cuius operæ quam late pateat usus, ii optime sciunt, qui, quantum interfit, integrarum gentium aut familiarum principum origines & jura in lucem proferri, non ignorant. Dolendum autem, hoc, quicquid est, egregii laboris intra solius fines Galliæ coarctari, nec ad alias illustriores regiones, quarum cuique suus magis, quam alienus, honor curæ est, protendi; in quo si paulo mihi suæ patriæ favisset Autor, eandem ab Italis, Hispanis, & Germanis nostris, gratiam tulisset, quam nunc a solis Gallis, sed ab his magno quodam jure, postulat. Accedamus jam ad ipsa Bibliothecæ, nobis liberaliter reclusæ, limina, & salutatis omni ævi sapientissimis doctoribus, in hoc Musarum elegantissimo diversorio jucunde hospitemur. Quæ suo jure locum principem hic tenet, Vaticana est Bibliotheca, olim nulli, nunc soli Parisiensi Regiæ, secunda, quam per annos duos & dimidium frequentavit Noster, idque tam diligenter, ut rarissimos quosque Codices ipse manibus tractaret, nec pauca, sibi aliquando usui futura, hinc exciperet. Horum nonnulla, haud præsentis instituto aliena, multa item alia, a *Claudio Stephano*, Congregationis *S. Mauri* in Curia Romana Procuratore generali, complures intra annos observata, & si qua aliunde comperta habuit, hic larga manu Autor Celeberrimus exprimit, id imprimis agens, ut Codicum vetustiorum & maxime notabilium Lectori notitiam suppeditet. Hæc inter cum varia nobis obvenerint, scitu omnino dignissima, tum pergratum imprimis multis erit, cognoscere ordinem & prima verba Epistolarum *Platonis*, quæ longe alia sunt in Vaticanis Codicibus, quam in editione *Stephaniana*, ut minime sit dubitandum, si quis ad novam Operum *Platonis* editionem studium convertat, multum ei ex Vaticana gaza posse adjumenti expectari. Nec usu suo caret Catalogus ille Codicum Græcorum, quos olim exscribere Autori licuit, ordine Alphabetico concinnatus, & alius Historicorum & Poetarum, tam Græcorum, quam Latinorum,

T. I
pag. 1-
155.

1 seq.

3.

tinorum, ab egregio Vito, *Justo Fontanino*, Archiepiscopo An-
 cyrano, olim ad Autorem A. 1734 transmissus, quem comi-
 tatur accuratior notitia Codicum *Herodoti*, quotquot horum in
 illustrioribus Italix Bibliothecis asservantur, a Doctiff. *Vernao*,
 Genevensi cive, A. 1729 cum Autore communicata. Præci-
 puum vero post hæc locum occupant Codicum Græcorum,
 quos habet Bibliotheca Vaticana, Catalogus antiquus, & ob
 id minus plenus, cujus ex Bibliotheca *Colbertina* copia Auto-
 ri facta est; Notæ quorundam Codicum MStorum ejusdem Bi-
 bliothecæ, qui ad primum & secundum Ecclesiæ Seculum per-
 tinent; Catalogus MStorum Codicum Bibliothecæ Reginae Sue-
 ciæ, Romam olim translata, & cum Vaticana conjuncta; pag. 4.
 MStorum Codicum, qui olim *Alexandri Petavii* fuerunt, po-
 stea vero emtionis jure Reginae Sueciæ cesserunt, & cum hujus
 Bibliotheca Romam sunt translati, Catalogus Alphabeticus, A.
 1660 adornatus, Vitis inprimis Sanctorum ditissimus, qui,
 etsi partem maximam in Catalogo, modo nominato, legatur,
 ob id tamen, quod illo altero accuratius confectus, & Codi-
 cum copia sit instructior, non immerito seorsim hic comparet;
 denique præcipuorum Codicum MStorum Bibliothecæ Vati-
 canæ designatio, ex *Tomis sex* Indicis Vaticani collecta, quam
 ornant tum Codicum selectus, tum plenissimus Operum *Nice-*
phori Gregoræ index, & variæ Lectiones ad Chronicon *Euse-*
bi, a *S. Hieronymo* Latine redditum, ex quatuor Seculi XIII
 & XIV Codicibus descriptæ. Vaticanam sequuntur minores aliæ
 Romanæ: Archivii Basilicæ *S. Petri*; Archivii *S. Isidori*; *Val-*
licellana; Cardinalium *Anthonii & Caroli Barberinorum*; *Chig-*
gia, cujus cimelium est Codex *Dionysii Halicarnassæi*, omnium,
 qui usquam existant, præstantissimus; Cardinalis *Imperiulis*; *Stu-*
siana, Chartis inprimis, quæ pertinent ad Ecclesiam Cajeta-
 nam, abundans; Cardinalis *Ottoboni*; Tabularii Basilicæ *Con-*
stantiniana *S. Salvatoris* in Laterano, cujus maxime memora-
 bilis est Codex, quo Homiliæ & Sermones veteres magno nu-
 mero continentur; *S. Crucis* in Jerusalem, quam qui ornant
 nunc Codices, ex diversis olim Ordinis Cisterciensis Monaste-
 riis ab Abbate *Hitarione Rancato* sunt collecti; Patrum *S. Basilii*,
 cujus

Pag. 4.

5.

14.

ibid. &
 pag. 96.

98.

144.

146.

156.

159. 170.

171.

174.

175.

183.

191.

193.

- Pag. 194. cujus Codices potiores, maxime vero continentem *Gregorii Nazianzeni* opera, & alium, quo Nomocanon *Doxopatri* continetur, non descriptum tantum, sed annotationibus etiam
199. criticis & literariis exornatum, hic videas; Monasterii Cryptæ ferratæ, cujus notari merentur Epistolæ *Ifidori Pelusiotæ*, & S.
200. *Maximi* opera; Congregationis S. *Mauri*, cujus Codici Epistolarum *Phalaridis* adjecta est Epistola *Francisci Aretini* ad *Franciscum Patavinum* (sine dubio *Barbarum*), quæ integra
- ibid. hic legitur; alia denique, cujus sibi nomen excidisse ait *Montfauconius*. Harum omnium Catalogi, alii aliis breviores, hic
203. leguntur, velut Appendicem post se trahentes Indicem Literarum & Diplomatum, quæ sunt in Castro S. Angeli in Camera
- 215.217. Theaurarii, & alium Codicum Bibliothecæ Cassinensis, quæ & ipsa nobilioribus Italiæ annumeratur. Romanas Neapolitanæ excipiunt, Olivezanorum, Valleræ, Augustinianorum S.
230. *Joannis de Carbonaria*, & Monasterii S. *Severini*, singulæ ipsam
231. urbem Neapolim illustrantes, Codicibus non adeo multis, at
233. satis bonis, instructæ. Sed illustriora utique Musarum domicilia Etruriæ metropolis, Florentia, ostendit, quam, si decus nullum aliud haberet, vel sola *Laurentiana*, illa Bibliothecarum velut regina, pluteis LXXXVIII magnum antiquissimorum Codicum thesaurum continens, ad eam gloriam, quæ putari potest maxima, extolleret. Hujus postquam præcipua ornamenta, a se
237. ipso olim inspecta, ante oculos Lectorum posuit *Montfauconius*,
- 239-413. amplissimum Catalogum exhibet, a duobus viris doctis ita adornatum, ut præstantissimorum Codicum tam ratio externa, quam internum pretium, copiose indicetur. Ubi cum de ceteris multa accurate sint prolata; miramur, de Pandectarum Codice Pisano, quo Bibliotheca illa pretiosorem non habet, sed quem eo, quo par erat, studio a se inspectum ipse negat
413. *Montfauconius*, nihil hic dici, nisi quod ex *Brenemannii* Historia Pandectarum dudum omnibus constabat. Sed, cum in his, quæ maxime expetebamus, parcus est, eodem tamen in loco illud nos docet, quod & ipsum jucunde cognoscimus, existare Parisiis in Sangermanensi Bibliotheca *Pandectarum* Codicem, sexcentos circiter annos habentem, aliqua ex parte mutilum,

illam, sed cujus lectiones non uno in loco illis Florentini multo meliores sint habendæ; in *Colbertina* autem *Pandectarum* opus tribus *Tomis* comprehensum inveniri. Præter *Laurentianam*, non ignobiles sunt Florentiæ Camaldulensium B. *Mariæ de Angelis*, Monasterii Benediclinorum B. *Mariæ*, Canonico-regularium Fesulanorum, S. *Marcii* Dominicanorum, S. *Mariæ Annuntiatae* Ordinis Servorum B. *Mariæ*, & Monasterii S. *Bartholomæi Fesulani*, Bibliothecæ, quarum Codices MStos partim ex propria inspectione, partim ex Catalogis, secum communicatis, recenset & describit Autor. Florentinis accedunt vicinarum urbium Bibliothecæ, Bononiensis Canonico-regularium, itemque alia Dominicanorum; & Cesenensis Fratrum Minorum, quæ olim *Malatellarum* fuit; quibus subjicitur Ravennatense Tabularium, Bullis & libris Pontificum, Chartisque omnis generis, refertum. Inde Noster ad Venetos digreditur, quorum princeps sine dubio Bibliotheca est illa S. *Marcii* dicta, cujus cum nobilissimam nunc partem faciant *Bessarionis*, Cardinalis, Codices, horum Catalogus, ab homine non imperito confectus, cum Epistola *Bessarionis* ad Senatum Venetum, qua suam ei Bibliothecam dono offert, ex *Colbertinæ* Codice MSto hic excerptus legitur. Ex parte reliqua splendidissimæ hujus Bibliothecæ, paucissima sunt, quæ excerptis Noster, ejus olim, ut videtur, adeundæ facultate destitutus. Profert deinde memorabilia nonnulla ex ceteris Venetorum Musæis: *Gri- mano*; *Melerii Typaldi*, Archiepiscopi Philadelphia; Dominicanorum, cujus rarissimus est Codex S. Evangelii *Marcii*, quem vulgo avtographum esse S. *Marcii* dicunt, & cui similem, quod ad externas antiquitatis notas, ipse sibi visum *Montfauconius* negat; porro *Antonii Capelli*, cujus notabile Diploma, incunte, ut videtur, Seculo octavo scriptum, partes litigantes aut Gothos, aut Langobardos, judices vero Romanos, exhibens, hic & integrum adducitur, & erudite illustratur; *Tarvisiano*, rerum Venetarum Scriptorem habente omnium antiquissimum, & singularia multa continentem; denique Procuratoris *Justiniani*, cujus Codices maximam partem Græci sunt, & ex ipsa Græcia adveñti. Pergit Autor ad Bibliothecas Patavinas, quibus

bus nulla urbs Italiæ numerosiores habet. Harum præcipuas, quæ sunt Ecclesiæ Cathedralis; S. *Joannis* in Viridario; Cœnobii S. *Justine*; S. *Augustini*; S. *Antonii*; S. *Francisci*; Fratrum S. *Ursule*; PP. Eremitarum; S. *Mariæ* Montis Ortoni; Theatinorum; *Benedicti Silvatici*; *Laurentii Pignorii*; *Flavii Querengi*; *Candorum*; *Zabellarum*; *Corradinorum*; *Hippolyti Oaldi*; *M. Antonii Gabrielii*; *M. Mantuæ Benavidii*; *Hieronymi Gualdi*; *Jo. Franc. Barisoni*; *Caroli Avantii*; *Marci Bolzanini*; *Bernardini Plazzole*; *Nic. Trivisani*; *Barthol. Sanguinati*; *Bonifacii Papafavæ*; *Alexandri de Este*; *Ursati de Ursatis*; *Francisci Ursati*; *Manfredi de Comitibus*; *Jo. Franc. Musati*; *Jo. Pauli Turvisii*; *Alexandri Synclitici*; *Canilli de Merzariis*; *Attilii Bulgelii*; *Hieronymi de S. Sophia*; *Alberti Zuchati*; *Jo. Bapt. Ficheti*; *Jac. Caimi*; *Jac. Phil. Thomasini*, & *Jo. Rhodii*, olim singulari Opere, Utini A. 1639, 4, edito, descripsit *Jac. Phil. Thomasinus*, cujus labore Noster in rem suam usus, excerpta inde selecta quæque dedit, his addens nonnulla de S. *Justina* Bibliotheca, a se ipso observata. Similiter, quæ de 484. Veronensibus Musæis habet, ex Celebrissimi Viri, *Scipionis* 490. *Maffæi*, *Parte tertia Veronæ illustratæ* huc translata sunt. Panditur inde Ambrosiana urbis Mediolanensis Bibliotheca, inter præstantissimas, quod nemo nescit, suo jure numeranda, cujus 491. triplex hic, Græcorum, Latinorum, & Italicorum, Codicum index, ab homine artis non satis perito concinnatus, 527. notæ item & observationes, ab ipso *Montfauconio* A. 1698 inde 531. descriptæ, leguntur. Huic adjunctæ sunt Ducis Mutinensis, & quæ omnium Italicarum postrema est, Monasterii S. *Benedicti Padolironensis*, Bibliothecæ, sed quarum Codices *ibid.* Noster non adeo multos, etsi hos notatu satis dignos, profert. Proximum ab Italia locum tenet Germania nostra, sed cujus Bibliothecæ hic tam paucæ nominantur, ut ignaris istarum rerum lectoribus, cum videant, in nostris rebus, quod laudaret, tam parum habuisse *Montfauconium*, sterilibus possit Germania & omnium rerum incuriosa putari, multoque adeo consultius fuisse videatur, tacere prorsus de Germania, quam ita leviter & negligenter dicere. Nobis vero, animadvertentibus

hanc

hanc paupertatem, facillimum est judicatu, si in rebus suis tales, quales nos in nostris, lacunas gentes aliæ detexerint, Opus hoc nihil posse minus, quam plenum & omni ex parte absolutum, dici, & Bibliothecarum notitia carere Nostrum, quæ, si non omnibus, saltem *Montfauconio*, heroi illi literario, esse notissimæ debebant. Quarum hic mentio facta est, Bibliothecæ non nisi quinque sunt, ideo feliciores ceteris, quod publicos, & in omnium manibus versantes, Codicum suorum Catalogos ostendant: Cæsarea Vindobonensis, cujus Codices MSti ex magnis *Lambecii* & *Nesselii* Commentariis recensentur; Ingolstadiensis Serenissimi Bavariæ Ducis, cujus Codices Græcos, facile apparet, hic exhiberi ex Catalogo, Ingolstadii A. 1602 in 4 edito, etsi nihil hujus rei, quod miramur, nos doceat Cel. Editor; Augustana, cujus divitiæ ex Catalogo quodam, A. 1595 Augustæ Vindelicorum publicato, (sed quidni potius ex *Elie Ehingeri* Catalogo, eadem in urbe A. 1633 forma majore edito, & quod nemo nescit, diligentissime confecto?) lectorum ante oculos ponuntur; Lipsiensis nostra Academica, sive *Paulina* dicta, ex cujus Catalogo Codicum MStorum, A. 1686 (non, quod hic habetur, 1636,) a *Joaehimo Vellero*, Academiæ Bibliothecario, publici juris facta, hic excerpta quædam leguntur, in quibus an eum Autor, quem debebat, adhibuerit delectum, veremur, ne dubitaturi sint multi, quibus alia præter meritum omiſsa, alia temere adjecta, videbuntur; denique Gothana Ducis Serenissimi *FridERICI II*, cujus Indicem MStorum Codicum A. 1714 edidit Cel. *Ern. Sal. Cyprianus*, hic in compendium redactum. Itaque de selectissimis tot aliis Bibliothecis, loco non sane infimo habendis, Berolinensi Regia, Francofurtana ad Oderam, Hannoverana, Wolfenbuttelana, Quedlinburgensi, Vinariensi, Iſenacensi, Vratislaviensibus, & ea ipsa, quam urbis nostræ Senatus prætoriiis sumtibus extruxit, magnoque advenarum plausu in dies splendidiorem facit, quarum omnium MSti Codices aut in Catalogis, facile cuique obviis, leguntur, aut, si tanti putasset *Montfauconius*, aliquid temporis commercio literarum tribuere, ex illarum præfectis facile cognosci potuissent, adeo,

Pag. 592.

587.

593.

594.

599.

quod commemoraret, nihil habuit Vir Celeberrimus, ut harum ne quidem nomina hic indicaverit. Tacemus alias hominum privatorum Bibliothecas, *Uffenbachianam*, *Kraffianam*, & *Menckonianam*, quarum Indices, dudum editi, Codicum MStorum numerosissimum & plane regalem apparatus ostendunt. Non hæc pluribus exprobrabimus doctissimi Autoris manibus; sed illud tamen ab ejus, si quem nunc nostrarum rerum sensum habet, æquitate postulamus, ut, sui fuisse hoc in loco muneris, agnoscat, nihil dare patriæ amori, & cavere inprimis, ne ulla exterarum gentium, negligentius se habitam, jure posset conquiri. Quis enim, cum viderit in hoc Opere uni Galliæ tantum spatii datum, (integrum enim *Tomum alterum* hæc implet,) quantum vix omnibus aliis regionibus, in eam statim sententiam deveniat, aut exiguum esse extra Galliam literarum & librorum studium, aut de alienis parum sollicitum fuisse *Montfauconium*, quorum alterum injuriam est in exterorum merita, alterum & famæ Autoris, & pretio hujus Operis, haud parum officit. Monenda hæc duximus, si forte suppleri aliquando in nova hujus Operis editione possint; jam ad cetera pergamus. Cum Germania fata eadem Belgium habuit, cujus cum plurimæ sint, nec ex ignobiles, Bibliothecæ, Lugdunensis, Amstelodamensis, Trajectina, Franeccerana, & quæ non aliæ? una Lugdunensis digna visa est Autori, quæ hic locum inveniret.

- Fig. 601. Quæ vero causâ sit, cur Musei hujus singularia ex *Spizelii* potius *Bibliothecarum illustrium arcanis retectis*, quæ tantum vetustiora continent, quam ex ipso ejus *Catálogo*, A. 1716 Lugduni edito, & satis diligentè confectò, petenda Autor duxerit, non videmus; nisi forte pauca illa, quæ de
602. libris MStis Arabicis, ex Oriente a *Jac. Golio* advectis, & de
603. aliis, e Mauritania allatis, hic leguntur, ex *Catálogo* illo decerptas. Ex privatis Batavorum Bibliothecis in hanc collectionem migrare contigit ei, qua usus olim fuit, aut adhuc utitur, Leodii L. B. de *Crassier*, quæ inter cimelia sua Codicem precum, Græce scriptum, mille annis antiquiorem, & alium quatuor Evangeliorum, habentem annos plus quam nongentos,
604. rarissimos item quosdam Codices membranaceos, numerat,
605. quorum

quorum Catalogum ipse eorum possessor A. 1733 confecit. Nec Helvetiæ interessè huic celebriorum gentium conventui liceret, nisi Basileensis Bibliothecæ Codices in libro, paulo ante indicato, *Spizelius* dedisset, quos hic ad verbum repetitos legimus. Hispaniam Scorialensis ipsius Regis Bibliotheca nobilitat, cujus qui hic exhibetur, amplius satis, & ad Alphabeti ordinem confectus, Index MStorum, unde venerit in manus *Montfauconianas*, ne verbo quidem docemur. De Anglia nemo dubitat, hanc *Tomii* integri posse materiam sufficere; sed non ita visum Autori nostro, qui magnas illas MStorum Codicum velut cohortes, quas *Dav. Casley* in *Catalogo MStorum Bibliothecæ Londinensis regie*, A. 1734 edito, *Thomas Smithius* in *Catalogo MStorum Bibliothecæ Cottonianæ*, foras exire iussit A. 1696, & Anonymus quidam Autor in *Catalogo MStorum Angliæ & Hiberniæ*, Oxoniæ vulgato A. 1697, & quos Magnæ Britannicæ Bibliothecæ habent varios ac nobiles, Codicum notitiam suppeditante, spectandas admirandasque exteris dederunt, paucissimarum plagularum spatio contraxit, nulla Codicum Collegii Corporis Christi Cantabrigiæ, quorum Catalogus Londini A. 1722 prodiit, Bibliothecæ item *Tenisonianæ & Dugdalianæ*, quos in Indicem relectos Oxoniæ A. 1692 scimus, ratione habita. Huc usque procedit Operis *Montfauconiani prior Tomus*, cui Appendicis loco accessit Catalogus MStorum librorum Bibliothecæ Cardinalis *Sfortiæ*, omissus in Italicorum indice, cujus ex Bibliothecæ Cardinalis *Chigii* Codice quodam MSto copia Autori facta est.

Quem nunc in manus sumimus, *Tomus alter* soli Gallicæ dicatus est, & si industriam Editoris spectes, *priori* illi multis modis preferendus videtur. Nam, quod ad Bibliothecas attinet, in his vestigandis diligentissimum fuisse *Montfauconium*, vel numerus earum docet; de ipsa vero Codicum præstantia & raritate pleniores utique, quam in *priore Tomo*, annotationes hic comparent. Nos igitur, etsi jam satis longi fuimus in Opere hoc recensendo, tamen, ne quis idem nobis exprobrat, quod *Montfauconio* multi exprobrabunt, fuisse nos eorum, quæ foras geruntur, quam quæ pertinent ad nostram gloriam,

Pag. 607.

616.

625.

634.

641.

693.

riam, minus curiosos, non prius deponemus manibus hoc Opus, quam Bibliothecarum, quibus jure gloriari potest Gallia, nomina dederimus, & rariorum Codicum, si non omnium, eorum saltem, qui tanquam caput esserunt præ ceteris, aliquod indicium fecerimus. Eminent non inter Gallicas tantum, sed inter omnes, quotquot celebrantur unquam, Bibliothecas illa, toto terrarum orbe clarissima, Parisiensis regia, quæ & suo olim satis splendore effulsit, & nunc, cum aliis Cardinalis *Radulphi, Caroli de Montchal*, Archiep. Tolosani, *S. Martialis Lemovicensis*, inprimis vero *Colbertina*, conjuncta, ditata etiam Armenianorum Græcorumque Codicum, quos Constantinopoli A. 1730 attulit Abbas *Sevinus*, & itineris comes datus *Fourmontus*, junior, tantam, quanta haud esse major potest, celebritatem nacta est. Cujus etsi accuratum & complurium Voluminum indicem, non impressos tantum, sed MStos etiam, libros, diversis autem singulos Voluminibus, exhibentem, magno hominum doctorum gaudio, nuper edere susceperint præstantes quidam & de literis optime merentes Gallia cives; non inanem tamen ipse *Montfauconius* hoc etiam in loco insumsisse operam putandus est, quod alterum illud Opus, ipsius sumtu Regis magnificentissime excusum, in paucissimorum manus sit venturum, nec tam inter sit rei literariae, libros & MSta, quotquot exstant, omnia, quam selecta tantum & maxime notabilia, scire. Non eodem omnia Catalogo complexus est Noster, sed, cum varia, ut diximus, Bibliothecæ quasi partes sint, primum ipsius regiae, non cum illis accessionibus spectatæ; postea Cardinalis *Radulphi*, cujus index in *Colbertina* MStus asservatur; inde *Caroli de Montchal*, Tolosani Archiepiscopi, & *Colbertina*, Codices recenset; tum Armenianorum indicem, ab Abbate *de Villefroy* concinnatum, & pulcherrimis annotationibus illustratum, & alium Græcorum, ex Oriente advectorum, exhibet; postremo loco Bibliothecæ *S. Martialis Lemovicensis* memorabilia adjungens. Nec nudos Codicum titulos dedit, sed, cum plurimorum sedulus spectator fuerit, de his quicquid olim singulare observavit, diligenter indicavit; quam operam in describendis inprimis

Diosco-

T. II
 pag. 709.
 766.
 896.
 922.
 1015.
 1027.
 1033.

Dioscoridis Operibus, uncialibus characteribus nono, ut vide- Pag. 728.
 tur, Seculo in Ægypto exaratis, Liturgiis duabus Græco-Ara- 737.
 bicis, itidem ex Ægypto allatis, memorabili illo Codice *Pe-*
trouii Traguriano, in quo *Cæna Trimalchionis* continetur,
 quem conitat multis & acerrimis eruditorum controversiis oc- 758.
 casionem dedisse, *Simonis de Phares* Elogiis celebriorum Astro- 791.
 logorum, Gallico sermone scriptis, *Eudocie Macrembulitissie*, 924.
 Imperatricis, libro, *Iónæ* inscripto, qui luce, si quis alius, di-
 gnissimus habetur, *Vitis Sanctorum* mensis Maji, Junii, Julii,
 & Augusti, non quas *Simeon Metaphrastes* concinnavit, sed 925.
 his multo antiquioribus, Chartulario Monasterii de Sacro Por- 964.
 tu, sive de Barbellis, Inscriptionum antiquarum, quæ chara- 973.
 ctere unciali exarata, & magnam partem incognita sunt eru-
 ditis, integra collectione, Chartulario Comitum Campaniæ, 975.
 Epistolas eorum 441, ab A. 1210 ad A. 1246 scriptas, con-
 tinente, &, ne nimis copiosi simus, *Guidonis de Vigevano* 1011.
Thesauri Regis Franciæ, acquisitionis Terræ sanctæ de ultra
 mare, nec non sanitatis corporis ejus, & vitæ ipsius prolonga-
 tionis, ac etiam cum custodia propter venenum, præclare po- 1015
 suit. Sunt etiam de Armenianis libris, horumque antiquitate, 1025.
 & de varia Armeniorum eruditione, utilia multa annotata ab
 Abbate *de Villefroy*, quæ harum literarum studiosi cum volu-
 ptate legent. Quod vero *Librum primum Strabonis* cum Codi-
 ce MSto bombycino, Sec. XII vel XIII a perita manu scripto,
 & A. 1732 ex Oriente advecto, contulit, variasque lectiones 1027.
 huc transfcripsit *Montfauconius*, id, nemo non intelligit, quam
 sit præclare & ex commoto lectorum factum. Ad Regiæ glo-
 riam proxime accedit, quæ hic locum secundum tenet,
 Bibliotheca Benedictinorum Congregationis S. *Mauri*, seu
 Monasterii S. *Germani a Pratis*, Autori nostro quodammo-
 do propriæ, cui similis, si copiam spectes Codicum, literis un-
 cialibus descriptorum, quorum hic plus quam viginti compa-
 rent, nulla est. Crevit autem imprimis insigni accessione *Cois-*
linianæ, quam olim singulari Opere, eoque doctissimo, descri- 1042.
 psit Noster, & cujus varii hic Catalogi leguntur. His, sepa- 1046.
 rata opera, accedunt ipsius Monasterii Codices, inter quos præ-
 cipuum

- Pag. 1067. cippum decus habet, qui partem Epistolarum S. *Augustini* complectitur, in charta papyrea *Aegyptiaca* literis uncialibus elegantissime scriptus, & alius, recentior, *Ludovici XI* aetate scriptus, quo numerorum ratio explicatur, & varia, ipsi *Blanco*. Operis de *Monetis Gallicis* scriptori, non memorata, continentur. Jam, priusquam, quod restat Bibliothecarum, percurreret, visum est Auctori, legenda nobis dare varia, quorum
1084. noticiam multis putavit gratissimam futuram; nimirum *Antonii Pougès* ex Congregatione S. *Mauri* Monachi, Annotationes in Chronica *Eusebii*, quæ in *Colbertina* exstant; Epitomen Historiæ,
1123. a *Nethario Cretensi*, Patriarcha Hierosolymitano, Græce descriptæ, quam a multis jam annis in Latinum Noster transtulit; Apographum aureæ instructionis & Constitutionum Synodali-
1143. editarum ab *Augerio*, Conseranensi Episcopo, ad informationem & reformationem totius & universi Cleri; Excerpta ex veteri Hagiologio S. *Benigni*, Divionensis, XII circiter Seculo scripto, & alia ex veteri Necrologio ejusdem Cœnobii S. *Benigni*,
1150. Divionensis; Notas *Eusebii Renaudotii* in Bibliothecæ Regiæ Codicem Græco-Arabicum, Liturgias duas continentem, sed
1154. quas miramur hic repetitas, cum iisdem jam verbis descriptæ
1157. supra pag. 737 leguntur; denique brevissimum Codicum Hebraicorum indicem, quos ipse olim Auctor A. 1698 Massilix ex Bibliotheca Equitis d' *Ervicux* excepit. Jam suo ordine alii Catalogi sequuntur; & quidem Codicum Arabicorum,
1160. Persicorum, Turcicorum, Copticorum, Æthiopicorum, &c. qui olim fuerunt D. *Abrab. Hinckelmanni*, jam vero in *Jo. Christoph. Wolfii*, Pastoris S. Catharinæ Hamburgensis, aut potius, hoc ante aliquot annos extincto, in fratris Clarissimi, *Johannis Christiani*, Bibliotheca exstant; Hebraicorum, quos olim *Zach. Conv. ab Uffenbach*, Consul Francofurtanus, nunc idem, quem modo diximus, *Jo. Christianus Wolfius*, tenet; variorum Monasterii Murbacensis in *Alfaria*; Archivi S. *Deodaten*sis, vulgo S. *Diez*; Monasterii S. *Michaelis* in Diœcesi *Verdunensi*; Monasterii S. *Petri* Senoniensis; Mediani Monasterij in *Vosago*, Ordinis S. *Benedicti*; Bibliothecæ *Nicolai Claudii Fabricii Peirescii*, fama & doctrina summi, cujus nunc pars maxima in bonis est Illustrissimi

<p> <i>Præsidis, Henrici Josephi de Muzaugues; Abbatia S. Vincentii, quæ Vesontione est; Fontanellensis Ecclesia, cujus majus Chronicon Fontanellæ, e sparsis in Chartophylacio foliis membranaceis ab Augustino de Broise, Monacho Congregationis S. Mauri, A. 1639 collectum, & A. 1735 in meliorem ordinem redactum, plurima, scitu utique dignissima, momenta habet; Ecclesiæ cathedralis Rotomagensis, & ejusdem urbis Monasterii Capucinatorum; Cathedralis Suesionensis, & in eadem urbe Monasterii S. Medardi, nec non Abbatiarum S. Mariae, & Longi Pontis; Abbatia S. Cornelii in urbe Compendio; Bibliotheca Illustrissimi de Agrifolio, Præsidis curiæ rationum in urbe Mons Pefulanus dicta; Abbatia S. Petri de Selincurte in diocesi Ambianensi; Monasterii porro S. Trinitatis de Vindacino; Monasterii Gemmeticensis; Bibliotheca S. Vincentii Cenomanensis, & S. S. Sergii & Bacchi; Monasterii S. Albini Andegavensis, & S. Sulpitii Bituricensis; Abbatia S. Theodorici prope Remos; Monasteriorum S. Audoeni Rothomagensis, S. Guillelmi de Desferro, S. Petri de la Reolle, de Cumes in Languedocia, Fiscanensis, B. M. de Crassa, S. Petri Carnutensis, SS. Trinitatis Tironiensis, S. Martini Sagiensis, B. Mariae de Becco; Bibliotheca Lyeana, diocesis Ebroicensis, S. Petri de la Couture, S. Illidii Claromontensis, S. Petri Pratellensis, S. Ebrulphi Uvicensis, & S. Gatziani Turonensis. Succedunt Codices MSti antiqui, non additum loci, ubi asseruntur, judicium habentes, & alii deinde Bibliotheca Ranchiniani, Consiliarii; Divio-Benigniana; Monasterii S. Queni; Bigotiana; Monasterii Beccensis; Abbatia Royaumontensis, & S. Remigii, Rhemensis; Canoniorum regularium S. Dionysii Remensis; Monasteriorum Altvillarensis & Radoliensis; Ecclesiæ Bellovacensis; Cathedralis Laudunensis; Bibliotheca Clariff. Vaulerri, & quæ nunc Regiæ adjuncta est, Baluziana. Inde profert Noster indicem alphabeticum Autorum & eorum, quæ præcipua in MStis Codicibus Græcis Cardinalis Mazarini continentur; Codices Bibliothecæ Præsidis de Mesue; Monasterii S. Trinitatis prope Constantinopolim in Insula Χαλκηῖ dicta; aliorum etiam Monasteriorum: Montis Dei; S. Martini de Se'e's; Lerinensis; Pratellensis; Pontiniaci; B. M. Deaurata Tolosana; S. Remigii Rhemensis; </i></p>	<p> Pag. 1189. 1195. 1196. 1197. ibid. 1202. 1204. 1217. 1216. 1219. 1229. 1230. 1237. 1240. 1241. 1242. 1243. 1247. 1250. 1256. 1261. 1262. 1265. 1267. 1272. 1278. 1281. 1285. 1287. 1288. </p>
---	---

- Rhemensis; Ecclesiæ *S. Martini Turonensis*; Saviniacensis Abbatia
 Pag. 134. Ordinis Cisterciensis; Abbatia Fulcardi Montis; Bibliothecæ
 1343. Vallis Lucenûs; *Boubierii*, in suprema Divionensi Curia Præ-
 1345. fidis; *Jolii*, Viri Clarissimi; Monasterii *S. Quintini* Belvacen-
 1346. sis; *S. Jacobi Leodiensis*; *S. Laurentii Leodiensis*; *Tbuana*;
 1347. Crassensis; Carcaſsonæ; Cœnobii Lirinensis; Fratrum Prædi-
 1348. catorum Claromontii in Arvernia; Monasterii *S. Michaelis* in
 1350. periculo maris; Ecclesiæ *S. Trinitatis* de Exaquo; Cathedralis
 1351. Bajocensis; Monasterii *S. Petri Carnutenſis*; Ecclesiæ *S. Mar-*
 1352. *tini de Albamarla*; Cathedralis Lexoviensis; P. P. Franciscano-
 1353. rum Cadomentanorum; Prædicatorum Carnotensium; Cathe-
 1356. dralis Ebroicensis; Bibliothecæ Clarevallensis, cujus Catalogum,
 1361. a se doctissime concinnatum, cum Cel. Autore communicavit
 1362. *Jo. Delannes*, Clarevallensis Monachus; Bibliothecæ *S. Victo-*
 1363. *ris Parisiensis*, ex cujus indice amplissimo, in Bibliotheca Re-
 1364. gia conspicuo, non inutilia quædam excerptit Noster; deni-
 1365. que Ecclesiæ Cathedralis Metensis, cujus Codices & multi sunt,
 1369. & in magno pretio habendi. His Catalogis comitem dedit
 1376. *Montfauconius* Epistolam *S. Bernardi utilissimam & moralissi-*
 1384. *mam de gubernatione familia*, in editione Operum *Bernardi*,
 a Monachis Congregationis *S. Mauri* publicata, non obviam,
 sed ex antiqua editione, cujus hic nec locus, nec tempus, in-
 dicatur, ab *Augustino Calmeto* excerptam, cum Gallica ejus
 interpretatione, ab ipso *Bernardo* adornata, & ex antiquo Co-
 dice Abbatia Senoniensis in Vosago excerpta, aliam item ejus-
 dem *Bernardi* ad *Reymondum*, Equitem Castellii Ambrosii, Gal-
 licam Epistolam, ex vetusto Codice descriptam. Post hæc
 1393. locum dedit Noster Excerptis Catalogi MStorum Regis Sardi-
 niæ, quem cum Nostro communicavit illius Bibliothecæ præ-
 1402. fectus, *Josephus Roma*, Ordinis Minimorum, in Taurinensi
 Academia Professor Regius, nunc emeritus, ex cujus etiam Epi-
 stola de Codice Operum *Lactantii*, in tabulario Regis Sardi-
 niæ latitante, excerpta quædam hic leguntur. Inde partem
 1403. profert Catalogi MStorum R. R. Patrum Oratorii, in vico *S.*
Honorati Lutetia Parisiorum, a Rev. P. *des Molets* eruditus an-
 1406. notationibus illustrati. Omnium, quas amplissimum hoc Opus
 capit,

capit, Bibliothecarum ultima est, quæ Monasterium S. Petri Corbejenſis ornat, magna Codicum copia inſtructa, quorum catalogum Rev. *Joſephus Avril*, illius Cœnobii Prior, facile *Montfauconii* & orbis eruditi uſibus conceſſit.

TRAJECTUM ERUDITUM, VIRORUM DO-
ctrina illuſtrium, qui in urbe Trajecto & regione Tra-
jectenſi nati ſunt, ſive ibi habitarunt, vitas, fata, &
ſcripta, exhibens, Autore CASPARO BUR-
MANNO, Trajectino.

Trajecti ad Rhenum, apud Jurianum a Paddenburg, 1738, 4.

Alph. 2 plag. 18 $\frac{1}{2}$.

Et honori patriæ conſuluit, & Historiam literariam amplificavit, hoc libro Vir Ampliſſimus, notus jam orbi literato ex *Analeſtis hiſtoricis de Papa Hadriano VI*, quæ A. 1727 edidit. Nec vero illos ſolum hic exhibet literatos, quos procreavit Trajectum, ſed eos quoque ex alienigenis, qui præclaram hanc urbem illuſtrarunt qualicumque ingenii doctrinæque gloria. Et de unoquoque quidem exhibet, quicquid inſtigatione longa diligentique cognoscere potuit, ſingula etiam ſingulorum ſcripta recensens accurate. Qui vel *Voetium* hic quæſiverit, aut *Grævium*, aut *Utenbogardum*, fatebitur, nihil doctiſſimum Autorem feciſſe reliqui, ut ſuſcepto rite deſungeretur munere. Noſtrum eſt, clariores nominare, qui hoc in theatro exhibentur; quorum cum alii ante religionis reformationem vixerint, alii recentiori ævo, e prioribus tres præcipue digni videntur mentione noſtra. *Adelboldus* primum hic locum tenet, Seculi undecimi Episcopus Trajectinus; cui tamen quam tribuit Noſter *Vitam Imp. Henrici II*, eam abjudicat *Basnagius Tomo III Leſt. Canif. P. II pag. 25 ſeq.* Præter hunc hic etiam e veteri ævo occurrunt *Joannes de Beka*, decimi quarti Seculi ſcriptor hiſtoricus, & *Bernardus*, duodecimi Seculi Poeta; quem eſſe putamus eum, cujus multos verſus ſuis ad *Accoltum* annotationibus *Dempſterus* inferuit. Tranſimus ad recentiores, indicaturi Lectoribus noſtris, de quibus clarifi-

clarissimis viris ampla hic reperitur noticia. Prodeunt igitur hic *Antonius Æmilius*, Professor, (quo solo nomine hic a nobis designabuntur Trajectinæ Professores Academiæ,) m. 1660; *Theodorus Janssonius ab Almeloveen*, m. 1712; *Jo. Conradus Barchausen*, Professor, m. 1723; *Paul. Bauldry*, Professor, m. 1706; *Guil. Bestius*, m. 1719; *Francisci Burmanni*, pater & filius, Professores; quorum ille A. 1679, hic A. 1719, diem vidit supremum; *Guilielmus & Theodorus Canteri*, hic A. 1617, ille A. 1553, extincti; *Henricus Coccejus*, Professor, m. 1719; cujus filium, *Samuelem*, esse nunc unum e primariis Regis Borussiae Ministris, adjici potuisset; *Cornelius ab Eck*, Professor, m. 1732; *Joannes Ens*, Professor, m. 1732; *Andreas Essenius*, Professor, m. 1677; *Timannus Gesselius*, qui quo anno vita excefferit, non indicatur; *Jo. Georgius Gravius*, Professor, m. 1703; *Franciscus Hareus*, m. 1632; *Joannes & Otto Heurnii*, pater ac filius; quorum ille A. 1601 obiit, hujus annum mortis Noster omisit; *Joannes Hoornbeekius*, Professor, m. 1666; *Lambertus Hortensius*, m. 1574; *Michael ab Isselt*, m. 1597; *Friderv. Adolphus Lampius*, Professor, m. 1729; *Melchior Leidekkerus*, Professor, m. 1721; *Jo. Leusdenius*, Professor, m. 1699; *Gerardus Listerius*, scholæ Swollanæ Rector, Notarum in *Erasmi Moriæ* editor; *Gilbertus Longolius*, m. 1543; *Georgius Macropedius*, patrio sermone *Langefeld*, m. 1558; *David Martinus*, m. 1721; *Petrus a Maastricht*, Professor, m. 1706; *Anton. Mattheus*, Professor, m. 1654; & filius cognominis, *vir diligentissimus*, uti Noster ait, *sed judicio & doctrina multo inferior patre*, m. 1710; *Mattheus Nethenus*, Professor Theologiæ, hoc munere A. 1661 exutus ob editum contumeliosissimum librum in magistratum Groningensem & *Maresium*, Theologum, m. 1686. Infra tamen pag. 284 refertur, A. 1662 a synedrio Trajectino emissum fuisse librum, quo demonstraretur, *Nethenum* in isto scribendi genere longe superari a *Maresio*; quem ibi Noster ipse vocat *virulentissimi ingenii hominem, nulli fere illius ætatis Theologo parcentem, & inauditis calumniis religionem eorum suspectam reddere conatum.* *Cerb. Noodr*, Professor, m. 1725; *Albertus Pighius*, mortuus non
A. 1562,

A. 1562, quæ scriptio est errantis typographi, sed A. 1542; *Sam. Pitiscus*, m. 1727; *Georgius Ratallerus*, quem perperam *Rotatlerum* nominant multi viri doctissimi, m. 1581; *Christianus Ravius*, Professor, m. 1677; *Henn. Regius*, Professor, m. 1679; *Adrianus Relandus*, Professor, m. 1718; *Herm. Alexander Roelius*, Professor, mortuus eodem anno; *Heribertus Rosweidus*, m. 1629; *Guilielmus Saldenus*, m. 1694; *Martinus Schookius*, Professor, m. 1669; *Anna Maria Schurmannia*, m. 1678; *Cornelius & Jacobus Tollius*: quorum hic ad plures abiit A. 1696; *Cornelius Valerius*, m. 1578; *Lambertus Velthuisius*, m. 1685; *Gisbertus Voetius*, Professor, m. 1676; *Paulus Voetius*, Professor, m. 1667; *Gerardus de Vries*, Professor, m. 1705; *Jo. Uytenbogaartus*, m. 1644; *Herm. Wiersius*, Professor, m. 1708; *Ludov. Wobzogenius*, Professor, m. 1690. Ceterum, cum & suam passim interperferit Autor de laudatis a se scriptoribus sententiam, haud supervacaneum erit, quædam ejus judicia recitare. Pag. 176 de *Leidekkero* ita scribit: *Fuit vir multæ lectionis, & orientalium linguarum peritissimus, judicium tamen multi in eo desiderarunt, stilumque, barbariem meram redolentem, culpa-runt.* De *Antonio Matthæo*, seniore, sic judicat pag. 216: *Fuit Jureconsultus consummatissimus, imo, meo judicio, Academia Trajectina nunquam Professorem in Jure habuit, qui tanta omnium disciplinarum, & præcipue Juris, scientia imbutus fuit.* *Henricum Pontanum*, Theologiæ Professorem, A. 1714 mortuum, pag. 273 scribit, *obtrusum fuisse Trajectinis a Rege Wilhelmo III ob ductam in matrimonium sibiâam cujusdam, qui magna apud Regem illum gratia pollebat; fuisse enim imparem tanto oneri.* Pag. 295 vocat *Relandum* singulare ornamentum & decus *Academie Trajectinae*. De *Schookio* hæc est ejus pag. 328 sententia: *Scripta ejus probant, fuisse virum diligentissimum, verum judicio destitutum; neque ullum credo unquam Autorem existisse, qui tot libris editis minorem inter eruditos famam (dicere voluit gloriam,) consecutus est.* Ad ultimum e pag. 229 observamus, *Trajectinis* nostris perperam a nonnullis annumerari *Antonium Sebastianum Minturnum*, Italum quippe, in urbe regni Neapolitani *Trajetto* natum.

**PETRI WESSELINGII DIATRIBE DE JU-
dæorum Archontibus, ad Inscriptionem Berenicensem,
& Dissertatio de Evangeliiis, jussu Imp. Anastasii non
emendatis, in Victorem Turunensem.**

Trajecti ad Rhenum, apud Jurianum a Paddenburg, 1738, 8.
Plag. 12.

Qui, ab Eruditissimo *Wesselingio* nil nisi limatum, haustumque ex interioribus literis ac recondita doctrina, proficisci posse, adhuc sibi persuaserunt, illi, his Dissertationibus lectis, in sententia sua haud parum confirmabuntur. Ipse enim, laudatissima antecessorum suorum, *Duckeri, Burmanni, Grævii*, vestigia premens, non solum in scriptoribus profanis cum emaculandis, tum illustrandis, operam summa cum laude ponit, verum illas etiam res attingit, quæ, præter literarum Latinarum Græcarumque copiam, solis orientis opes deponunt. Documento esse potest utraque Dissertatio, cujus potiora momenta, quo ex fimbria de texto judicare possit Lector, enotasse juvabit.

- Prædicat quidem Cel. Autor nostri temporis felicitatem, quo gentis Judaicæ instituta, potissimum Synagogæ, in clariore luce sint posita; haud pauca tamen esse, quæ lumine adhuc egeant, subjungit. Ita, obscurum esse, arbitratur, quis per *patrem synagoga* sit intelligendus, nisi quis, a paterno, quo in gentis suæ
- Pag. 1-3. coetum ferebatur, affectu dictum esse, velit. In horum numerum rejicit Judæorum *Archontes*, quorum cum luculenta mentio fiat in Inscriptione Berenicensi, ab Illustriss. *Scip. Massejo & Boubierio* jamdum illustrata, illam integram exhibet, ac verba,
- 4-7. in illis occurrentia, obscuriora paululum, explanat. Docet igitur, *Paophi*, proximum a *Thot*, principio anni Ægyptii, in stabili & fixo Alexandrinorum anno maxima ex parte respondere Romanorum *Octobri*. *Metellitum* apud *Chrysozomum*, vel quisquis autor est Homiliæ in *Joannem*, quod pro *ακηνωπηγιοι* ponitur, esse ex Chaldaico *מטלתא*, quoniam in tabernaculorum tentoriis festos hos dies Judæi agere consueverint. *Augusto Tiberioque* imperantibus, plura Judæorum millia vel manumissione, vel pecunia, id obtinuisse, ut civium Romanorum numero fuerint adscripti.

adscripti. Καλὸς καὶ ἀγαθὸς apud Græcos recte dici, con- Pag. 9, 10 .
 tra *Suidam*, qui καλοκαγαθὸς mavult, testimoniis *Aristotelis*
 atque *Themistii* probat. Προσάτην illum esse, qui provinciæ 11, 12.
 præsit, & προεσσίαν munus illius denotare, *Philonis* & *Jose-*
phi testimoniiis firmat. Vocem ἀναεροφὴν pro ratione cum
 hominibus conversandi, vitæque instituendæ, scriptoribus Novi
 Test. familiarem, non tantum Judæis græcissantibus privam
 esse, verum etiam purioribus Græcis scriptoribus, *Polybio*, *Ar-* 13, 14.
riano, aliis, usitatam. Locutionem, ἀβαστὴ ἑαυτὸν παρέ-
 χεσθαι, quam etiam *Paulus* 1 *Cor.* XI, 9, adhibet, cum simili a-
 pud *Scobæum* & *Plutarchum* phrasi confert. Σύνοδον de Judæo- 15.
 rum cœtu, qui sacrorum causâ septimo quoque cogebatur
 die, ex *Phitone* & *Josepho* adstruit; in illo autem insolens non
 erat, ut bene meritos corona dignos publice predicarent. Co- 16, 17.
 ronis oleaginis apud Athenienses donabantur, qui rempublicam
 benefactis sibi obstrinxerant, quibus innectebantur *λημισκοί*,
fasciæ coloris purpurei, quibus amplius decus ipsis concilia-
 batur. Ψηφισματα etiam Judæos in illorum gratiam, qui de 17-19.
 ipsis bene meriti fuerint, scripsisse. Formulam λευκοὶ πᾶσαι,
 alias insolentem, in regione Cyrenensi haud insuetam fuisse, cui
 respondeat *Symmachi* albus calculus *Lib. I Ep. 96*. Inscriptio 19, 20.
 illa posita fuit in Amphitheatro oppidi Berenicensis, quorum
 cum duo hoc nomine inclyta fuerint, alterum Ægypti prope
 sinum Arabicum, alterum Cyrenes, haud procul Boreo pro-
 montorio, quodnam horum intelligendum sit, anquiri *Cap. III.* 20, 21.
Boubierius cogitavit de Berenice Ægypti, quoniam in Inscriptio-
 ne memoratur mensis *Paophi*, & *Titius* fuit præfectus Augu-
 stalis. Contrarium cum *Maffiæ* affirmat Autor, quoniam lapis
 hic, in Tripolitana Africæ urbe repertus, in Galliam Narbo-
 nensem fuerit translatus; probabile autem non esse ex Ægy-
 pto in Africam transvectum esse, nec inter præfectos Augustales,
 qui Ægypto, imperante *Tiberio*, præfuerint, aliquem nomine
M. Titium numerari, quod ex serie præfectorum demonstrat;
 potuisse autem præfesse Cyrenicæ regioni, quæ una cum Cre-
 ta insula ab uno eodemque præfecto fuerit recta. Quod por- 21-24.
 ro inde adstruit, quoniam in Pentapoli totaque Cyrene ingens
 Judæo-

- Judæorum numerus, a *Ptolemæo Lagi* traductorum, obque *Antiochi Epiphanis* vexationes mirum in modum auctorum, exstiterit. Nec obstare appellationem mensis *Paophi*. A quo tempore enim *Cyrene Lagidarum* imperio est adjecta, Ægyptiorum menses recepisse videntur, quod testimoniis *Synesi* Autor probat.
27. *Cap. IV*, autores Inscriptionis non Græcos, sed Judæos, fuisse, contra *Massejum* affirmat, quod adscripta *σκηνοπηγίας* festivitas & *Josephi Stratonis* F. nomen evincat, & Archontes ac tota Judæorum *Berenicensium* societas coronam & leioniscum, *Titio* decretum, sibi vindicent, nec a Judæorum consuetudine alienum sit, *Ψηφισματα* in præfectorum honorem condere, ac Amphitheatra adire. Id unum videtur ipsi difficultatem creare, qui dici possit, decretum, incisum columnæ, in altiori Amphitheatri loco positum fuisse. Quam ita expedit, cum tale quid sæpe fecerint in synagogis, quidni id ipsum a *Berenicensium* magistratu obtinuissent, quo ipsorum pietas in *Titium* conspectior foret. Fecisse id in tabernaculorum solennitate, quoniam illo tempore in provinciis res suæ societatis ordinare, magistratus novos eligere, quæque observanda erant, decernere, solebant. *Cap. V* tempus, quo Inscriptio exsculpta, expuat. Annus 55, qui nominatur, si numeratur ab anno U. C. *Varroniano* 659, a quo *Cyrenenses* libertate a Romanis sunt donati, illum, docet, in annum U. C. 714 incidere, quoniam autem dies 25 *Paophi* addatur, qui ob neglectum dierum intercalarium fixus non fuerit, sententiam hanc consistere non posse. Quod 2
- 34, 35. *Maccab. I, 9, 18*, dicatur de *σκηνοπηγία τῆ χαρσελεύ μηνός*, de extraordinaria solennitate, ad morem tabernaculorum festi celebrata, intelligendum esse. Quoniam vero, Ægypto ab *Augusto* A. U. C. 724 expugnata, Ægyptii annum fixum atque stabilem pro erratico atque vago ante acceperunt, annum hunc 55 anno U. C. 779 illigandum esse, licet præter Alexandrinos alii ex Ægyptiis priscum morem retinerent. Cum igitur probabile sit admodum, *Cyrenenses*, qui longe ante Romanis paruerant, interque illos *Berenicenses*, annum volubilem non dereliquisse, præterea tum temporis *Sejanus*, acerrimus gentis Judaicæ osor, adhuc superaret, qui *Titium* sua autoritate cohibuisset,

hibuisset, quo minus Judæis se adeo benignum præberet, tempus hoc non adeo certo definiri posse, concludit. *Cap. V Pag. 42.*
Ἀρχοντος Judæorum in lucem producere laborat. *Archisynagagos* non fuisse putat, quia tum sequeretur, novem Synagogas Berenicæ fuisse, quibus singulis suus Archisynagogus dandus. Berenicenses autem plures una Synagoga habuisse, verisimile non esse, cum una, eaque splendidissima, fuisset Alexandrinis, quos inter tamen longe major sit Judæorum multitudo commorata. Præterea præfectorum Synagogæ fuisse, curam sui coetus administrare, *Ἀρχοντος* autem Berenicensium communi tribulium suorum utilitati consuluisse. *Neque cogitandum esse de Archisynagogo, ejusque septem assessoribus atque Chastane, cum ultimus, viliori addictus ministerio, qui numero præsidium synagogæ interatur, dignus non sit. Masfesus, ut hos novem Ἀρχοντος efficeret, Josephum Ant. Jud. Lib. IV Cap. 8 §. 14 in subsidium vocaverat, qui, Mosén edixisse, memorat, ut per singulas civitates septemviri judices sederent, quibus adjungendi essent e tribu Levitica δύο ἀνδρες ὑπηρέται, ubi per ὑπηρέτας intelligi possint legis doctores ac interpretes, prioribus dignitate non inferiores; quo sensu etiam vox ὑπηρέτης veniat in Nov. Test. Luc. I, 2, IV, 20, (non 10, uti bis mendose scribitur,) Act. XIII, 5, 1 Cor. IV, 1. Levitas jure appellari posse ὑπηρέτας, concedit quidem Autor, sumi etiam vocem aliquando sensu excellentiori de Mosé, rege, magistratibus, apostolis, sed, tum illos respici, addit, quatenus vice Dei fungantur, ejusdemque inter homines ministri habeantur, non autem, ubi simpliciter ponatur, posse designare doctorem & oraculorum divinorum interpretem. Joannem ὑπηρέτην Act. XIII, 5, procul dubio Paulo & Barnabæ ad quotidiana officia, ipsi præstanda, adjunctum fuisse, ut Eliseus quondam Filæ. Qui Luc. IV, 20, nuncupetur ὑπηρέτης, fuisse ἱερέα, inferioris conditionis Synagogæ ministrum, adiatum. Josephum in l. c. per ὑπηρέτας utique intelligere ministros, qui magistratibus apparuerint. Mosén, cujus constitutionem explicet Josephus, tantum nominare מוֹשֶׁה וְשֵׁשׁ־עָשָׂר דֹּוֹרֵי מִשְׁפַּחַת לֵוִי. Qui posteriores a LXX Interpretibus recte exponantur per γερμ-
M m m ματοει-*

44.
44-46.
46, 47.
47 51.

- ματτειταγγελεῖς & γραμματεῖς, ut hinc per ὑπηρέτας apud *Josephum* sint intelligendi *scribae, magistratum ministri*, prout in *Cod. Sanbedr. Cap. IV, 3*, tradant, duos scribis summo senatui perpetuo adfuisse. Ad hoc tamen munus apud Judæos non electos esse, nisi qui honesto loco nati fuerint, quorumque fides & industria fuerit perspecta, *Cap. VI* docet, habuisse Judæos tum in terra sua, tum extra illam, magistratus suos, Ἀρχοντες δικῶς, quam libertatem vel gratia, vel largitionibus, ab Romanis impetraverint. Confirmat hoc literis *L. Antonii* ad Sardonios in causa Judæorum, quarum exemplum servavit *Josephus Ant. Jud. Lib. XIV Cap. 10*, & quarum exaratarum occasionem enarrat *Noster*. Alexandrinis Judæis ex concessione Lagidarum præfuisse ex gente sua Ἐθναρχὴν, nec *Augustum*, Ægypto in potestatem suam redacta, quidquam immutasse, nisi quod, ultimo ethnarcha fatis functo, γερουσία Senatus fuerit constitutus, (vid. *Philo in Flacc. pag. 975*) in quem qui allecū fuerint, illos omnes Ἀρχοντας appellatos fuisse. Ἐθναρχὴν a multis eundem haberi, qui *arabarcha*, quos inter nomen suum profiteantur *Valesius & Rhenferdus*. Ad hoc igitur argumentum *Cel. Aator* divertit *Cap. VIII. Arabarcham*, vocem hybridam, inter Judæos Alexandrinos græcissantes ex ארבעת כהנים enatam esse, *Rhenferdus* suspicatus erat. Quoniam autem ex locis *Philonis & Josephi*, inter se compositis, appareat, *arabarchas*, sive *alabarchas*, ea tempestate apud Alexandrinos obtinuisse, qua ethnarchæ, senatu constituto, jamdum desierant, utrosque ab invicem distinctos fuisse, *Noster* docet; nec derivationem *Rhenferdii*, nec *Fulleri*, itemque *Noldii*, *atabarcham* a ארבעת כהנים quasi *vicarium principis* dictum esse, sibi persuadentium, locum suum tueri posse. Lectionem & *alabarches* & *arabarches* recte se habere existimat; posteriorem tamen præferendam esse censet. Lectionem *alabarches* propterea rejiciendam non esse, quoniam habeamus *alyarches, irenarches*, & hujus generis alias voces. Ἀλαβας, notante ex *Phavorino Cujacio Observ. Lib. VIII Cap. 37*, designare τὸ μέλαν ὃ γράφομεν. Vocem propriam fuisse Cypriis, quibus ἀλαβας, monente *Hesychio*, idem fuerit, quod λυγὺς, μαρίλη, *fuligo*, cujus usus olim frequens in terendis atramentis. A Cypriis vocem fluxisse ad Ægyptios. Alabarchen

chen igitur notare posse *scriptura magistrum, vectigalibusque colligendis prepositum*. Lectionem *arabarches* defendere posse *Asiarchen, Cilicarchen, Syriarchen, &c.* *Arabarchen* autem fuisse præfectum partis cujusdam Ægypti, quæ dicta fuerit νόμος Αραβίας, ut pateat ex *Ptolemæi Geogr. Lib. IV Cap. 5*, ejusdemque fuisse vectigalia exigere ac colligere, nec nomen ac munus solis Judæis impositum fuisse. *Cap. IX* ad Ἀρχοντας regreditur. *Seleucidæ* Judæis Ἀρχοντα Antochiæ siverunt esse, qualem *Josèphus Bel. Jud. Lib. VII Cap. 3* exerte memorat, distinguendum ab Archisynagogo, quem *Zouaras* recte τῶν ἐπ' Ἀντιοχείας τὸν πρῶτον nominat, nec ethnarchæ Alexandrino, nec Ἰσραὴλ ὄν, quod *Fullerus & Rhenferdus* faciunt, æquiparandum. Docet hic Autor, Ἐνάρχην Ἀρετᾶ τῆ βασιλείας 2 *Cor. XI, 32*, non fuisse hominem Judæum, sed ministrum Regis *Arctæ*, vice ejus fungentem, ac *Damasceniis* omnibus impositum. Ἀρχόντων Judæorum pariter mentionem fieri in *Inscriptionibus*. Talem exstare *Remæ*, sarcophago impostam, quæ hic illustratur. *Hieruos* appellatos esse, qui genus longa avorum serie ab *Aharonè* duxerint, ac inter suos præcipua fuerint dignatione. Voces ΚΑΛ. ΚΑΡΠΙΕΙΩΝ plurimorum industriam exercuerunt. *Sponius* legi voluit καλ. Ἀγριππησιων, sed minus recte. *Antonius Maria* duplicem protulit conjecturam: vel legendum esse Ἀρχοντα καληβων Καρπειων, principem circumcisorum *Carpensium*, ex civitate *Mysie*, aut *Seythiæ* potius, *Carpo*. Sed enim urbs illa non tam *Carpus*, quam *Carfus*, appellanda. Porro vox καληβοι explicatur quidem ab *Hesychio* τὸ αἰδέϊον ἀπεσκολυμμένοι, sed eo nomine Judæi non facile appellantur, nisi id forte per contemptum factum fuerit. Vel legi posse Καλκαρπειων, atque designari populos *Bithyniæ*, quos *Stephanus* nominat *Calpensas, Calpines, & Carpejanos*, uti etiam est urbs *Carpeja*. Sed conjectura hæc propterea ferri nequit, quoniam urbs *Bithyniæ* Καλπαι, & *Hispaniæ* Καλπεία, seu *Calpe*, permiscetur, & *Calpeusa* ex gentili nomine καλπεύς & καλκαρπεῖςi novo exemplo effinguntur. Igitur in ea Autor perstat sententia, ΚΑΛ. integre legendum esse καλέμενοι, & καρπειων esse cognomen *Juliani*, de quo eo minus dubitare liceat, quod *Carpi, Carpii, & Carpio-*


- nes, in lapidibus sæpius sine obvii. Aliam producit Inscriptionem, in qua pariter Ἀρχων legitur, & in qua est Ἀμέλις pro Ἀμέλιος, uti Εμείρις pro Εμείριος. Ἀμμώμων ὄσιω esse pro Ἀμώμων ὄσιω. In alia Inscriptione memoratur *Alfius* Archon & Archilýnagogus, quam Rever. *Te Water* in *Diss. de Archonte apud Judæos Miscell. Duisb. Tom. I Fasc. II pag. 234 seq.* ita explicaverat, ac si utrumque nomen unum idemque significaret, cujus contrarium demonstrat *Cel. Westelingii*. Hunc *Alfium* habere communitatis aliquid cum *Alfio* apud *Horatium* *Epod. II, 67*, dubium omnino esse. *Cap. X*, autorem *Homiliæ* in natalem *Joannis* non esse *Chrysostrum*, sed hominem in Italia natum, probat ex illis, quæ de *natali solis invicti*, itemque *migratione*, *Cal. Jul.* facta, habet, quoniam & dies ille festus 8 *Cal. Jan.* celebrabatur, & Romani *Cal. Jul.* in ædes novas, quas conduxerant, migrare solebant. Sermonem hunc propterea memorabilem esse, quoniam in illo Archontes Judæorum memorentur, de illisque affirmetur, circa Septembrem munus suum ingredi, ut hinc illud annum esse oportuerit. Archontibus præsto fuisse $\equiv\text{ΠΠ}\Psi$, ἀποστόλεις, (vid. *Euseb. in Jes. Cap. XVIII pag. 425*) quos literis instructos alio amandabant, distinguendos ab *apostolis* Patriarcharum, qui ipsis in consilio aderant, & cum quibus noctu ac interdum legis divinæ explanationi vacabant; quanquam tamen & illos notaret, qui a patriarchis & magistratibus ad alios, ut inaudata perferrent, demittebantur. Hos ipsos Ἀρχοντας esse, qui in Imperatorum Constitutionibus appellantur *primates*, *proceres*, & *judices* Judæorum, in *Palæstina* & extra illam indulgentia Augustorum, vel popularium suffragiis, lecti, qui civilem magistratum effecerint, distincti ab Archilýnagogis, quorum munus ecclesiasticum, qui tamen sive Imperatorum inertia, sive largitionibus, rem eo deduxerint, ut in causa Christianorum aliquando pro tribunali sederint, quorum impudentiam representent *Patres* in *Concilio Mantisonensi I*, habito circa *A. 582*. Hac occasione notat inconsultam Christianorum temeritatem, existimantium, jurisjurandi religionem apud Judæos ob constipata nomina divina longe venerabiliorem esse, eaque de causa *Synagogas* illorum adeuntium, quam *Theodosius junior leg. 15*,
itemque

itemque 22, *Cod. de Jud. & Calic.* interdixit, & in quam acriter invecus est *Chryſoſtomus Operum Tom. VII pag. 369 edit. Sa-* Pag. 96-
vil. Cap. XI occurrit Autor objectioni, quæ ex *Sanb. Cap. 1, 6,* de- 98.
 promi poteſt, ubi XXIII viri civitatibus majoribus, tres minoribus oppidis, imponuntur. Traditionem hanc generatim veram eſſe, non putat, cum *Joſephus VII* tantum nominet, nec rationem eſſe ullam, quæ is falſa perhibere voſuerit, qui & ipſe de Tiberienſibus referat, apud ipſos ſenatum DC virorum floruiſſe, *Bel. Jud. Lib. II Cap. 21.* Quibus ipſis ſuis a *Joſepho* datur "*Ἀρχων* *Jeſus, Sapphia* filius, *de vita ſua Cap. LVII,* qui, quod *Vitringa Synag. vet. Lib. II Cap. 9 pag. 561* fecit, in Archiſynagogum non eſt commutandus, cum Tiberiade plures exſtiterint Synagogæ, ac hujus hominis inſtituta atque mores aliud longe ſuadeant, quam ut perſona eccleſiaſtica ipſi imponi queat; cui ipſi loco, quem minus ſanum eſſe judicat, mede- 100-105.
 lam affert, eundemque illustrat. Ad formam judicii Galilæorum, quos inter Chriſtus haud raro verſabatur, reſpexiſſe videri *Luc. XII, 58,* ut "*Ἀρχων* ſit ſupremus magiſtratus, qui decem aſſeſſores habuerit, qui in cauſis gravioribus, uti apud Romanos in municipiis Dictator aut Duumviri, præſuerit, in levioribus contentionibus ex decem primis judices dederit, indeque explicanda eſſe verba: *μήποτε κατασύρη σε πρὸς τὸν κριτήν,* jubens, ut reus ad tribunal aſceſſet. Igitur ex *Lightfooti* ſententia hunc "*Ἀρχωντα* non eſſe *judicem in infimis ſynedriis,* & *κριτήν* in ſummo, neque, quod *Te Water* ſuſpicatur, *Archiſynagogum* litium pecuniariarum componendarum *arbitrum,* cum is longe amplioris fuerit dignitatis. Inde conclu- 106 108.
 dit, IX "*Ἀρχωντας* apud Berenicenſes ſumum magiſtratum, qui rebus popularium adminiſtrandis ex Romanorum indulgen- 108, 109.
 tia præſuerit, conſtituiſſe.


Posterioris Diſſertationis, quam olim jam *Franequeræ A. 1733* publicaverat *Cel. Autor,* cardo in eo verſatur, ut ab *Anaſtaſio Imp.* crimen, juſſu ipſius Evangelia corrupta fuiſſe, depellat. *Cap. I 110, 111.* profert verba *Victoris,* qui hac infamia conſpergit Imperatorem, quam imprudentioribus illi propinant, qui, odio religioſis Chriſtianiæ ducti, ſibi reperitſe viſi ſunt, quo, *codices Novi*

- Test. dedita opera corruptos esse, demonstrare queant. Criminationem fictam esse probat, *primo* ex persona *Victoris*, qui solus hoc referat. *Isidori* enim rationem hic nullam haberi posse, qui *Tunnunensem* exscripserit, cum tale quid ab aliis, qui tamen res aliquas *Anastasio* taxarunt, crimini datum non sit, nec ipse, in alio orbe degens, rerum apud Constantinopolitanos gestarum accuratam notitiam habuerit. Licet enim *Isidorus Pelusiota* Lib. IV Ep. XXVIII existisse dicat, qui, compositionem verborum Novi Test. duriores esse, asseverare nulli dubitaverint, ut hinc *Marcion*, *Tatianus*, *Theodosus*, *Artemon*, corruptrices manus Evangelii intulisse ferantur; illorum tamen ausibus Ecclesiarum praesides omnibus viribus se opposuisse, nec ob eorum multitudinem effectui dare potuisse. *Secundo*, si etiam Imperator suam interposuisset auctoritatem, tamen Ecclesiarum praesides non conticissent, quorum cum quidam ob henoticon *Zenonis*, quod urgebat, vel ob Concilium Chalcedonense, acrius propugnatum, de gradu suo deturbarentur, suisque bonis exuerentur, graves illi quidem querelas fuderunt, ab illo tamen Evangelia interpolata esse, non conquesti sunt. Nec, ut faceret, ulla utilitate induci, nec facinoris hujus speratum eventum expectare, potuisset, cum id absque summo periculo tentare non liceret, quod in recenti memoria esset nupera seditio ob verba quaedam *ῥησιν* addita. *Tertio* non potuisset id fieri, nisi vis omnibus codicibus injecta fuisset, Canon *Eusebianus* rescissus, Patrum scripta ad incudem revocata, lectionaria ubique ad novum exemplar instaurata, ipsaque sententia ac dicta hominum animis evulsa, ac versionibus omnibus mutatio quaedam inducta esset. Quod de versionibus dixerat, per partes exequitur, initium faciens a Syriaca, quam, *simplicem* scilicet, licet non ab ultima antiquitate repetendam arbitretur, *Anastasio* tamen temporibus vetustiore esse, persuasum sibi habet, in qua, observante *Sabar Jesu* apud *Assmannum Bibl. orient. Tom. III pag. 543*, & *Tom. II pag. 290*, diversitas quaedam deprehendatur, cum *Nestoriani Act. XX, 28*, legerint, ut *pascaris* *ܦܫܥܪܝܫܝܢ* *ܥܠܝܢ* ecclesiam Christi, *Severiani* contra, sectae
- Eury-

Eutyebiana propago, ut *pascatis* אלהים אלהים *ecclesium*
Dei, *Nestoriani* *Ebr.* 11, 9, אלהים אלהים אלהים
אלהים אלהים אלהים *ipse enim præter Deum pro omnibus homi-*
nibus mortem gustavit, *Severiani* אלהים אלהים אלהים
ipse enim Deus pro benevolentia sua. Cum igitur *Severiani*,
 qui apud Imperatorem gratia florebat, id impetrare non po-
 tuerint, ut lectio sua a *Nestorianis* etiam probaretur, de inten-
 tata ab *Anastasio* emendatione facile judicari posse. Addit, cum Pag. 123-
Thomas, Germanicæ Episcopus, Seculo insequenti circa A. C. 126.
 616 Nov. Test. de integro e Græco Syrum faceret, & præter
 alios, tres MStos Græcos Codices probatissimæ notæ in consilium
 mitteret, de corruptis Evangeliiis nihil observasse. Hodier-
 na autem die non alios exstare Codices Syriacos, quam qui ex
Thomæ editione descripti atque correcti sint, contra *Weste-*
num Prol. Nov. Test. Cap. IX pag. 124 negat, cum contra-
 rium ex modo memorata discrepantia appareat, & *Bar Ebraus*,
 sive *Abulpharajus*, præter *simplicem*, *Heracleensem* sive *Thomæ*
 nominet, cujus cum *παρεργάματα* quædam, in linguæ genium
 incurrentia, ex *Matth. VI, 26, 34, VIII, 30*, colligit, forte *Mat-*
thæum tantum a nobis ex *simplici* versione versari, putat. Non 126, 127.
 licuisse id porro per versionem veterem Italam, Gothicam *Ul-*
phila, si quidem illi adscribenda, quod dubium reddidit *Wes-*
senius Cap. VIII pag. 85, in partes allici debuisse Indos, Van-
 dalos, Gothos, imo omnes orbis Christiani populos. Quæ
 omnia cum nulla veri specie dici possint, *Victoris* narrationem
 in fabularum fictarum numerum transcribendam esse. *Cap. II*
 hujus fabulæ natales vestigat, præmonens, *Bentlejum & Pfuf-* 127-132.
fium illius jamdum vestigia in *Liberato Diacono Brev. Cap. XXV*
 invenisse, de *Macedonio* referente, ipsum ab *Anastasio* sede
 Constantinopolitana exactum fuisse, quod locum *1 Tim. III, 16*,
 adulteraverit, $\Theta\Omega$ in $\Theta\Sigma$, id est, $\Theta\text{E}\Theta\Omega$, vertendo, quem cum
 refugi jusserit Imperator, imperitis criminandi occasionem de-
 disse, ac si Evangelia, id est, integrum Nov. Test., emendan-
 dum curavit. Quæ licet egregie observata esse videantur, alia
tamen



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1742

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 K 4⁰

- tamen via hic incedendum esse judicat Noster, quoniam *ὁς* non nisi in recentioribus, & forte Latinorum opera exaratis, Codicibus
- Pag. 133, MSis animadvertatur, & si quidem ab *Anastasio* restitutum esset, debuisset in plerisque Codicibus esse. *Macedonium* Nestorianum fuisse, inficiatur, nec ipsum locum illum immutasse, fieri tamen posuisse, ut hoc ipsi ab adversariis crimini daretur, cum, qui in ipsius causa sedebant, fuerint simul & testes & iudices & accusatores, cum illud *Θεὸς ἐφανερώθη Eutyrianam* causam aliquo modo infringeret, & Syri legerent *ⲙⲟⲩⲁ ⲛⲓⲁⲓ* qui *revelatus est in carne*, quos inter *Severus* unus iudicum diu versatus. Qui *Severus*, ad *Thomam* scribens, crimen vitiatorum librorum sacrorum *Macedonio* haud
- 134, 137. obscure impingat, & ubi *Liberatus* narrationi suae addat dicitur, saltem inde apparere, rumorem hunc in vulgus sparsum fuisse. Ab hac autem culpa *Macedonium* immunem esse, atque diu ante *Macedonium* lectum esse *Θεὸς*, a *Millio*, *Pfaffio*, *Whitbyo*, aliis, est ostensum, ad *Origenem*, *Athanasium*, *Gregorium Nyssenum*, *Chrysostomum*, *Theodoretum*, pluresque Codices perantiquos, provocantibus, culpam tamen in *Eutyrianos*, quod fecit *Westenius*, conjiciendam non esse. *Origenem* fabulae quaerit in quaestione, quae imperante *Anastasio*, inter Theologos agitata est de latere Christi aperto, num vivo, an mortuo. Qui priorem tuebantur sententiam, se recipiebant ad *Matthaeum*, quem scripsisse asseverabant Cap. XXVII, 49: *οἱ δὲ λοιποὶ σώσον αὐτόν. Ἄλλος δὲ λαβὼν λόγχην, ἐνύειν αὐτῷ τὴν πλευρὰν καὶ ἐξῆλθεν ὕδωρ καὶ αἷμα.* Alii contra, haec verba ex *Jo. XIX, 34*, in Evangelium *Matthaei* importata esse, existimabant. Hoc ipsum ita se habere, probat ex *Severi* Epistola ad *Thomam*, Germanicae Episcopum, quam ex *MSto* Vaticano excerptit
- 140-142. *Assmannus Bibl. orient. Tom. II pag. 81.* Qua occasione quaedam de *Severo* affert, ipsum summa gratia apud *Anastasium* floruisse, famosum esse ob haeresin *Eutyrianam*, quanquam permixtionem duarum naturarum in Christo rejecerit, non tamen carere suspitione tritheismi, eundemque forte, non *Jo. Philoponum*, nec *Jo. Ascuaghem*, haereticos illius primum conditorem extitisse,
- modo

modo illum palam docuerit, & non adversarii per consecutio-
 nes aliquas ex ipsius verbis elicuerint. Illam autem disputatio-
 nem de *Matthæi* verbis, *Macedonio* jamdum sede sua expulso, Pag. 142-
 moveri cœptam esse. Quæ verba cum *Severus*, aliique *Euty-* 145.
chianorum, ex nonnullis Codicibus, tanquam ab imperitis libra-
 riis adfuta, extruderent, omnibus illis, qui Concilii Chalce-
 donensis decreta tuebantur, Evangelia emendare visos esse,
 inter quos etiam fuerit *Victor*, ad quem facile rumor ille in 145-147.
Africam perferri potuerit. *Cap. III* ad alia loca *Victoris Tu-*
nunensis emendanda se confert, & primo quidem illum, qui
 est de *Vigilio*, ita sese habentem: *post Conf. Basilii U. C. An-*
no XVII Vigilius, Rom. Episcopus, in insula Sicilia moritur, quem
 in Codice *Hemsterhusii, Marci Velseri* manu quondam descripto,
 ita legi docet: *Vigilius, R. Episcopus*, postquam prævaricatus est,
 sub excommunicatione totius Africanæ ecclesiæ Pontificum,
in insula Sicilia moritur, sed quæ verba levi litura inducta
 esse addit, ita tamen, ut observari possint. Quædam hic
 interferit de editione *Jos. Scaligeri*, illam non respondere Codi-
 cibus MStis, & ea deficere, quæ *Scaliger* negligere non potuisse
 videatur, quod exemplis probat. Inter alia de *Victore* ipso
 docet, pro *Mandra* legendum esse *Mandracium*, quod exstet
 in MSto Codice, consentiente *Procopio Bel. Vandal. Lib. I*
Cap. 26, nominante *Μανδρακίον*; porro multa esse omissa
 non solum a *Canisio*, verum etiam *Scaligero*, & quidem su-
 periora verba de *Vigilio* studio in Romanum Pontificem a *Ca-*
nisio prætermittenda videri. Illa autem vere a *Victoris* profecta
 esse manu, ex persona *Vigilii*, ejusdemque moliminibus, ac 147-153.
 temporis illius ratione, satis apparere, ut *P. Marca*, qui ali-
 quid in contrarium affert, audiendus non sit. *Caput IV* 153-158.
 quærit de urbe, cujus Episcopus fuerit *Victor*, & a qua diver-
 simode appelleretur, *Tununensis* in impressis libris, in MStis *Tun-*
nensis, syllaba *nu* superne imposita, sed alio chirographo, *To-*
nensis in MSto Remensi, *Turonensis* apud *Isidorum*, *Tumnensis*,
 itemque *Cumenensis*, de quibus *Vossius Hist. Lat. Lib. III pag.* 158, 159.
741. Inde, variis urbium Africanæ nominibus, quæ, quod ad so-
 num, huic proxime accedunt, prolatis, iisque inter se com-
 positis,

Pag. 159-
164. positis, *Tennonam* sedem *Victoris* fuisse, auguratur. Quæ adhuc promulgidis instar ex egregiis hisce observationibus apposuimus, illa multa doctrina, multa circumspectione & accurate, disputata, ac talibus argumentis, qualia in hoc scribendi genere & dari & expectari possunt, harum rerum gnaris communita, esse videbuntur, ut in pluribus calculum Eruditissimo *Wesfelingio* haud sint denegaturi. Quæ vero de Nov. Test. Syriaci novitate, ejusdemque emendatione, partim a *Nestorianis*, partim ab *Eutychianis*, illata, differit, ut illa defixiore cura ac meditatione ex linguæ indole, Ecclesiæ Syriacæ doctrina, ac remotis antiquitatum recessibus, excuterentur, operæ omnino foret pretium, cum versio hæc, si non ab omnibus, saltem plurimis, Theologis & Philologis insigne aliquod *κεμήλιον* ac doctrinæ Christianæ illibatæ armamentarium huc usque sit habita. Quam *Anastasio* paravit defensionem, pro illa, si mortalibus adhuc interesset, gratias ipsi, opinor, persolvere non detrectaret Augustus, nec illi negabunt religionis Christianæ sinceri confessores & propugnatores, qui aggressoribus ac *εμπαίκτηις* effugia quæque per eruditionis studia eripi præoptant.

*DAVIDIS CORNELII DE COURCELLES, MED.
Doctoris, Icones musculorum plantæ pedis, eorumque
descriptio.*

Lugduni Batavorum, apud Conr. & Georg. Jac. Wishoffios,
1739, 4 maj.

Plag. 18 dimid. Tabb. æn. 7.

Magnam sine dubio a viris rerum Anatomicarum intelligentibus referet gratiam Cl. Autor, quod adeo accuratam diligentemque operam in delineandis plantæ pedis musculis collocavit. Ipsemet fatetur, se ad hanc provinciam nunquam accessurum fuisse, si Cel. *Albinus*, prout manus, ita pedis quoque, icones edidisset. Quoniam igitur, Cel. *Winstovio* iudice, paucae admodum figuræ anatomicæ accuratiores exstant, & Noster in exercitationibus anatomicis observavit, superesse in plantis pedum nonnulla, quæ aut Anatomicorum diligentiam effugerint,

gerint, aut saltem nondum literis sint. consignata, periculum aliquod data opera facturum, in quatuor cadaveribus adultorum hominum plantæ pedis aponeuroses musculos, tendinesque, qua potuit cura, separavit, eosque ab origine ad insertionem profecutus, artificis manum in delineandis illis ipse deduxit, ut haberet aliquid ex proprio penu depromptum, quod publicis usibus destinaret. Cel. *Albini* monitis obsecutus, perquisivit musculos eo, quo in homine itante siti sunt, ordine, eodemque etiam, quo alii alios excipere solent, ordine artificis dextra eos effinxit. Ipsis vero iconibus brevem præmittendam putavit descriptionem, quod verebatur, ut icones sine qualicunque enarratione admodum gratæ & acceptæ essent. Amplior autem cognitio ex *Albini* Historia musculorum hominis omnibus numeris absoluta petitur. Agit igitur Noster *Cap. I* de plantæ aponeurosis; *Cap. II* de portionibus aponeurosum plantæ carnis & usû; *Cap. III* de flexore brevi digitorum pedis; *Cap. IV* de vaginis, quibus tendines flexorum digitorum pedis obducti; *Cap. V* de abductore minimi digiti pedis; *Cap. VI* de abductore pollicis pedis; *Cap. VII* de flexoris longi digitorum pedis tendinibus, & capite altero, in planta pedis ei accedente; *Cap. VIII* de tendineis emissionibus flexoris longi pollicis & digitorum, ut & chordis, cum quibus tendines perforati & perforantis inter se communicant; *Cap. IX* de lumbricalibus pedis; *Cap. X* de flexore brevi minimi digiti; *Cap. XI* de abductore pollicis; *Cap. XII* de flexore brevi pollicis; *Cap. XIII* de transverso pedis; *Cap. XIV* de interosseis pedis. Atque in his non omnino nulla continentur, quæ aliis nondum viderunt. Primus enim Noster annotavit, 1) aponeurosin plantarem in duas partes facile separabilem, laxamque hic cohæsiõnem, & nullam fibrarum utriusque conjunctionem, esse; unde & aponeurosin in majorem & minorem divisit. In superficie musculis obversa portiones carneas hæc quatuor, illa tres, perpetuo exhibuit. 2) Flexoris digitorum brevem ventrem tripartitum tres tantum producere tendines, &, qui minimo digito debetur, defecisse; 3) vaginas, tendines flexoris utriusque digitorum brevis & longi coercentes, in tot partes, quot

digitorum internodia, distingui; differre tamen a reliquis, quæ flexoris pollicis longi tendini dirigendo intervit. 4) Vaginis hæcæ apertis, tendinibusque perforati & perforantis caute ductis, chordas tendineas tres inter singulos utriusque musculi tendines, eidem digito debitos, cum quibus inter se communicant, reperiri; hinc, cum quartus flexoris digitorum brevis tendo desideretur, flexoris longi quartum his destitui, sicut etiam in manibus ejusmodi chorda & ligamentum tendinosum sulcatum, quibus singulus sublimis tendo cum profundi socio nequitur, inventa ab ipso fuerunt. Præterea vero & musculum quendam exiguum, semel tantum sibi observatum, naturæ, ut videtur, ludentis exemplum, simul in *Iconum Tabula IV & V* representavit. Neque tamen, qua est modestia, certo asseverat, pro insigni musculorum in diversis hominibus varietate, hæc, quæ invenit, constanti semper naturæ lege, aut ordine numerove eodem, repertum iri, sed naturæ potius in iis constantiam ulteriori aliorum inquisitioni demonstrandam relinquit. Nos quidem, cum Cl. Autor peritiam suam, assiduitatem, patientiam, & nobilem augendæ rei anatomicæ ardorem, his ipsis primitiis satis probavit, ut ad plura atque majora audenda indies excitetur, serio exoptamus.

*DISSERTATIO MEDICA DE METHODO Tutæ & facili, citra Salivationem curandi luem veneream, quam, experimentis & observationibus practi-
cis firmatam & illustratam, olim sibi comparavit B. M. JO. CONR. A BRUNN, in Hammerstein, Professor quondam Heidelbergensis, Sereniss. Electoral. Domus Palat. Archiater, & Conf. Intimus, Acad. Nat. Cur. sub Herophili nomine adscitus. Nunc autem publici juris facere decrevit JO. JACOBUS, Filius, Med. Doct.*

Scaphusii, typis & impensis Jo. Adami Ziegleri, 1739, 4.
Plag. 10.

Magnæ

Magnæ famæ tot tantisque morborum curationibus comparatæ Medicus, *Brunnerus*, quamvis ipse luem veneream non alia ratione, quam salivatione, tollere initio consuevit; postquam tamen animadvertit, symptomata morbi, nisi a primis quasi ab excitata per Mercurii inunctionem salivatione diebus evanescerent, sanata posthæc non fuisse, de hujus curationis virtute tum primum dubitans, aliam posthæc viam, ope potissimum Mercurii dulcis, concisa dosi, una cum decocto quodam, sine subsæcuratione salivatione, per complures dies exhibiti, luem hanc persanandi invenit, pluribusque exemplis ejus præstantiam comprobavit. Remediis his ad 40 dies continuatis, non metuendum est, ne eorum efficaciam quidquam subterfugiat. Plerumque enim post usum dierum 14 evanescere symptomata, & dolores atrocissimos cessare, observavit; quo quidem tempore salivationis, per inunctiones institutæ, vis plerumque expirat, sive malum expugnatum fuerit, sive parcius deinceps rediturum. Quamobrem, etsi post 14 dies siluerunt symptomata, nihilo minus tamen continuandam esse curationem, serio monuit, & inculcavit. Præcipua autem virtus in tota curatione Mercurio debetur, qui non salivatione, sed specifica virtute, quamvis minori dosi, totam hanc luem feliciter extirpat. Qua autem ratione subigat extinguatque virus venereum, Noster nondum liquere putavit. Ad genus animatum virus hoc referri posse, credidit. Unde, qua ratione in illud agat Mercurius, facile est intellectu. Interim, quoniam & materia acris pariter atque viscida & pituitosa in hac lue adest, ad utramque corrigendam, variis ex causis valet Mercurius. Viscidæ tamen materiæ decocta quoque lignorum radicumque medentur. Quorundam ex his lignis acrem ac fere piperaceam indolem mucilago radicis sarsaparillæ, sicut ipsam morbi virulentiam, mulcet, atque mitigat. Quanquam nonnullis, ut Ligno sancto, ejusque cortici, radici sarsaparillæ, aliisque, item antimonio crudo, præter jam commemoratas dotes, specifica quædam virtus inesse videntur. Ipsa autem methodus *Cel. Brunneri* vera atque genuina, sine salivatione luem veneream vincendi, ita se habet: Præmissis laxante, & ubi indicatio id

postulabat, in adultis venæsectione, mane, hora sexta, exhibebat hunc pulverem: ℞. Milleped. recens siccator. & pulverisator. gr. XV, Mercur. dulc. rite parati gr. ij gr. iij, ita, ut quotidiano ex usu non subsequatur salivatio, misc. f. Pulv. ad ch. Media abhinc hora, & vespertina quinta, porrigebat ægroto uncias octo hujus decocti: ℞. Radic. Sarsaparill. sel. unc. iij - - - - - unc. iiij. - - Chinæ sel. unc. dimid. Ligni sancti unc. unam & dimid. Argenti vivi probe depurati in petia libram dimidiam, Antimonii crudi in petia unc. iij. Conciâ infundantur cum aquæ ferventis libris septem in vase vitreato, clauso per 24 horas; postea coque ad medietatem. Adde sub finem Ligni Sassafr. unc. dimid. Testa sponte refrigescant. Colatura juste depurata detur usui. Residuo ex decocto primario adde radic. Sarsapar. sel. unc. unam & dimid. coque cum aquæ fontanæ libris novem, sive decem, ad tertiæ partis consumptionem. Adde sub finem Cinamom. v. gr. drachm. ij, flavedinem ex uno vel duobus pomis citri recentem. Testa quoque sponte refrigescant. Cujus secundarii decocti colaturam concedebat pro potu ordinario, hac ratione ad 14 dies curationem extendens. Adhæc ægrotos per 20 priores dies mane ab assumtis remediis horam unam vel alteram sine sudore in lecto commorari jubens, per sequentes 20 dies, Laconico, quo sudor promoveretur, committebat, singulo quarto die ab eodem semper feriatos. Imperabat abstinentioniam a crudis, tenacibus, salis, acidis, & victum commendans tenuem, pro fallenda siti, nil nisi supra notatum decoctum secundarium permittebat, ab aura liberiori, atque frigida, insimul dehortatus. Infantibus puerisque grandioris adhuc ætatis dabat alternis diebus granum dimidium, & pro ratione ætatis grana duo Mercurii dulcis in conserva Borriginis, ceteris diebus pulverem radicis sarsaparillæ, ad scrupul. dimid. drachm. semiss. & decocti ejusdem simpl. unc. tres, unc. quat. Singulis vero diebus decoctum secundarium, superius descriptum, pro potu ordinario concedebat. Subjuncta etiam fuit methodus, qua gonorrhœam virulentam, tetræ atque scdæ luis plerumque comitem, Noster feliciter superavit. Denique & accellerunt

cefferunt observationes practicae, quæ dimidiam Opusculi partem constituunt, atque ea, quæ in ipsa Dissertatione exponuntur, illustrent amplius, atque confirmant. Agit enim earum *Cap. I* de contagio luis venereæ in tota familia; *Cap. II* de lue venerea, totam familiam inficiente; *Cap. III* de lue venerea, male per inunctiones mercuriales sanata, debellata nihilo minus postea Mercurii ministerio, sine salivatione; *Cap. IV* de lue venerea, salivationis efficaciam eludente, hinc citra illam sanata; *Cap. V* de lue venerea a salivationis ærumnis atque periculo superatis, tandem sanata; *Cap. VI* de distorsione oris cum hemicrania venerea, una cum consiliis *Wepferi & Brunneri*; *Cap. VII* de dolore capitis venereo, salivatione sanato; *Cap. VIII* de gonorrhœa inveterata: ubi & Autoris usitata olim methodus, inunctiones instituendi, designatur; *Cap. IX* de gonorrhœa cum tumore testiculi; *Cap. X* de gonorrhœa cum ipsius luis subrepentis indicibus; *Cap. XI* de lue venerea, salivationem etiam reiteratam frustrata; quibus omnibus denique annotationes aliquot succinctas de gonorrhœis additas videmus.

JOANNIS GEORGII SCHELHORNII AMOENitates Historiæ ecclesiasticæ & literariæ.

Tomus II.

Francofurti & Lipsiæ, sumptibus Dan. Bartholomæi & filii,

1738, 8.

Alph. 3 plag. 1.

Strenue pergit *Schelhornius* maxime venerabilis, sæpius in *Actis* nostris celebratus, eruditus suis collectionibus orbem literarium sibi devincire. Ecce vero illum sibi non devinceret, cum lectu semper utilis prudentissimo consilio colligere, prudenter autem collecta jucundissimis illustrare soleat observationibus? Hinc avidissime illius promissa plerumque expectantur, exoptanturque. Haud immerito exoptavimus continuationem harum *Amenitatum Historiæ ecclesiasticæ & literariæ*, primum cum recensuimus illarum *Tomum*. Voti adeoque nostri

- nostri compotes nos esse factos, omnino gaudemus, gaudebuntque omnes, qui harum rerum sunt amatores. Omnia, quæ in præsentem exhibentur Tomo, lectione satis sunt digna, quorum contenta nunc paucissimis cum Lectoribus nostris communicanda censemus. Primum locum occupat doctissimi Autoris Dissertatio de Religione M. Antonii Flamini. Laudibus plane eximiis, quibus *Flaminium* propter insignem ejus in arte oratoria, Poesi, & Philosophia, facultatem ornarunt viri literatissimi, *Joach. Camerarius*, *Jo. Gagnæus*, *Hieron. Gibelinus*, *Longolius*, *Petr. Victorius*, adductis, egregia de pietate illius elogia, ab *Hieron. Fracastorio*, *Q. Mario Corrado*, *Andreaque Elingero*, lata, afferuntur, tandemque *Petri Pauli Vergerii*, *Thuanii*, *Elia Vejelii*, *Antonii Teissierii*, *Petri Bælii*, *Sfortia Pallavicini*, *Franc. Maria Mancurti*, *Jac. de Laderchio*, atque *Pauli IV*, Pontificis M. copiosissima judicia de religione *Flaminii* nobiscum communicantur. Quibus præmissis, Cl. Autor ex *Flaminii* potissimum scriptis demonstrat, illum in præcipuis fidei Christianæ capitibus nobiscum amice conspirasse. Ab iniquis præterea judiciis *Sandii*, & *Petri Bælii*, qui inter Antitricarios *Flaminium* retulerunt, vindicatur, & ad summum *Flaminii* sinceræ pietatis cultum eximiumque doctrinæ cœlestis studium declarandum, ejus aliquot Epistolæ, quas olim ex Italico sermone in Latinum transtulit, & Norimbergæ A. 1571, 8, evulgavit *Joach. Camerarius*, exhibentur. Legimus 2) Observationem de *Petri Carneseca martyrio*. Reperiuntur hic ex novissimo *Annalium eccles. Baronii* continuatore, *Jac. de Laderchio*, Tom. XXII fol. 97 seq. ad A. 1566, capita accusationis, in *Carnesecam* Romæ institutæ, ac tandem innocentissimi viri necè finitæ. Habes 3) *Historiam Clementis VII, Pontif. Rom.*, *Jacobo Zieglero* autore, ad annum circiter 1526 deductam, e Codice manu exarato nunc primum editam, ac testimoniis aliorum corroboratam; cui præmissa est doctissima *Schellhornii* Dissertatio de fide, vita, ac scriptis *Jacobi Ziegleri*. Succedit 4) Notitia librorum, in quibus acta quædam Concilii Tridentini collecta exhibentur. Nimis longum foret, integros horum librorum titulos afferre; XVIII enim collectiones actorum & decretorum Concilii

Concilii Tridentini hic copiose recensentur dijudicanturque. Sequuntur 5) *Monita nonnulla Ferdinandi I Imp. ad Pium IV, Pontificem Max.* cum de Concilio Tridenti iterum celebrando consilia agigaret, ex MSto coevo, inter *Staphyli* schedas reperto. Ex historiarum monumentis constat, *Ferdinandum I* pro eximia sua prudentia varias *Pio IV, Rom. Pontifici*, difficultates singulari scripto ob oculos posuisse, cum Concilium Tridentinum iterum convocare decrevisset. Cujus scripti summa capita *Pallavicinus Historia sua Tom. II Lib. XIV Cap. 13 fol. 206*, & *Odoricus Raynaldus Annal. Eccles. Tom. XXI Part. II fol. 240*, inseruit. Difficultates vero, sibi ab Imp. objectas, ut dilueret Pontifex, misit *Zachariam Delphinum*, Episcopum Pharensensem, in aulam Casaream, ut necessitatem restituendi Tridentini Concilii omni studio urgeret; cui ipsi etiam responsum ad *Ferdinandi* scriptum, jamjam commemoratum, tradidit. Exhibet hoc responsum *Raynaldus l. c. fol. 241*. Cui responso Imperator ea, quæ hic legimus, monita reposuit. Gratissima hæc monita, integra nunc publicata, Lectoribus fore, merito auguramur, præcipuo cum apud *Pallavicinum l. c. Cap. 17 fol. 215* perfunctoria hujus scripti mentio, apud *Raynaldum* vero *l. c. fol. 246* ex tabulario Vaticano quædam tantummodo fragmenta, occurrant. Exstat 6) *Consilium ad Imperatorem Ferdinandum I, de reformanda ecclesia*, e MSto. Huic Consilio, ut nobis significat Cel. Editor, appictum erat nomen: *consilium Antipapale*, quod jure ipsi tribuendum videtur. Saluberri- 501 seq.
 rima enim de reformanda ecclesia in se continet monita, simulque miserimum eorum temporum statum indicat. Scriptum est, ut hæriolatur *Schæbornius*, circa A. 1562. Habemus 7) 546 seq.
Friderici Staphyli Relationem de actis Oratoris Bavarici, in calicis eucharistici causa Romam ad summum Pontificem ablegati, ex ipso autographo. Serenissimus Dux Bavarie *Albertus* in ipso Concilio Tridentino per oratorem suum, *Augustum Baumgartnerum*, JCrum, calicis divini concessionem expetendam curavit; quo vero feliciter re desiderata potiretur Celsissimus Dux, misit ad Pontificem Romanum, *Paulum IV, Sigismundum Viecheuserum*, JCrum, literis, quæ ex *Baptista Fickleri Actis Concilii MStis* 549.
 O O O primum

- primum hic publicantur, stipatum ad præfides Synodi, quorum etiam ad has literas responsio adjecta est. Nihil vero, ut do-
- Pag. 550. cer hæc relatio, obtinuit Augustissimus Cæsar. Sequuntur 8) *Excerpta ex literis ad Imp. Ferdinandum, ab ejus oratoribus in divini calicis causa exaratis.* Perscripta est hæc Epistola ad Cæsarem a *Georgio Drafcovizio*, Episcopo Quinque ecclesiarum, suo ceterorumque oratorum nomine, d. 18 Sept. A. 1562, qua ipsum certiozem reddit de frustraneo desiderio calicem sacrum obtinendi. Hinc legitur 9) *Georgii Cassandri Dialogus de Communione sub utraque.* Recudendum quidem hunc Dialogum *Georgius Calixtus* Helmstadii A. 1642, forma 4, cum aliis quibusdam scriptis & actis, ad controversiam de calice divino facientibus, curavit; in editione vero Operum *Cassandri*, a *Jo. Cordesio* Lutetia Parisiorum A. 1616 fol. publicata, desideratur hic Dialogus. Huic igitur locum haud immerito hic concessit Dialogo Editor, ob id etiam imprimis, quod *Calixti* collectio in paucorum hodie versetur manibus. Subsequuntur 10) *Postulata Præfulum Hispanicorum in Concilio Tridentino*, ex MSto. Frustra hæc postulata apud *Pallavicinum* & *Raynaldum*, apud *Sarpium* ac *Psalmicum*, aliosque, quaesivit diligentissimus Editor. Ad hanc igitur lacunam Historiæ Concilii Tridentini explendam ex *Fickleri* Actis Synodi manu exaratis edenda censuit. Habes, Lector, 11) *varias Observationes.* Hæc lectu jucundissima, scitu dignissima, sunt. Agunt vero de *Leonardo*, Abbate quondam Otroburano, qui a *Mabillonii* infimulatione vindicatur, de typographia, olim in monasterio Otroburano instituta, librisque, in ea excusis, de *Philippo Melanchthone*, Astrologiæ divinatrici nimium addicto, de *Jo. Caspari* Astrologiæ methodo, de *Aldo Pio Manutio*, de *Francisci I*, Gall. Regis, in literas meritis, & quæ sunt plura adhuc hujus generis. Excipit has 12) *Richardi Bartholini, Perusini, Commentarius de Comitibus, Augustæ Vindellicorum A 1518 ab Imp. Maximiliano I celebratis*, ob summam raritatem recusis. Præmittitur huic notitia quædam tum de Autore hujus Commentarii, tum de aliis quibusdam, ad illorum Comitiorum historiam spectantibus. Inde dedit Editor 13) *Epistolas amabiles Ludovici Bourgueti, Professoris hodie Neocomensis celeberrimi, ac primorum Evangelii apud*

apud Malebares præconum, ex ipsis autographis descriptas. Varia omnino notatu digna ex hoc literarum commercio, inter *Bourguetum* & primos apud Malebares Evangelii præcones, *Ziegenbalgium* nimirum & *Girindlerum*, instituto, dici queunt. His ad-
 juncta est 12) *Sylloge Epistolarum mutuarum D. Jo. Jacobi Scheuch- Pag. 754.*
zeri & Gisberti Cuperi, ex ipsis autographis deprompta. Celeber-
 rima *Scheuchzeri & Cuperi* esse nomina, vel nobis tacentibus
 omnes sciunt. Gratissimæ profecto hæc Epistolæ bonarum ar-
 tium cultoribus erunt. Est enim in illis rerum amœnissima-
 rum varietas, sermonis native fluentis suavitas, & variæ doctrinæ,
 inprimis naturalis, copia uberrima. Inde comparent 15) *Præ-* 1053.
fationes due Pauli Manutii, quæ in *Krausiana*, eaque locuple-
 tissima, Epistolarum ac Præfationum ejus editione desiderantur.
 Prima harum præmissa fuit *Rhetoricorum ad C. Herennium Li-*
bris, qui cum variis *M. Tullii Ciceronis*, ad artem oratoriam spe-
 ctantibus, scriptis excusi sunt A. 1533 in ædibus *heredum Al-*
di Manutii, Romani, in 4. Altera præfixa fuit *Lactantii Opo-*
ribus, cum *Tertulliani Apologetico* A. 1535 Venetiis e typogra-
 phia *Aldina* in 8 evulgatis, quæ editio & *Mich. Maistairii &*
Jo. Alb. Fabricii indukriam effugit; qua occasione etiam men-
 da quædam haud levia in *Lexico eruditorum Lipsiensi* tollere la-
 borat *Schelhornius*. Ita vero verba ibidem sese habent: *In re-* 1055.
centissime editionis P. II col. 54 seq. trium Manutiorum mentio
fit. De primo paucissima memorantur, quæ vero lima egent.
Dicitur floruisse circa A. 1520, cum tamen A. 1515 jam mortalium
cætui fuerit exemptus. Dicitur præterea primus, qui in Italia li-
bros Græcos excuderit; at jam ante ipsum Mediolani ac Floren-
tiæ fuerunt, qui insignia quadam Opera Græca, eaque satis splen-
*dide, typis exseriberent, quod ex Cl. Maistairii *Annal. typogr.**
constat. Paulus noster ab ipso patre Aldo literarum doctrina
perpolitus fuisse dicitur; at ille huic nondum bienni anno jam
1515 morte creptus fuit. Aldo juniore tribuitur illa musei in-
*scriptio, quæ habetur in *Lexico* pag. 55, sed perperam. Su-*
pra januam enim cubiculi sui posuit illam Aldus senior, hujus
avus, uti ex Præfatione in libros Ciceronis de arte Rhetorica,
A. 1514 editos; patet, quæ etiam loco citato ante oculos nobis po-
nitur.

nitur. En brevem hujus *Tomii* delineationem! Plura adhuc in medium afferri potuissent, si angusti, quibus circumscripti sumus, fines id nobis permisissent. Interim Lectoribus nostris certo certius confirmare possumus, varia in hac Collectione occurrere, quæ omnino idonea sint ad lacunas in Historia ecclesiastica varias supplendas, ad difficultates nonnullas tollendas, & ad perperam dicta emendanda. Desiderio quoque nostro, quod in recensione *Tomii primi* significavimus, satisfecit Cel. Editor. Adjunxit enim huic *Tomii* indicem rerum, qui simul memoratu digna *Tomii primi* complectitur. Rem omnibus gratissimam facturum videtur præstantissimus *Schelbornius*, si *Tomium hunc secundum* non esse omnium postremum, sed plures post se trahere alios, jussit; quod ut perficiat, otium ei valetudinemque commodam ex animo comprecamur.

Grundlage einer Ehren = Pforte ꝛc.

hoc est,

GLORIA MUSICA, SIVE VITÆ EXCELLENTIUM MUSICORUM, AUCTORE JOANNE MATHESONIO.

Hamburgi, sumtu Auctoris, 1740, 4.

Alph. 2 plag. 15.

Locus omnino suus in Historia literaria debetur Musicis ingenio, scientia, & arte, præstantibus, ac iis potissimum, qui sapientiæ suæ musicæ reliquerunt monumenta. Prisci certe ævi Musici eminentiores haud carent suis præconibus. Quare nec debita laudè fraudandus Auctor noster, inter principes nostri ævi Musicos dudum relatus, quemque adeo Musa & Musica sua mori vetabit, dum & ipse excellentissimorum Musicorum nostræ & proximæ ætatis memoriam conservare studet, de vita scriptisque eorum jucundissime differens. Non enim nisi magnæ laudis viros hanc in scenam producere constituit. Ac pleraque, quæ de iis hic exponit, e monumentis hausit nondum editis, vel ab illis ipsis accepit, quorum hic fulgent

fulgent nomina. *Tres* autem in Præfatione dividit in *classes* Musicos suos; in *prima* eos collocans, qui perfecte tenuerunt scientiam musicam, & arte componendi, quam vocant, fuere instructissimi; in *secunda* eos, qui, cum aliarum scientiarum laude florerent, *παιδείας* ita coluerunt Musicam, ut etiam inter Musicos nomina sua profiteri possent; in *tertia* Musicos practicos, exercitio Musices, sive vocalis, sive instrumentalis, admirabiles. Hos omnes ordine exhibet alphabetico; cumque ipse specimen duntaxat *Historie Musicorum* proferat, vehementer optat, ut alii, suis vestigiis insistentes, pertexe-
re hanc historiam ne graventur. Speciatim, ut *Jacobi Willifchii*, Musici Vratislaviensis prorsus egregii, vita a quoquam scribatur edaturque, se desiderare, pag. 291 profitetur. Et si autem pluribus e nationibus hic producantur Musici, e. g. e Suecia *Ericus Burmannus*; e Belgio *Franciscus de Minde*, & *Jo. Petrus Schwelings*; e Gallia *Claudius Goudimelus*, & *Michael de la Lande*; ex Italia *Jacobus Carissimi*, *Orlandus Lassus*, &, de quo copiosius agit, *Jo. Baptista de Lulli*; maximam tamen operam navavit Germanis. Atque ex his uberio-
rem descriptionem nacti sunt *Georgius Fridericus Handelius*, *Reinhardus Keiserus*, *Laurentius Christophorus Mizlerus*, *Georgius Motzcius*, *Joannes Pachelbelius*, *Wolfgangus Caspar Prinzcius* sive *Princeps*, *Christophorus Raupachius*, *Jo. Adolphus Scheibius*, *Gottfr. Henr. Stætzelius*, *Daniel Gottlieb Treu* sive *Fidelis*, *Matthias Weckmannus*, &, quem vocat *Megalandrum harmonicum*, *Georgius Philippus Telemannus*. Inter ceteros Germaniæ Musicos hic eminent *Henricus Albertus*, *Jo. Fridericus Alberti*, *Joannes Bæbrius*, *Christoph. Berubardus*, *Georgius de Bertuch*, *Franciscus Henr. de Bibern*, *Sethus Calvisius*, *Pancratius Crugerus*, *Joannes Fischerus*, *Caspar Forsterus*, *Jo. Jacobus Frobergerus*, *Val. Barth. Hausmannus*, *Conr. Frid. Huxlebuschius*, *Gotthofredus Krausius*, *Jo. Philippus* & *Joannes Kriegeri*, fratres, *Jo. Kubnavius*, (cui & scientia, & arte musica, variaque præterea eruditione, parem se nosse neminem, ait pag. 158.) *Jo. Paulus Kunzius*, *Jo. Valentinus Mederus*, *Jo. Martinus Rubertus*, *Erasmus Sartorius*, *Hieronimus* & *Jacobus*

Pratorii, Tobias Volckmarus, &, qui *Lexicon edidit musicum*, quod Noster sæpe supplet, sæpe emendat, *Jo. Gotthfr. Waltherus*. Nec vero omittere hic sui ipsius mentionem debebat Autor. Proinde longam de vita scriptisque ejus narrationem deprehendimus *pag. 187-217*; quam facile crederes ab ipso compositam esse, nisi præfatus esset, alium esse compositorem, sed eum fide dignissimum. Cognoscimus hinc, Hamburgi eum A. 1681 natum esse; A. 1706 creatum fuisse, atque adhuc esse, Legati Britannici, Hamburgi degentis, Secretarium; A. 1715 constitutum esse ab Hamburgensi Senatu Directorem Musices; quo quidem munere A. 1728 se abdicavit. Plena est hæc descriptio amœnitatis, repræsentans *Matthesonium* musicas meditationes negotiis distinguentem politicis, ac modo Musicæ toto pectore intentum, modo commissâ sibi civilia negotia per diligentem tractantem, modo libros scribentem musici argumenti exascatissimos, modo Anglica scripta patriam convertentem in linguam; ut appareat, eum inter ætatis nostræ polygraphos referri oportere. Ac docet ipse in *Præf. pag. 36*, librum hunc, quem recensemus, esse librorum suorum quinquagesimum quintum. Qui scripsit hanc vitam, ingenium Nostri his *Plinii* verbis *pag. 217* exprimendum judicavit: *Est homo ingeniosus, acutus, acer, & qui plurimum in scribendo & salis habet & fellis, nec candoris minus*. Non videtur nobis omittendum, quod eruditissimus Autor noster *pag. 41 seq.* docte & copiose, nec minus modeste, pugnat adversus *Conringium*, qui scripserat, Musicam reddere homines ignavos & imbelles, atque apud Romanos veteres in contemptu fuisse.

D. ROMANI TELLERI, S. THEOL. PROFESS.
*Ord. in Acad. Lips. Institutiones Theologiæ homileticæ,
 methodo scientiis sacris digna adornatæ. In usum Auditorum.* Adjuncta est **STEPHANI GAUSSENI**
Dissertatio, Notis quibusdam illustrata.

Lipsiæ, sumtibus Jo. Frid. Gleditschii, 1741, 8.

Plag. 21½.

Libellis,

Libellis, quibus institutiones studii homiletici traduntur, rarissime in hiſce *Actis* est locus, eo quod plerumque ſolent viam ſervare pervulgatam. At hujus, quem designamus, longe alia est ratio, alius habitus, alia forma. Intellexit enim S. Rev. Autor, non deficere nos in cauſa homiletica, quod certum ſciri ac plane cognosci poſſit. Eam ob cauſam circumſpexit evidentem & neceſſariam concludendi viam. Principia autem aſſumſit non alia, ac divinitus nobis patefacta, ſacroſanctis ex literis decerpenda. Inde vero quæ enaſcuntur conſiſiones, ex neceſſaria conſecutione, quid verum ſit, quid falſum, nos aperte docent. Doctiſſimus igitur Autor ſuam curam & cogitationem in id contulit, ut continua propoſitionum copulatione ex primis veritatibus, tanquam fundamentis poſitis, conſiſiones efficerentur, literis divinis conſentaneæ, atque ad ſermones de rebus divinis habendos accommodatæ. Animadvertunt jam fanatici homines, modum de rebus ſacris diſſerendi dari præſcripto Dei reſpondentem, nec quemvis ſermonem, de rebus divinis perſpicue, ordine, & vere, inſtitutum, ludicro vanitatis cognomine eſſe exagitandum. *Stephani Gauſſeni* libellum, ſeu *de ratione concionandi Orationem*, edidit quidem B. Jo. Jacobus Rambachius una cum ceteris *Gauſſeni* Diſſertationibus, ſua ornatam Præſatione A. 1727; at optaverant haud pauci, ut ea denuo prodiret in lucem. Abſteſit Editor novus menda complura libraria, quibus in editionibus antiquioribus plana verborum ſententia aut valde erat obſcurata, aut penitus corrupta. Dolet id unum, deſiderari ſermonis elegantiam in *Gauſſeni* ſcriptis. Nec tamen inſiciatur, navi hujus quicquid eſt, penſari rerum excellentia, ingenii virtute, & ſententiarum gravitate. Inſtitutiones S. Rev. Autoris, ad quas jam progredimur propius intuendas, *Capitibus* conſtant ſeptem. *Caput primum* continet definitiones & præcognoscenda. *Secundum* de materiæ indagatione inſcribitur. *Tertio* exponitur de materiæ diſpoſitione. Abit hoc *Caput* in ſex *ſeſſiones*. *Prima* de variis diſpoſitionis proprietatibus ac diſpoſitionibus generatim agitur. *Secunda* diſſeritur methodus analytica. *Tertia* propria eſt methodi ſyntheticæ reſenſio. *Quarta* exponitur.

- exponitur de partitione in methodo utraq̃ue. *Quinta* agitur de schematica dispositione, cui exiguum vel nullum Cel. Au-
 Pag. 120. tor statuit ex merito pretium. *Sexta* repræsentat tractationem de methodo anniversaria, tutius omittenda, quam adhibenda. *Caput quartum* exhibet deinceps ea, quæ propositioni dicendæ præmitti solent. Blandiora alloquia exordia Cel. Vir merito reprehendit. *Capite quinto* disseritur de *tractatione*, quam
 126. vocant, *homiletica*. Continuo genuinum scopum S. Rev. Autor ob oculos habet positum. Quare mirandum non est, si nævos ad unum omnes, quos ostentatio, vel inertia, & prava consuetudo, in fundum Theologiæ homileticæ invexit, idem solidis argumentis evertit ac profligavit. Monet ipse perpulchre, homileticam tractationem omnino eandem esse debere, quæ popularis, sive *ἑωτασική*, appellatur, & ea, quæ ad exquisitam eruditamque Theologiæ tractationem, quatenus ea est talis, necessario requiruntur, esse in populari ac homiletica pro *ἀλλοτρίοις*
 143. & supervacaneis habenda. Tractationis argumenta haud admittit plura, quam *explicantia, probantia, commoventia*. Quanto usque excellat verborum explanatio solida, ostendit variis, iisque ponderosis, exemplis. De translatione Bibliorum, quam B. *Lutherus* adornavit, sic judicat: *Quanquam, ab hermeneuticis erroribus non esse liberam, qua utimur, versionem, ingenue fateamur, nullus tamen in ea deprehenditur error dogmaticus, doctrinæ vel*
 146. *fidei, vel morum, repugnans*. Propositionem, tractationi præmittendam, esse vel dogmaticam, vel historicam, vel mixtam, docet.
 153. *Dogmaticam* subdividit in theoreticam & practicam. De usu e-
 155. lenchitico inprimis saluberrime exponit. De dictionis natura & pronuntiatione ita disserit, ut rei & lectori ex asse faciat satis. Dictione utitur limpida, pura, venusta, & ad finem accommodata. Nihilominus adhibet methodum mathematicam, quam fugiunt permulti, quia, eam a scriptura elegante & tersa disjunctissimam, salebrisque Scholasticorum tinctam esse, immerito arbitrantur. Suppeditavit Cel. Vir eis, qui methodi apodicticæ sunt hostes, exemplum, quo doceri possint, solidam ac planam rei tractationem, castamque & profluentem dictionem, vinculo sororio posse inter sese conjungi, nec necessarium esse, ut catenata veritatum series cum æruginè ac barbarie vocum, Magistro sententiarum probata, utquequaque iverit in familiaritatem.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXLII.

Pars I.

PAULI OROSII, PRESBYTERI HISPANI, AD-
versus Paganos Historiarum Libri septem, ut & Apolo-
geticus contra Pelagium de arbitrii libertate. Ad fidem
M. Storum, & præsertim Codicis Longobardici antiquissi-
mi Bibliothecæ Florentinæ Medicæ S. Laurentii, adjectis
integris Notis FRANC. FABRICII MARCODURA-
NI & LUD. LAUTII, recensuit, suisque animad-
versionibus, nummisque antiquis plurimis, illustra-
vit, SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.

Lugduni Batavorum, apud Gerardum Potuliet, 1738, 4 maj.

Alph. 3 plag. 18.

P*aulus Orosius, Scriptor Christianus Seculi post Christum na-*
tum quinti, natione Hispanus, Presbyter Tarraconensis in
patria, Augustinum, Hipponensium Præsulem, adiit, aut
a duobus, ut creditur, Episcopis missus, aut divino instinctu in-
vitatus, quemadmodum ipse fatetur in quadam Epistola ad Augu-
stinum, ad id scripta, ut nonnullarum difficultatum solutionem ab
eo impetraret. Commoratus est apud illum aliquandiu, ejusque
nutu & hortatu contra paganos calanum strinxit, non ut osten-
deret stultitiam tot Numinum colendorum, hujusque religionis
vanitatem, sed ut evinceret, nequaquam pejorem orbis ter-
rarum, vigente in eo publico veri Dei cultu, & recepta reli-
gione Christiana, esse conditionem, quam semper & passim

Ppp

ab

ab initio fuerat. Namque pagani, Christianam religionem, pro-
tendebant, esse causam calamitatum & cladum Romanarum;
quam ut calumniam dilueret *Orosius*, septem Historiarum Libros
scripsit, iisque probavit, etiam antiquissimis temporibus ex-
empla existisse tragica, historiam antiquissimam usque ad sua
tempora variis ex Autoribus repetens. Laudibus non vulgari-
bus propterea effertur *Orosius* ab eruditis, *Cassiodoro* Christia-
norum temporum & paganorum collator, *Cassaubono* optimus
scriptor & zelo domus Dei plenus, appellatus, ut alios taceamus,
qui ejus pietatem diligentiamque mirantur, quanquam, suos etiam
ipsum pati manes, non sit dissimulandum. Diu jam est, quod
docti viri novam desiderarunt *Orosii* editionem, quam etiam
olim promiserant *Gerhardus van Mastricht* & *Jo. Clericus*, cum
quibus spes nova luce hunc Autorem collustratum videndi si-
mul sepulta fuit. Votis tamen nunc literatorum satisfecit *Cl. Si-
geb. Havercampus*, qui nitidam & elegantem, cujus nunc formam
describimus, nobis dedit *Orosii* editionem. Inter Autores ve-
teres, qui sunt sub artis typographicæ initia primi in lucem editi,
fuit hic *Paulus Orosius*, qui ante exitum Seculi decimi quarti tri-
bus diversis locis prodiit impressus. Antiquissimam editionem
B. Jo. Alb. Fabricius Basileensem esse putat, ab *Aenea* quodam re-
censitam, & excusam apud *Leonhardum*, sine anni indicio, sed
quæ videtur diu ante exitum Seculi decimi quinti prodiisse.
Clariss. vero *Havercampus* nobis confirmat, *Fabricium* hac in re
aliquid humani fuisse passum, siquidem hæc editio non Basileæ,
sed Vicentiæ, prodierit. Atque hoc ipsum carmine, ad libri
calcem adjecto, probat, ex quo fiat clarum, *Hermannum Colo-
niensem* eam publicasse, & *Aeneam Vulpem*, Vicentinum, illam cor-
rexisse. Quod vero *Hermannus Coloniensis*, quamvis patria Co-
loniensis, omnes suos libros Vicentiæ inpresserit, & A 1494
obierit, ex *Mich. Mustairii* Annalibus typographicis nos
docet, simulque notat, hanc editionem A. 1475 pre-
lum reliquisse. Hanc sæpe in observationibus ad *Orosium*
editionem prunam & principem vocat, quamvis de principatu
& antiquitate litem ei movere possit alia editio *Orosii*, quæ
anni notam exhibet, & germano Gothico charactere Augustæ
A. 1471 per *Jo. Schuszler* est impressa. Tertio prodiit *Oro-
sius*

sus Venetiis opera *Octaviani Scoti* A. 1483, & iterum Venetiis A. 1500. Ab eo tempore Seculo decimo sexto prela sæpe fatigavit *Orosius* Parisiis & Coloniae, hæque editiones omnes, imprimis vero *Francisci Fabricii* & *Andr. Scotti*, diligenter a Cl. *Havercampo* recensentur. Ultima editio Cl. Editori videtur esse illa *Andr. Scotti*, quæ Moguntia A. 1615 prodit, ut adeo plus centum & viginti annis, quemadmodum scribit ipse, in tanto veteres Auctores ad prela revocandi ardore sine cujusquam editoris cura jacuerit *Orosius*, cujus tamen tot antea sæ invicem exceperant editiones. Nos quidem ii non sumus, qui hac de re Viro Celeberrimo controversiam movere in animum induximus; significamus tamen, ad manus nobis esse recentiorum editionem, quæ cum *Fabricii*, *Lautii*, & *Scotti*, annotationibus Moguntia A. 1663 lucem adspexit. Sed prævit Cl. *Havercampo* B. *Fabricius*, qui in *Bibliotheca Latina* editione illa Moguntina recentiorum non attulit. Quicquid autem horum sit, in illa, quam pro ultima editione habet, multa errata deprehendit *Havercampus*, neque *Fabricium* in emendando & illustrando *Orosio* ita versatum fuisse credit, ut omne possit punctum tulisse dici. Operæ itaque duxit esse pretium, ut ad Codices manu exaratos hi *Orosii* Historiarum libri recenserentur. Propterea non modo omnes, quas habuit cognitæ, editiones contulit, sed etiam quinque Codicibus adjunctus fuit ex Bibliotheca, quæ Lugduni Batavorum est, tribus ex Florentina, uno ex Ultrajectina, unum ipse possedit, & collationem Codicis antiquissimi, summa cura a Cl. *Jac. Gronovio* institutam, ipsi concessit filius, *Abr. Gronovius*. Quem ipse possidet Codicem, ex Bibliotheca *Hulsiana* accepit, in pergamento per columnas scriptum, quem sibi plurimum profuisse faterur. Ultrajectinum *Otto Arntzenius* contulit. Ex Codicibus Bibliothecæ Lugdunensis unus A. 1463 in charta scriptus, adeoque valde recens, est, & vitiis quibusdam laborat, in multis tamen lectionibus cum optimis conspirat. Ex quatuor reliquis Lugdunensibus unus olim *Nic. Heinsii*, & deinde *Isaaci Vossii*, fuit, alter in fine notatur scriptus manu fratris *Everardi de Nouongio*, tertius *Orosii* Codex vocabitur, & *Justini* quoque libros continet, quartus, membranaceus, olim ad *Isaacum Vossium* pertinuit. Ne-

que tamen his, in patria repertis, subsidiis contentus fuit, sed Florentiam adiit, ubi in Bibliotheca *Laurentiana* insignis Codex *Orosii* asservatur, Longobardicis literis exaratus. Hunc in illa Bibliotheca contulit *Ant. Maria Biscionius*. Antiquissimus hic Codex esse, & fere mille annorum ætatem præ se ferre, perhibetur; quæ causa est, cur ex eo Cl. *Havercampus* nonnullas lineas æri incidendas curaverit, quo lector de ejus antiquitate judicare possit, & quidem duplici vice, semel post Præfationes & Dedicaciones, ubi orthographiam hujus Codicis exhibuerat, iterum pag. 70. Præterea in eadem Bibliotheca Florentina duo alii Codices collati sunt. Tanta itaque cura fuit Cl. Editori in hoc Autore recensendo, ut non solum Codices MStos frequenter in consilium advocaverit, sed etiam editiones, ut putat, omnes consuluerit. Integræ observationes accesserunt ad hanc editionem *Franc. Fabricii*, *Marcodurani*, & *Lud. Lautii*; quibus & ipse suas addidit Cl. Editor, quæ partim variantes lectiones recensent, partim *Orosium* illustrant, advocatis aliorum Autorum testimoniis. Nummis plurimis hinc inde distinctum etiam videbis Opus, qui res memoratas plenius exponunt, & allata confirmant, ut Cl. Editori quidem videtur. In eo laudandus imprimis videtur *Havercampus*, quod non tacuit novos *Orosii*, id non solum generatim observans, quod multis anilibus fabulis plenus sit Autor, quando e. g. vestigia reliquisse conspicienda adhuc *Ægyptiorum* persequentium currus, narrat, sed speciatim etiam varios errores *Orosii* non premeus silentio, quando e. g. *Terentium* Comicum, & *Terentium* Culleonem, confudit *Historicus* pag. 269. Libellus *Orosii*, qui *Apologia, sive de arbitrii libertate contra Pelagianos*, inscribitur, etiam additus est in hac editione, quia *Fabricius* in altera editione eum subjunxerat, & in omnibus fuerat recensentus. Apparet tamen sine omnibus annotationibus, nisi quod nonnunquam Scripturæ S. loci fuerint sollicitius excitati. Ampla fuit olim disputatio inter eruditos, cur hæc *Historia Orosii* in nonnullis Codicibus *Hormesta* aut *Orchestra* fuerit inscripta, nec hodie plane hæc sopita est. Sed neutra ex huc usque prolatis sententiis satisfacere potuit Cl. *Havercampo*. Putat

is potius, hanc inscriptionem corruptam esse ex verbis *de miseria mundi*, & hunc verum esse libri titulum. Ceterum hanc novam *Orosii* editionem gratulamur orbi erudito, siquidem ex illa multum proficere poterunt, qui hoc Autore impensius delectantur.

COMMENTATIONES HISTORICÆ ET CRITICÆ
 JO. DAN. SCHOEPLINI, *Consil. & Historiographi Gall. Reg. Acad. Inscript. & Societ. Angl. Sodal. Hist. & Eloqu. in Universit. Argent. Professoris.*

Basileæ, typis Jo. Henr. Deckeri, 1741, 4.

Alph. 3 plag. 4 $\frac{1}{2}$.

Academicarum Commentationum neque recens, neque nisi cum insigni literariæ Reipublicæ commodo conjunctum, institutum est, Lector. Vidit, ab aliquot inde Seculis, doctissimorum virorum pertinacem in illis concinnandis industriam literatus orbis; accepit prolata in lucem, cum judicio illustrata, atque diducta penitus, elegantissima plerumque, & veteris & recentioris Historiæ monumenta, eo quidem magis commendata; quod in re una defixa solertia, facilius consummati quid pollicebatur, quam ubi per transitum quasi in magnis illis Historiarum operibus attinguntur quædam magis, quam illustrantur. Solent enim, quemadmodum recte *Morbojus* in *Polybist.* l. 1, 21, 31, pag. 243, plerumque *Autores earum, in omnibus convergendis, quæ quacunque ratione ad argumentum pertinent, esse operosi, & maxime singularia congerere.* Attamen multorum etiam inanis labor circa infames materias versatus est, de quibus suo jam tempore *Gellius*; adeo, ut amplitudines logicæ, quæstiunculæ metaphysicæ, & quæ sunt augurum reliquæ, Iberas nœnias dixeris, multos deridendos propinarint. Conversa hæc in thuris piperisve cucullos, doctissimarum quarumque Dissertationum in infinitum auxere pretium, ita quidem, ut exiguo temporis spatio sunt rarissimæ. in librariorum quoque tabernis quæsitæ frustra. Magnam proinde laudem merentur, qui selectas Com-

mentationes, collectas in volumem, *Gravii* Crenique exemplo, curant excubiri iterum, atque ita hoc dant eruditorum gloriae, ut, mortui cum sint, pergant vivere. Superfedemus facile commemorare destinationum istiusmodi specimina; quis enim *Conringii*, *Bacleri*, *Schurtzsteifbii*, *Hertii*, *Wisfii*, *Fabricii*, *Meuckenii*, aliorumque, Commentationes, congestas in unum, prodiisse, nisi forte levi literarum cura tangitur, ignorat? At majoribus multo digni erunt encomiis, qui, quæ per vices protruserunt in lucem, simul prodire ipsi jubent, ubi animadvertunt, gratam fuisse literatis acceptamque operam, quam scriptis suis impenderunt. Ita major his fides, quia non aliena, sed sua, promunt, soli quippe aptissimi, qui suis vel adstant, quod suggererunt *Deuſſen* *Peorridas*, vel demant. Idem fecit volumine, quod exhibemus, non Alatiæ modo suæ & Argentinæ, sed totius orbis eruditi, decus insignis, Celeberrimus *Schappinus*. Cum enim inde a multo tempore Eloquentiæ & Historiarum Professor, varias, & historici, & critici, argumenti Commentationes edidisset; non passus est carere nos doctissimis meditationibus, quas doctorum aviditas rariores fecerat. Itaque collectas in unum volumem ita lectorum usui adaptavit, ut novo sibi beneficio omnes & singulos, qui humaniores literas habent in deliciis, obstrinxerit. Additæ etiam quædam sunt, quæ lucem nondum conſpexerant. nunc primum excuſæ. Interscriptum volumem Celsi Autor Eminentissimo ac Serenissimo Principi *Armando Guallo* *ni*, Cardinali *de Rohan*, Principi & Episcopo Argentinensi, Alatiæ Landgravio, S. R. I. Principi, magno Franciæ Eleemosynario. Ipſo Operis initio Elenchus Dissertationum XIX, quæ continentur hoc volumine, conſpiciuntur, quæ jam dabimus in compendio, verbis ipsius Autoris plerumque pluri. Prima omnium historica Commentatio est *de Apotheosi, seu consecratione Imperatorum Romanorum*. In quatuor Capita retulit, quæ miro selectu, exactissima accuratione, eam in rem disserit. Primo loco de Apotheosi in genere exponit, atque illius fundamentum simul & originem beneficii in mortales adſcribit, quam *αποθεωσις* causam *Curtius* quoque retulit. Inde or-

tos 300 diversarum gentium *Joves*, inde Græcorum Romanorumve *ἀνθρωποειμούς* repetendos, ostendit. Apud Græcos certe Achæi *Aratum*, *Brasidam* cum Amphipolitanis Spartani, *Hephæstionem*, familiarem suam, *Alexander M.* non nisi ob excelsa in rempublicam merita, cælo asseruerunt. Romani, Græcorum & hunc morem imitati, non *Romulum* modo, quod *Marte* ortum crediderant, sed & nutricem ejus, *Accam Larentiam*, cælo intulerunt. Neque tamen nisi origines suas consecrasse Romani videntur, quod sub Regibus, sub Consulibus, de consecratione ne cogitarint quidem. Scilicet malebat *exterarum & devictarum præsertim gentium Deos transferre Romani, quam novos ex suis heroibus creare, Martius populus*, (verba sunt *Schappstini*,) cum urbem suam orbis dominam, & communem populorum patriam, reddere conaretur. Adeo, ut omnes Dii Dæque, quas Roma indigetes coluit eo tempore, ipsa sint Roma antiquiores. Increpat ob recens *facinus Tacitus Augustum*, quod se templis & effigie numinum coli voluerit; quod satis est argumenti, sub Imperatoribus demum solitos, quos heroes credebant, consecrari. *Hi*, inquit *Noster*, *posteaquam omnes dignitatum civilium titulos exhausissent, ad cælestes, quibus nihil dari sublimius potest, progressi sunt; populusque Romanus ipsam quoque Principis mortem assentatione sua præcurvens, tribuit nonnunquam vivis, quod mortuis tot heroibus antea fuerat denegatum.* Nempe ingeniosior est, ut re *De Plinius*, ad excogitandum simulatio veritate, servitas libertate, metus amore. Hoc idem illud est, quod cælo *Julium* dicavit, quod divinos honores enim vivo detulit. Pergit *Noster*, & apud quosnam fuerit jus illud consecrandi, demonstrat. *Inter singulares*, inquit, *Romani Senatus prærogativas antiquitus velatum fuit, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi a Senatu probatus.* Succellu temporis, quos mortuis honores Senatus deferebat, Imperatores sibi aliisque vivis tribuebant. Ita *Cajus*, ita inmanissima illa bellua, *Domitianus*, ita incommodus ille *Commodus*, si tua *Dioni, Suetonio, Plinio*, fides constat, coli voluerunt. More ita inualecente, cui mirum videbitur, si
 cæli-

coelitem numero adscriptos Principes legerit, *agere exequiis dignos*, ut *Aurelius Victor* loquitur *de Caesaribus Cap. 33*. Ostendit ea occasione Cel. Autor discrimen, quod inter heroicis & divinos honores intercesserit. Nimirum heroicis illos dicebant, cum statuis aliquem & imaginibus publice ornarent, ferrent in pompa Circensi effigiem, nomen Saliaribus hymnis infererent; æque ut Athenienses, cum istiusmodi ornamenta in aliquem transferrent, peplo *Minerva* nomen intexebant; cui vero sacrificia fiebant, cui Flamines & Sacerdotes constituti, cui templi & aræ exstructæ, illum, Deorum cœtui vindicatum, divinis honoribus prosequantur. Et satis erat, ad frequentandum actum istum, frequens illorum temporum, quæ republicam perdidit, adulatio, adeo quidem, ut *Lactantius* saryram scribat *Instit. 1, 15*, cum, *apud Romanos*, inquit, *Deus est Julius, quia hoc scelerato homini placuit Antonio, Deus Quirinus, quia hoc pastoribus visum est, cum alter germani fratris existerit, alter patria, parricida*. Ita nimirum illa libertatis tam anxia urbium & regnorum regina, ut loquitur Noster, magis visa est sollicita de consecrandis illis, qui dominum Romæ stabiliverant, quam qui libertatem. *Romulus & Caesar* honores adepti sunt, quos nec *Bruti*, nec *Cassii*, sperare poterant. Posteaquam ita de origine *θεοθεωτων* apud Romanos differuisset Cel. *Schapplinus*; quædam de *Romuli* consecratione subnectit, quam ex eburneo diptycho, Florentiæ in Museo Comitum *della Gherardesca* asservato, illustrat. Adde & festa, in honorem *Romuli* celebrata, Quirinalia, stultorum serias dici solita. Tandem de consecrationis voce exponit, hic loci in eminentiori significato intelligenda. Consecrabantur enim & qui mysteriis initiati, consecrata animalia, immo inanimatorum etiam res consecratæ, ut ædes, fana, delubra, vasa, imagines, arbores; unde promiscua illa dedicationis, inaugurationis, consecrationis, nomina. Imperatores vero & Principes consecrati, ut *θεοθεωτες* dicerentur; deificatos *Tertullianus* vocat. Hæc illa est Nostri, ex Romanorum religione, *θεοθεωτων*. *Secundum Caput* Imperatores, *Caesares*, & *Augustas*, refert, qui Romæ fuerunt consecrati. Incipit

pie a *Divo Julio*, cui primus ludos *Augustus* consecravit, populus columnam in foro statuit, addito *parentis patriæ* elogio. Removet ab *Augusto Juliano* Imperatoris calumniam, cum *καροπλοίαση* vocat, tanquam autorem *Julianæ* apotheoseos; cum ex *Cicerone* pateat omnino, cœlitibus adscriptum *Cæsarem*, antequam rerum *Augustus* potiretur. Flamines Julios fuisse, immo & Lupercos, ex *Cicerone* & *Plutarcho* discimus; tum enim ad duas illas Sodalitates Lupercorum, *Fabiorum* & *Quintilianorum*, a suis ita præpositis dictas, tertia accessit *Juliorum*, quod *Festus* voce *Fabiani* loquitur. Numi argentei, qui consecrationis memoriam vindicarunt, stellam crinitam honoris ejus symbolum exhibent, cum inscriptione: *Divus Julius*. Varia inde de inscriptionibus & gemmis, huc faciencibus, ex *Begeri Museo Brandenburgico* & *Onuphrio Panvino* afferuntur; corrigiturque error *Eutropii Lib. VII*, cum, primum omnium *Augustum* relatum inter Deos, hallucinatur. De *Divo Augusto Patre*, quem ita numi & marmora, multa, & selecta omnia. In provinciis vivus etiamnum templis & numinum effigie cultus fuit, quod vitio ei vertitur a *Tacito*. Ita *Tarraconensium* ara vivo *Augusto* exstructa, in qua, cum forte aliquando palma nasceretur, & incolæ, omen victoriæ interpretantes, gratulatum Romam misissent, festivo *Augustus*, apparet, quam sæpe accendatis, respondebat, docente id *Quintiliano Inst. Orat. VI, 3*. Ita Athenienses, *Herodes Magnus*, *Lugdunenses*, non defuerunt, quin eodem *Augusto* honores decernerent. Digna sunt, quæ hic loci *Cel. Autor de ara Lugdunensium* retulit, curatius referri. LX Galliarum nationes aram & templum *Lugduni* ad *Araris* & *Rhodani* confluentem, communi sumtu, Romæ & *Augusto* dedicarunt, cum totidem statuis, singulas nationes representantibus. Superest horum memoria in numis æneis, posita utrinque excellã columna, cui imago *Victoriæ* insistit, subjuncta inscriptio: *Roma & Augusto*. *Addæ Noster*, 300 nugures, haruspices 60, curam illius templi habuisse; instituisseque *Caligulam* ad ipsum illam aram Academicos ludos, *Miscellos* dictos, quos *Suetonius* ejus in *Vita Cap. 20* ulterius exponit, cum certamen Græcæ Latineque sciendiæ vocat, quo victori-

victoribus victi præmia contulerunt, eorundem & laudes componere coacti; ii autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere iussi, nisi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi, mallent. Refert deinde Auctor, discerni debere privatam populi consecrationem, factam in larariis suis, a consecratione publica Senatus; ne forte invicem pugnare videantur *Suetonius*, qui *Augusti* laudat modestiam, prohibentis delatum sibi cultum, & *Aur. Victor*, *Appianus Alexandrinus*, aliique scriptores, qui viventis *Augusti* divinos honores fugillarunt. Recenset dein Sacrarium, *Augusto* Romæ erectum, datos flamines, & sodales; memorat poema, Getico sermone in hanc *Augusti* apotheosin ab *Ovidio* confectum, aram, Tomis in domo sua divo *Augusto* dicatam. Tandem ad Tiberianum illum Sanctæ capellæ Parisinæ achatem delabatur, qui divum *Augustum* cum familia exhibet, quod in addita tabula, æri incisa, conspicitur. Penitus illustre hoc monumentum *Montefalconius*, nuper literatæ Lutetiæ decus, illustratum dedit; licet in alia omnia *Trifstanus*, *Rubenius*, *le Roi*, *Harduinus*, abeant, quod ad interpretationem ejus attinet. Sequitur *Divus Claudius*, quem *Nero* cœlo dicavit, ut irrideret, quem admodum *Plinius Paneg. Cap. XI.* Restitutum a *Traiano* numum ex *Patino* Auctor adducit; nec marmoris, apud Bovillas reperti superiore Seculo, & a Cardinali, *Hier. Columna*, *Philippo IV*, Hisp. Regi, dono dati, immemor. Defertur illic ab aquila, expensis alis, in cœlum *Claudius*; quod in ægypto videre est. Hanc *Claudii* consecrationem *Seneca* festivissimo libro false perstrinxit, quem *ἱεροκολονίδωρον* vocat. *Divus Vespasianus*, quem *Titus* cœlo dicavit, ut Dei filius videretur, sic passim reperitur in numis; immo marmora & Flaminum *Vespasiani* mentionem injiciunt. Ipse autem moriens *Vespasianus*, referente *Suetonio*, consecrationis suæ tempus advenire, sensit, cum exclamaret: *ut puto, Deus fio.* *Divus Titus* consecratus est a *Domitiano*, ut Dei frater videretur, teste eodem *Plinio*. Sodales *Titiales* dicti, ad discrimen *Titiorum* sodalium, quibus *Titie* aves, ut existimat Noster, nomen dederunt. Inde aliquid de templo, *Flavorum æternitati* consecrato, additum, eoque

eoque & *Martialis* locus *Epigr. IX, 2*, tractus: manebit altum *Flavia* decus gentis. Commemorat quoque arcum triumphalem *Titi*, ejusque occasione errorem *Pitisci* docte corrigit, qui Hierosolymitani triumphii insigne, in arcu conspicuum, Jordanum fluvium, figura senis procumbentis, urnæ innixi, representatum, ipsum Imperatorem *Titum*, hallucinatus est. *Domitianum* miles Divum appellavit, cum in illius abolenda memoria operosus esset Senatus; nec mirum, mortuo denegatum, quod vivus sibi decerni imperaverat. Numus vero *Patini*, de *Domitiani* consecratione expositus, recte ad apothecosin *Titi*, factam a fratre, remittitur a Cel. Autore, ob additam inprimis notam S. C. Cum Senatus omnino, referente *Plinio*, exquisitissimis contumeliis mortuum affecerit; tantum abest, ut Senatusconsulto istiusmodi honoris genus debeatur. Subnectit consecratum a patre filium, quem numi, a *Domitiano* cusi, *Divum Casarem Imp. Domitian. Fil.* compellant. *Divus Nerva* consecratus a *Trajano*, & numus in ejus rei memoriam restitutus a *Trajano*, a *Gallieno* percussus iterum. *Nerva* Flamini, *L. Betutii*, Ariminensis Inscriptio meminit. *Divus Nerva Trajanus* ab *Hadriano* consecratus fuit. Curaverat in ejus honorem, cum Asiaticis bellis implicitus abesset, erigi columnam S. P. Q. R. Huic, Imperatore reduce, apud Seleuciam extincto, Colossum ejusdem cum sceptro sive hasta pura in manu sinistra imposuit, ut divinitatis illius ederet monumentum. Fallitur ergo nimium quantum *Dio Cassius*, cum, *Trajanum* ipsum hanc sibi in foro columnam statuisse, affirmat. Adversatur ipsa columnæ inscriptio, adversatur præcipitatus Principis excessus, qui e Perfide Romam non rediit, adeoque nec extructam expeditionis illius tempore columnam ipse conspexit. Addita sunt ab Autore quædam, ad illam eruditorum, de conditis *Trajani* ossibus, controversiam spectantia; quam ille litem ita dirimit, ut, sub columna in urna aurea collocata, cum *Cassiodoro* & *Eutropio* contendat. *Divus Hadrianus* appellatus Divus non fuisset, nisi rogasset *Antoninus*. Atque, ægre omnino illud concessum a Senatu, testatur *Victor Aurelius*. Tandem & templum Romæ dicatum accepit, cer-

tamen quinquennale in ejus honorem constitutum, quod Ise-
lasticum dicebatur, perperam Iselasticum in marmore Mel-
pheni appellatum. Loquentes etiam de *Hadriani* hac conse-
cratione numos inducit Autor, commemorat flamines, sode-
les, saliosque *Hadrianales*. Subjungit denique *Antinuum*, Clau-
diopolitanum raræ pulchritudinis adolescentem, *Hadriano* Im-
peratori adeo in deliciis, ut, Nilo mersum consecratum, scri-
ptores memorent. Vocatur *Αντινοος Ἁγος*, divus *Antinous*,
in numis, imo *Αντινοος Θεός* insigni numo Hieropolitani cele-
brarunt. Recenset dein duo inedita *Antinoi* numismata Cel-
Autor, Vindobonæ asservata; quæ & Inscriptionem Romanam,
ubi Ægypti Deorum contors appellatur *Antinous*, commemo-
rat. Observat & illud *Spartiani*, per mortuum *Antinuum* da-
ta oracula jactitari, quæ ipse *Hadrianus* composuisse videat-
ur. *Divum Antoninum Pium*, consecratum a Senatu, *Capit-
olinus*, immo nuni & marmora loquuntur. Afferuntur de-
mum multa de columna illa solida L pedum, *Clemente XI*
Pontifice in cytorio monte reperta, quæ Imperatorem cum
Faustina insigni anaglyphico opere exhibet. Redarguuntur
antiquarii, quod numos, columnam istam referentes, reperto
nondum monumento, in honorem *Aurelii* exposuerint; re-
darguitur *Donatus*, quod in *Roma veteri Lib. III Cap. 16* mala
fide in describendis istiusmodi numis sit versatus. *Divum Ve-
rum*, idem refert *Capitolinus*, a *M. Aureliano*, dedicato Flami-
ne, cœlis adscriptum. *Divo M. Antonino parum fuit*, inquit
ille, *quod illi honores divinos omnis ætas, omnis sexus, omnis
conditio ac dignitas, dedit, nisi quod etiam sacrilegus judi-
catus est, qui ejus imaginem in sua domo non habuit, qui per
fortunam vel potuit habere, vel debuit. Templum ei constitu-
tum, dati sacerdotes Antoniniani, & Sodales, & Flamines.* Ad-
didit Autor Inscriptionem Romanam, quæ idem loquitur, *Pan-
vinii Commentariis Republicæ Rom.* insertam. *Commodum*, te-
ste *Lampridio & Spartiano*, Imperator *Severus*, odio, ut vide-
tur, Senatus, inter Deos retulit. *Divi Pertinacis*, æque a *Se-
vero* consecrati, cerimoniam prolixius *Dio* retulit. Ingens hic
Senatus testimonium habuisse *Capitolino* dicitur, adeo, ut,
ducto

ducto ei imaginario & *Censorio* funere, ab ipso *Severo* laudatione funebri ornaretur. *Pescennius Niger* divus a *Mediobarbo* creditus, quem numus, crescente inter septem triones luna, inscriptione: *consecratio*, insignitus, deduxit. Productus est a *Vaillantio* numus, sed memoriz aliquo lapsu, quod ipse proficetur in editione altera Operis, Consecrationis vocem inscriptam menturus est. *Æternitas Augusti*, quæ voces eo numo leguntur, ad adulationem populorum referendæ sunt, cura Historici omnes de *Pescennii* apotheosi ne quò quidem prodiderint. Ita & in *Taciti*, *Floriani*, *Treboniani*, *Galli*, *Æmilianii*, *Maxentii*, qui nunquam consecrati sunt, monumentis adulationis ista species invenitur. Sed nec divinitatis vox de consecratione semper intelligenda, cum in arcu *Constantiniani* Romana tribuatur Imperatori huic, quem consecratum nusquam legimus. *Divi Septimii Severi* apotheosin, præter numorum indicia frequentiora, peculiari ritu celebratam, *Herodianus* differit. *Divus Geta* relatus inter Deos a *Caracalla* fratre, ut facinus mitigaret; & nota est omnino illius apud *Spartianum* de *Geta* vox: Sit divus, dummodo non vivus. Disputat Autor cum Ancyrano Episcopo, Doctiss. *Fontanino*, qui negat, erasum, *Caracallæ* jussu, ex publicis plerisque monumentis *Geta* nomen; & contrariam, quam tuetur, sententiam Noster ex *Dione* inprimis confirmat, qui adeo exosum *Caracallæ* solum mortui fratris *Geta* nomen fuisse docet & intolerabile, ut, si quis illud vel scriberet tantum, aut pronuntiaret, statim morte mularetur. *Divus Antoninus*, dictus *Caracalla*, parricida & incestus, a *Macrino*, qui eum occiderat, timore militum maxime Prætorianorum, inter Deos relatus est, *Spartiano* teste. *Divum Titum* consecratum, tacent Historici, loquitur tamen numus apud *Stradam*, argenteus, cum epigraphe: *Divo Tito*. *Gordianos* contra, I & II, patrem & filium, Deos evasisse, tradunt Historici, silent numi, ceteraque monumenta omnia. *Gordianum III* a militibus dicatum cælo, testatur *Eutropius*. Quid? quod, erectum ab iis sepulcrum in Persicis finibus, *Capitolinus* referat. *Divi Marci* numum *Strada* exhibet, aram accensam, cum inscriptione: *Consecratio*, exhibentem.

tem. *Divos Philippos*, patrem & filium, ex *Eutropio*, consecratos, discimus. *Divi Marini*, qui contra *Philippum* in *Mœsia* & *Illyrico* arripuerat imperium, numum vindicat Autor Celebrimus, productum a *Strada* primum, dein & a *Seguino*, inscriptis vocibus: *Θεὸς Μακεδονῶν*. *Decios*, *Volusianum*, *Valerianum*, *Gallienum*, *Regillianum*, *Marcianum*, *Trebellianum*, *Postumum*, *Victorinum*, *Tetricum*, *Claudium Gothicum*, *Quintillum*, *Aurelianum*, consecratos, ex nummis partim, partim ex Historicis, evictum dat Autor. *Probum* Imperatorem non publica, sed privata, autoritate consecratum tradit *Popiscus*. Neque de *Caro*, *Numeriano*, *Diocletiano*, (qui, privatus cura obiit, tamen inter Deos relatus est,) *Maximiano Herculeo*, *Constantio Chloro*, *Maximiano Ardentario*, *Nigriniano*, *Romulo*, consecratis, dubium esse ullum potest, cui, quæ nummi, quæ scriptores veteres, exhibent, innotuerunt. *Divum Constantinum* cœlo adscriptum, ostendunt numi, qui velatum in curru cum quadrigis, dextram tendentem ad dextram aliam, porrectam ex aere, tanquam quæ illum receptura sit, referunt. Quæ Christiano sensu interpretanda, Autor monet, quod absit aquila, absit ara, absint reliqua superstitionis gentilium symbola. Quadrigas, *Elie* exemplo, servatas, existimat. Neque certe sine ingenio. Attemperanda ergo his vox *Divi*, quemadmodum & in *Constantini junioris*, *Constantis*, *Constantii*, *Juliani*, *Joviani*, *Valentiniani*, *Valentis*, *Gratiani*, *Theodosii*, *Arcadii*, *Honorii*, *Theodosii junioris*, *Placidii Valentiniani*, consecrationibus, de quibus omnibus testimonia & numorum & Historicorum *Cel.* Autor adjecit. Reliquorum ad *Momyllum* usque *Augustulum* Imperatorum, quod vix nomen istud meruerint, nullam habitam fuisse, pereunte cum *Valentiniano* imperii Occidentalis Romani majestate, rationem, egregie stabilitur. Posteaquam ita consecratos recentuisset, subjungit quædam Autor de *Divi* voce, eamque ad sequiora quoque *Secula* penetrasse, ostendit, licet demum *Carolus M.* morem illum improbarit. Quæ de discrimine *Cesarum* & *Augustorum* annectuntur, eo redeunt, ut ostendat Autor, quomodo sensum *Cæsaris* nomen, proprium olim genti *Julia*, adopta-

tis *Augusto, Tiberio, & sequentibus ad Neronem usque, Imperatoribus, cesserit; quomodo dein, deficiente Cæsarum pro-
genie, Galba, Vitellii seditione audita, L. Pisonem renuntiave-
rit Cæsarem, id est, imperii successorem; quod dein, addito
& Nobilissimi cognomine, servatum fuit ita, ut, qui in certam
imperii spem assumebantur, Cæsares dicerentur, qui autem
in ipsam imperii societatem transferrentur, vocarentur Im-
peratorum nomine *Augusti*. Quæ dum scribimus, recorda-
mur illud, de Cæsarum nomine, *Taciti Annal. Lib. III Cap. 18:*
*Mibi, quanto plura recentium, seu veterum, revolveo, tanto ma-
gis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur,
quippe fama, spe, veneratione, potius omnes destinabantur im-
perio, quam quem futurum Principem, fortuna in occulto tene-
bat.* Quod ad Imperatrices attinet, quæ fuerunt consecratæ, de-
dit illorum quoque catalogum Celeberrimus Autor, scriptorum
non minus dignorum fide, quam numerorum testimoniis, inter-
stinctum. *Divam Liviam, Suetonius, a Claudio demum inter
Deos collocatam, loquitur; adeo, ut male Angelonius in His-
toria Augusta, Augusto ipsi; male Gutherius Cajo, Augustæ apo-
theosin tribuant. De ea Prudentius:**

*Hanc Tibi Roma Deum titulis & honore sacratam,
Perpetuo Floras inter Veneresque creasti.*

Drusilla adscripta immortalitati a fratre *Caligula*; ejusque a-
deo apotheosis consecratione *Liviæ* est antiquior, unde male
iterum *Gutherius de Jure manium*, primam post Remp.
eversam Romæ Deam factam *Liviam*, pronuntiat. *Claudiam
Poppæam, Domitillam, uxorem Vespasiani*, (neque enim *Do-
mitillam*, ejus filiam, consecratam, quæ a *Pauvino* allegantur, sa-
tis demonstrant, quod ad *Matrem* potius referantur,) *Juliam
Titi, Plotinam, uxorem*, (cujus numus apud *Goltziium* rarissi-
mus,) *Augustam Marcianam, sororem Trajani, Matidiam,
Sabnam Hadriani, Faustinas, Juliam Augustam Septimii Se-
veri, Mesum. Juliam* sororem, *Paullinam Maximini, Mari-
nianam Valeriani*, consecratas omnes, numerorum autoritate,
stabilitur. *Tertium* Dissertationis Caput Consecrationis cerimo-
nias exponit, ubi duorum imprimis illustrius scriptorum te-
stimonio

Simonio Autor usus est, *Dionis & Herodiani*, quorum ille, ut ait Noster, *Augusti Caesaris & Pertinacis funus prouixius annotavit; hic vero, occasione iustorum, qua Septimio Severo fuerunt persoluta, memorabilem de toto hoc ritu fecit excursum.* Recensiones utrorumque copiosiores sunt, quam ut hic inferi possint; inferemus tamen, quæ imprimis ad illustranda, quæ retulerunt scriptores, adducta reperimus. Imaginarius funus *Capitolinus* omnem eam sollemnitatem nuncupat, cum ipsa Imperatorum corpora sæpe vel jam cremata, vel jam fuerunt sepulta, cum consecrationis susciperetur ceremonia; sibiinde tamen ipsum quoque cadaver cum ejus effigie rogo impositum, quod *Augusti exemplo, cujus ossu legit Livia, evidenter apparet;* verba sunt Cel. Autoris, Censorium quoque funus *Capitolino* vocatur, ac si *Regium* vel *Imperatorium* dixisset, vel quod summis tantum viris, & bene de Republica meritis, habitum, ex Edicto Censorum fuerit; licet non omnino Censorium funus omne fuerit apotheosis consecuta; factæ consecrationes in campo Martio; ubi illustrium virorum corpora cremabantur; publicas vero fuisse etiam *ustrinas*, ex *Aerone, Horatii* commentatore, Autor demonstrat; ubi & quædam, ut verbum *ustrini* a lapidis portatilis, quem rogo excipiendis cineribus admoverint, significatione vindicet, profert. Neque idem significat *apparatorium*, quod *ustrina*, sed ad epulas sociales exstructum potius credi debet ædificium, quod memorabili Inscriptione adversus *Reinesium* asseritur. Ita data Manibus Inferiæ. Quod ad *rogum* attinet, quem & *tabulatum*, *suggestum*, *pegma*, *tabernaculum*, immo & *fastigium*, vocant veteres, constructus ille ex arbore picea, interdum pictus, quatuor, immo & quinque nonnunquam, contignationum erat; ita, ut superior contractior semper fuerit inferiori, unde Pharo optime comparatur ab *Herodiano*. In imo tabulato stramina, ut flammam facilius ligna conciperent, flores in proximo, in tertio aromata, inde vestes pretiosæ collocatæ, quod *Statius Theb. VI* eleganter exposuit. Huc Græcis dicta *ὑπὸ πύλαι* referuntur, quæ munera dicebant Romani, præferri solita funeribus, de quibus legi potest *Suetonius, cum Julii Caesaris funerati*

nerati meminit. *Decursio*, ad imitationem cœrensensis, instituta ad rogam, ad illius oppositionem *πολυτική* dicta a *Dione Cassio*; qua de re *Suetonius* & *Tacitus* consuluntur. Neque vero consentiunt scriptores, flagrantene rogo, an nondum accenso, facta a militibus, immo & consanguineis Principum, sit decursio; quam sinistro orbe institutam primum, Græcorum more, dein & dextro, ut contagionem funeris expiarent, Auctor observat. Inde *Isuuarii* communiter dimicabant, munera ad rogam *Seneca* appellata solennitas; de quibus multa *Florus*, *Appianus*, *Servius*. Dubitat tamen Cel. Auctor, num tale quid in Imperatorum consecrationibus factum fuerit, silentibus tam Historicis, quam monumentis omnibus. Inceso rogo, dimissa aquila, *Jovis* ales, qua, ut loquitur Auctor, *sublimius petens, animam Principis in cœlum deferre credebatur*; in Principum vero scæminarum consecratione *Junonis* ales aquilæ locum habuerat, *pavo*. Notatur hic iterum error *Gutherii*, qui, aquilæ e rogo dimittendæ ritum in *Antonino Pio* primum introductum, tradidit; cum notum sit omnino, jam in *Augusti* consecratione emissam aquilam fuisse. *Letta ossa*, combusto rogo, quod *ossilegium* vocabant, de *Livia*, in consecratione *Augusti*, *Dioni* observatum. Vino & lacte lavatæ ossum reliquæ, immo & lachrymis conditæ; tantum abest, ut de *lachrymatoris* quidquam veteres commemorent, quibus profusas tunc a præfatis maxime, pretio conductis, lachrymas fuisse exceptas, somniant plerique. Scripsit ea de re *Diatriben Chifletius*, quem secuti fere omnes. At Cel. Auctor inter fragmenta seculorum nostrorum reponit, quicquid de his vasibus tradi solet; neque quidquam illa, præter unguenta, balsama, & liquores, quibus ossa delibueret & condire solebant, antequam urnis mandarent, continuisse, multis argumentis evictum dedit. *Urna* ossa excipiebat, *ossuarium* inde dicta, immo & cineres, unde *cinerarii* nomen. Forma & materia urnarum, pro ratione funerum, variabant. Ita, *Traiani* cineres aurea urna conditos, *Eutropius* docet. Delabitur hac occasione ad illustrem illam antiquariorum controversiam, quomodo cineres & ossa illorum, qui cremabantur, a cineribus ligno-

rum aliorumque simul combustorum potuerint dignosci. Involuta lino vivo, ut vocat *Plinius*, (Asbestinum Græcis est,) Autor contendit cadavera; reperto inprimis, primo ab urbe lapide, rei istius evidenti monumento, quod linteum, ossibus & calvariis adustis repletum, exhibebat. Nunc, quicquid est, in Vaticana asservatur. Quæ de lino isto, ejus natura, raritate apud Romanos, commemorantur, apud *Plinium* legi possunt. Illud observamus, funiculos lucernarum ex istiusmodi asbesto fuisse confectos, qui, quod semper affunderetur oleum, ideoque perpetuo arderent, locum fabulæ de *lucernis veterum perpetuis*, deque oleo *incombustibili*, dedisse, Autori non sine causâ videntur. Ridetur merito *Pancirolius*, quod inter res deperditas oleum illud retulit; immo & *Licetus*, quod tam vasto volumine fabulam exornaverit. Afferuntur dein de ritu *comburendi mortuos*, ejusque *abrogatione*, quædam. Illum a Græcis ad Romanos transiisse, ita tamen, ut gentes quædam, *Cornelia* præsertim, præcæm terra condendi ritum asservarint, docemur. De abrogatione autem ritus, non se adjungit ad *Gyraldi* sententiam Cæl. Autor, quasi non ultra *Antoninorum* tempora perdurasset; cum prope Latinam viam reperta sit Inscriptio, *Calpurnium*, quæ gens *Severi Alexandri* temporibus floruerat, crematum memorans. Quid? quod *Valeriani* junioris numi rogam adhuc exhibeant, manifestum, ut Noster loquitur, ritus, *Gallieni* adhuc temporibus durantis, indicium. Itaque, *Macrobio* duce, inter IV & V Seeculum morem eum evanuisse sensim, Autor affirmat; quod invalescenti Christianæ religioni tribuendum. Quæ de cameris subterraneis sepulcralibus Romanorum, seu *Columbariis*, ut & de *Mausoleis*, quæ Principum urnas continebant, adjecta ab Autore sunt, ex reperto nuper in via Appia illo *libertorum* & *officialium Livia*, & *domus Augusti*, hypogæo, ut & *Hadrianae* molis indiciis, illustrantur. Quartum Caput notas exponit & characteres, quos tributos consecratis scriptores & numi referunt. Dabimus excerpta quædam & de his, ut ex *prima* istius *Dissertationis* labore & accuratione de reliquis Celebratissimi Autoris *Commentationibus*, possit in antecessum æquus Lector

Aur existimare. Primum omnium *Divi Divæque* titulus erat; unde & sacrarium a Græco ἱεῶς, ἱεῶν, dicebatur. De eo nomine ita *Tacitus*: *Deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.* Nihil ergo ad rem numi, a *Bellonio* producti, quibus, viventi sæpe Imperatori *Divi* nomen concessum, voluit comprobare. Qui enim *Augustum* referunt, consecrationis symbola habent impressâ; qui *divum Titum*, consulem, oppido falsi, & conficti ab impostoribus, dudum sunt deprehensi. Accedebat sæpius ad *Divi* nomen nominis quoque consecrati *immutatio*. Ita *Isis* apud Græcos *Io*; apud Romanos quis *Romuli* nomen *Quirinale* ignorat? Consecrata *Livia*, *Junonis*; *Drusilla*, *Veneris Pantheæ*, nomen tulere. Inde in rarissimo illo nummo Græco *Messalina* ipsa *nova Juno* dicitur, quasi ad *Liviam*, veterem *Junonem*, consecratam respexisset. Postea vero in consecratorum honorem *statua* aureæ magnam partem erant, augustæ historiae scriptorum testimonio; sed erant argentæ etiam, marmoreæ, eburnæ, æneæ, quod consecratorum exemplis ex scriptoribus maxime illustribus Autor commoustrat. De colosso *Augusti* in foro Romano, ut & de *Neronis* illo, *Martialis* loquens inducitur; quin ex numis quoque asseritur, multas statuarum *sessiles* fuisse, qualem *Antonino*, jam consecrato, *Macrinus* a Senatu petiisse, apud *Capitolinum* legitur. Addita his statuis divinitatis alia quoque insignia, *fulmen*, *radius*, *astra*, *hasta*, *nimbus*, *cælum*. Qua de re *Lucanus*:

Fulminibus manes radiisque ornabit & astris,

& *Plinius* in *Panegyrico*: *Horum unum, si prestisset alius, illi jam dudum radiatum caput, & media inter Deos sedes, auro staret aut eburne. Radiatam coronam Augusto tributam novimus; ejus tamen usus, sub Gallieno præsertim, tyrannis promiscuus erat, etiam vivis. Astra exhibent Domitiani Cæsaris numi; Faustina junior luna in humeris, face in manibus, Luna Lucifera instar expressa, conspicitur; unde illa de receptis inter sidera loquendi ratio exorta est. Hasta pura, id est, sine ferro, statuis Deorum apposita sæpius conspicitur; unde & in consecratis adhiberi solita. Ita diva Faustina, ita Triu-*

nus & *Antoninus*, in statuis repræsentantur. *Nimbus*, *divinam lucem* *Servius* dixit, *fulgidum lumen*, quo *Deorum capita cinguntur*. Observatur hoc in apotheosi *Claudii*; observatur in ara *Trajani*; unde fors illud derivandum, quod Sanctos apud Christianos eodem nimbo insigniri videmus. Præcis certe Regibus, e *Merovingorum* imprimis gente, haud raro tributum idem istud insigne, Autor, observasse se in Galliis, non difficitur. Velum, nisi in Imperatricum consecratione, non videas; in Imperatoribus certe consecratis rarius. In Achate tamen capellæ Sanctæ Parisinæ, cujus supra meminimus, *Augustus* velato capite conspicitur, sed, quæ *Cel. Autoris* & *Illustriss. Vignolii* conjectura est, ob *Pontificatum fortassis Maximum*, quem *vivus gesserat*. Fœminis enim velum illud, capiti circumpositum, vivis sacerdotii, post mortem consecrationis, indicium fuit; in Imperatoribus vero, vivis æque ac mortuis, ad *Constantini* usque *Chlori* tempora, nil præter sacerdotium denotabat, cum *Constantius* demum cœperit velari. Neque vero partem capitis posteriorem semper velum tegebat, nonnunquam & circuli instar ambibat caput; quod quidem *æternitatis* inter alia symbolum fuerat, cum prius in sacris præcipue adhiberetur. Hæc de statuarum, consecratis erectarum, symbolis *Cel. Autor*. Pergit jam ad reliquos *Deorum* *Dearumque* characteres. Generatim omnes Imperatorum statuarum vel *sacræ* erant & honorariæ, vel *privatæ*, quæ ædificiis, vel domibus, ornatus causâ paratæ sunt, a Pontificibus nondum consecratæ. Hinc vendi poterant tanquam ædium pars, quod *Martianus*, *JCrus*, & apud *Tucitum Annal. I, 73, Tiberius*, innunt. Sacras autem & honorarias imagines publice positas & consecratas legimus. Hæc, quod divinitatis creditæ sunt participes, solenni consecratione, factæ, violari poterant; poterat in illas crimen majestatis committi. Imo ex illis *Dii* subinde credebantur per noctis silentium exire, ut *Quintilianus Declamat. X* loquitur. Inaugurationem ipsam statuarum per *unctiones*, *coronationes*, *preces*, *sacrificia*, *adorationes*, factam, *Autor* dein prosequitur; atque inde diversos sacrorum ritus, & venerationis modos, ad statuas derivat. Meretur hic lepidissimum illud
Cicero-

Ciceronis describi, quod de *Herculis* statua apud Agrigentinos narrat. Rictum illius ac mentum paulo fuisse attritius, refert, quod in precibus ac gratulationibus non solum id venerari, verum & osculari, solerent. Supplicationes profecto, thure & vino ad consecratorum imagines factæ, multos Christianorum, quod detrectaverant morem, majestatis reos fecit, quod *Julia* lege istius criminis rei haberentur, qui honores debitos, ut crederant, statuis illis non deferrent. Qua de re *Suetonius* testis producit in *Vita Tiberii Cap. 58*. Post hæc autem statuæ in *locis sacris*, in *larariis*, in *adytis*, & inter ipsâ quoque Deorum simulacra, quod in *Domitiano Plinius* redarguit. Facta itaque in Divorum honorem *templa*, *fana*, *sacraria*, *delubra*, *ara*, *pulvinaria*, de quibus testantur, præter numos, omnes augustæ historiæ scriptores, *Cel. Autor* singula illustrat. *Templa* vel quadrata, vel rotunda, vel oblonga, nunc quatuor, nunc sex, columnarum fuisse; immo in *Augusti* numo reperiri templum, octo columnis, imo & colossis capitibusque conspicuum. Statuæ in his templis Deorum, & consecratorum, Occidentem respiciebant, ut supplicatum venientes, inquit Autor, respicerent Orientem, atque ad eam partem conversi sacrificarent. *Ara*, rotundæ partim, partim quadratæ; aliæ cum igne, sine igne aliæ; aliis fulmen trifidum, aliis aquila imposita. Sunt in numis celebratissimæ *ara Providentia Augusti*, & *ara Lugdunensis*, de qua superius dictum est. *Pulvinariu*, id est, lecti in templis strati, unde & *lectisternii* nomen, cum sacra in templis convivia ad Deorum statuas celebrarentur, fuerant in usu. Sunt, qui cum Scholiaste *Horatiano*, *Acronæ*, pulvinaria quoque dicta existimant illa, in quibus, ut eminentiora viderentur, stabant numina, tabulata. *Columnas* decretas nonnunquam a Senatu consecratis, *Aurelius Victor* & *Trebellius Pollio* testes sunt; quorum ille de *Marco*, hic de *Claudio Gothico*, refert, positas accepisse columnas. *Antoniniana* columnæ adhuc visuntur Romæ. Sed vero, & *clypeum* ad divinitatis olim insignia relatum, tot Imperatorum exemplis docemur. Ita *Caligula*, *Domitiano*, *Hadriniano*, *Claudio Gothico*, decretos a Senatu clypeos,

peos, *Tranquillus, Capitolinus, Trebellius Pollio, Eutropius*, commemorarunt. *Scilicet*, ut Auctor ait, *non pugnatorius clypeus, sed hercis imaginis, aut memorabili quodam actione, signatus, qui etiam discus vocabatur*. Ex metallo conficiebatur. Argenteum, in Rhodano prope Avenionem A. 1656 repertum, gaza Gallæ Regis asservat; cui memorabile illud continentis *Scipionis Africani*, in Hispania imperantis, exemplum, doctissimi viri insculptum arbitrantur. *Macrobius* clypeatam imaginem *Q. Ciceronis* commemorat, qua protome ejus fuerit expressa; unde illud *M. T. Ciceronis*: *Fratrem suum dimidium majorem esse, quam totum*. Erat enim *Quintus* itatura parvus. Templata erecta, a *Sacerdotum Collegiis, Ordinibus, & Sodalitatibus*, quo & frequentes in marmoribus *Flamines & Sodales* referas, procurabantur. *Flamines* quomodo a reliquis differant, eleganter definit *Cicero*, cum, *divisque aliis*, inquit, *Sacerdotes, omnibus Pontifices, singulis Flamines, sunt*; unde & in honorem $\alpha\pi\omega\delta\epsilon\omega\delta\epsilon\tau\omega\nu$ *Flamines* constituti. Ita *augustalis*, ita *Trajanalis*, ita *Hadriannalis*, & reliquorum, occurrunt passim *Flamines*. *Augustarum* vero consecratarum sacris dicteæ fœminæ non *Flamines*, nec *Flaminicæ*, (quæ vox *Flaminis* uxorem, sensu obvio, subinde tantum sacerdotem fœminam, indigitat.) sed sacerdotes, vocabantur. Refert huc Auctor Clarissimus *pueros puellasque alimentarios*, a quibusdam Imperatoribus in *Augustarum*, quas consecraverant, honorem selectos. Ita legimus de *Fauslinianis*, de *Munmaanis* puellis, de pueris *Munmaanis*, quod tamen rarius occurrit. Ceterum, & Imperatoribus datos nonnunquam utriusque sexus sacerdotes, *Livia & Agrippina* exemplo demonstrat, quarum illam *Augusti*, hanc *Claudii*, sacerdotem, *Dio & Tacitus* testantur. *Sodales*, a *Flaminibus* distinctus, docet producta Inscriptio, & reliqua historiatarum monumenta. *Collegium aliquot sodales constituerunt, fuerantque plures numero*, verba sunt *Schopffini* nostri, *ad modum Teiorum sodalium in Augusti honorem e primæ civitatis numero XXI primum instituti*. *Salii*, in *Marcis* honorem & servandis annalibus primum a *Numa* destinati, dein & *Palatini, Quirinales, Albani*, constituti sunt; usque dum omnibus ad priu-

principum relatis, & Imperatoribus divinis, concederentur. Ita Antoninianos, ita Hadrianales Salios, reperimus passim. Saltantes per urbem, carmina canebant, axamenta dicta, quibus & Imperatores nonnunquam inserti. Ita & de Germanico Tacitus Ann. II, 23, refert, decretum a Senatu, ut nomen illius saliarum carmine caneretur. Sed inter heroicis, vel inde etiam patet, honores, non divinos, ritum hunc fuisse. *Lupercorum* lasciva gens nota, eo quidem magis, quod nostri etiam seculi pars est. Neque facile Imperatorum Lupercos reperias, præter *Julii Caesaris* illum Flaminem & Lupercum, simul vero & Consulem, *Antonium*; quem *Cicero*, quod Lupercum agere viro honeste turpe erat, ita perstringit aliquo loco, ut dicat: *Ita Lupercus eras, ut te consulem esse meminisse deberes. Circenses ludi & epulum circensi pompa*, id est, ut Divi imago vel Divæ Circensibus poneretur, in *Julii Caesaris*, *Faustina*, aliorumque, apothecosi reperitur. Simulacra non semper humeris portata, sed vehiculis, *thensas* (*ἀγῶνα θεῶν Philoxeni*) dicebant, imponebantur. Ab elephantis tractum *Augusti* currum, *Dio* retulit. Sed nonnunquam & muli juncti, unde *carpentum mutare*. Præsertim in Circensibus eburnea *Germanici* statua documento est, factum id & non consecratis. Redarguit Auctor *Argolium*, qui *thensas vela explicata* dicit, instar tentoriorum, nunc imposita curibus, nunc collocata alio loco, ut pro tribunali, solis arcendi causa. *Festus* enim satis clare *vehiculum argenteum* vocat, quo exuvia Deorum ludis Circensibus in circum ad putivinar vehantur. De *Ludis augustalibus*, in honorem consecratorum institutis, postea Auctor disserit, & primum ipsis reperiri docet A. U. C. 735, cum ex Græciensibus & Sicilia peregrinatione redux *Augustus*, inter honores alios, *Fortuna reduci* aram sacrari, & diem relictus scribi in Fastis, æque *Augustalia* vocari, passus est. Eo die, inquit Auctor, ex decreto Senatus ludi sunt postea instituti. Fuisse autem & illud in more positum, ut per nomen Divi jurarent, *Lucani* verba testantur:

Inque Deum templis jurabit Roma per umbras.

Reliqua testimonia scriptorum apponere supersequeamus; id unum

unum addimus, tam religiose illud fuisse observatum, ut *Tertullianus* gentilibus, *civis apud eos per omnes Deos, quam per unum Principis genium, pejerari*, suo jam tempore objecerit. Formulæ enim jurandi, *per Principis salutem, fortunam, genium*, fuerant. Ceterum *Plotina* mortuæ exstructum templum, & hymni ab *Hadriano* compositi, testantur omnino, *in honorem divorum factos & hymnos*. Huc & appellatio *mensis a nomine Divi* referenda. Licet enim vivo id Cæsari factum, in cuius honorem *Quintillus Julius* appellatus; plerumque tamen mortuis delatus honor; quod *Germanici Domitiani*que exemplo docetur. Frequenter autem *Aquila & Pavo*, consecrationis symbola, reperiuntur. *Aquila* proprie Imperatorum, *pavo* foeminarum fuit, licet & his nonnunquam addita aquila inveniatur. Alis plerumque expansis repræsentarunt, vel aræ, vel suggesto, vel pulvinari, vel cippo, vel globo stellato, insistentem; addebant unguibus aut simplex, aut trifulcum fulmen, immo & dorso Imperatorem gestantem aquilam videas. Quidam *Faustine* numi sellam quoque *Junonis* cum scepro & pavone exhibent; manus vero, e cælo advenienti Imperatori porrecta, non nisi in *Constantini M.* consecratione occurrit. Atque hic demum finit *Cel. Autor* de Romanorum Apotheosi Commentationem, adjecta adhuc, loco appendicis, stylobatis columnæ *Antonianæ*, quod pleraque consecrationis symbola exhibet, copiosa explicatione. Quam eleganter ista omnia, quanto delectu, scripta sint, non ii solum, qui *Schæpfini* decora coram mirati sunt, in antecessum norunt, sed ii etiam, qui legerint solum, facile, si æqui sunt iudices, æstimabunt.

Jam & ad reliquas Commentationes proferimus pedem; quas tamen non æque fuse recensitas dabimus, quod neque temporis, neque instituti, ratio permittat. Primam pleniorē dedimus, ut ita de reliquarum conditione Lector judicet; neque enim visa est, quæ non *Schæpfini*, hoc est, elegans, comta, venusta, dici possit. Altera *Diatriba* est *historica, de Exstincto & restaurato Occidentali Imperio*, distributa in *Capita duo*. Prius de exstincto Occidentis imperio loquitur, ubi, posteaquam generaliora quædam, de fatali rerum humanarum periodo,

periodos Autor commemorasset; Romani imperii origines inde a *Romulo* & Regibus secutis repetit, quam primam Romanæ potentiae ætatem, uti vocari solet, appellat. Inde adolescentiam, populo per 230 annos libero; dein ætatem virilem, cum magnitudine laborasse sua Romam, (post Carthaginem & Hispanias devictas, post victam Græciam, & deletam Corinthum,) *Livius* testatur; cum tandem, post *Marii* & *Sullæ* de principatu contentiones, post conspirationem *Catilinariam*, illa sub *Cæsare* facta Reipublicæ everfio. Hæc Imperatores Romæ dedit, tantum abest, ut recuperaret libertatem Respublicæ. Qua occasione Cel. Autor per Principum seriem prolatos imperii Romani fines exponit. Hic Britannos a *Claudio*, a *Domitiano* Dacos, Assyriam atque Armeniam a *Trajano*, (quem omnium Romanorum Principum potentissimum Autor appellat,) & quas non provincias Germaniæ? adjectas Romanæ Reipublicæ invenias. *Hadrianus* primum decrefcentem Romam, concessa sponte Parthis omni trans Euphratem terra, comprobavit. Ita sub secutis Imperatoribus semper aliquid potentiae Romanæ decesserat, adeo, ut, incommodo illo *Commodo* imperitante, quod Noster loquitur, *non Principes tantum extra Romam crearentur, quod inter imperii ruentis causas Tacitus retulit, sed & Imperatorium solium sub hastam quasi veniret.* Probata hæc dedit sequentium Imperatorum ad fastigium illud accessu Cel. *Schæpffinus*; refert etiam, sublevasse quidem *Alex. Severum* Rempublicam, & novum quasi vigorem illi reddidisse, quem subsecuti tamen milicum tumultus, electique passim anti-Cæsares, facile sustulerint. Ignara malorum suorum Roma *Philippi* tempore videtur. Quos enim hic seculares ludos edidit, illa, exacto, magna cum lætitia, anno suo millesimo, concelebravit. Adeo verum illud est *Seneca*: *Solent suprema facere securos mala.* Inde & externi Reipublicæ & domestici hostes, nec minus triginta anti-Cæsares, penitus Rempublicam perdiderunt. Suscepit Phœnix tandem *Claudius*, cui parem a centum retro annis fere non licet invenire, ac erexit oppressam pæne imperium; pressit vestigia *Aurelianus*, cum successore *Tacito*, cujus tamen virtutem, non nisi

ostensam Romanis, Autor commemorat. Mox bella iterum civilia, quæ, *Probo, Caro, & Carino*, imperantibus, sopita visa, recruduerunt; disceptæ imperii provincie, quas æmuli occupabant, donec *Constantinus M.*, amotis, singulari felicitate, reliquis omnibus, solus potiretur imperio, & quæ divisa fuerant in plures, conjungeret. Ita lacertos iterum moverat imperium, ita tutum a barbarorum incursionibus, sola nominis gloria, præstitum. At aliud tunc malum cepit originem, funestum adeo, ut inde labascens Romanæ potentie primordia, neque immerito, defumantur. Sedes Imperii Roma Constantinopolim translata, & imperii inter filios divisio, facile effecerunt, ut æmula imperii Roma, viribus nunc divisis, periret facilius, immo ne conjunctis quidem, contra externos hostes, ita, ut ante factum est, posset defendi. Inde secutorum Cæsarum in Rempublicam vel merita, vel facinora, continuo ordine, concinne Cel. Autor exponit, usque dum ad veram demum Orientalis Imperii, ab Occidente separati, epocham sub *Theodosii* filiis duobus, inter quos divisum, e veteri memoria, facinore, imperium, delabatur. Inde malorum omnium sequentis Seculi causam repetit Noster, inde voluptas, otium, adulatio, ambitio, avaritia, æmulatio, crudelitas, & quid non? immigrarunt in Rempublicam, quæ sensim, quasi sine sensu, spes barbarorum magnificas, exterarumque gentium, memorum libertatis, ad invadendum imperium incitarunt. Deducta ista omnia per temporum seriem ab Autore videas. Tandem, *collapsa*, inquit, *invicta illa, & ad invidiam provelta, Romanorum potentia, cecidit tunc tot gentium furori, & ad exiguas tam brevi redactum fuit angustias Imperium, quod tot Seculorum cura fuerat dilatatum.* Posteaquam ita Noster de causis collapsi imperii differuisset; illustrissima demum illa regna, quæ ex ruina Romæ resurrexerunt, recenset; ubi positus primo & opportunitates provinciarum, mox Romanorum ingressum, reliquum sub Romanis habitum, dominationem excussam, & quæ fata demum consecuta sint, fuse non minus, quam venuste, disserit. *Britanniam*, illam septentrionalis Oceani insulam, bello *Cæsar Julius* primum petiit,

tiit, magis tamen vidit, quam vicit. *Septimius Severus* latissime Romanos ibi fines extendit, extruxitque *Vallum*, æternum pacatæ Britannæ monumentum. Amisit eam *Valentinianus*, immigrantibus mox novis gentibus, Anglo-Saxonibus imprimis, qui hodiernæ etiam Britannæ nomen dederunt. *Hispania*, quæ, post Reges proprios, Carthagenensibus paruit, inde, finito bello Punico III, ad Romanos devenit; devicta & pacata sub Cæsaris, Seculo V irruentibus passim Suevis, Vandalis, Alanis, Gothis, (totidem fere regnorum autores vocat Autor,) erepta Romanis, in eam successu temporis libertatem se vindicavit, qua nunc conspicitur. Multa hinc de Suevis, Vandalis, Alanis, Gothis, commemorantur, quæ non describimus. *Francicum regnum* Seculo V coepit in Gallia, quæ, posteaquam integro decennio Romanum jugum recusaverat, tandem, devicta a *Cæsare*, paruit Romanis. His ademptum postea, divisum in varios populos fuit, tandem a *Chlodovei* filiis reunitum. Quæ de Francorum origine, quam ad Seculi III tempora demittit, de variis item belli & pacis vicissitudinibus, Autor exponit eo loco, merentur legi. Atque ita, amissa Hispania, Britannia, Gallia, Romani, ex Africa profligati, impletum fere illud videbant, ad casus redeundum sibi, quicquid injuste occupaverant, reddituris. Certe, qui ad *Romulum* usque *Augustum* inde a *Theodosio* fuerant Imperatores, tantum abest, ut recuperarint quidquam, ut nece & simultatibus sævierint in Rempublicam. Scribitur clausisse *Romulus* ille *Augustus* Occidentalium Imperatorum seriem; nisi omnino imperium illud pridem jam extinctum antea dici debeat. Quæ reliqua sunt *primi Capitis*, ad securas Herulorum, Scyrorum, & Ostrogothorum, *Odoacro* & *Theodorico* ducibus, turbas, quæ novo in Italia Ostrogothorum regno locum dederunt, pertinent partim, partim ad occupatam a Longobardis Gothorum potentiam, *Justino* Imperatore, adeoque Romanæ potentie interitum, referenda sunt. *Secundo Capite restauratum Occidentale Imperium*, eadem rerum & temporis serie, exhibetur. *Vetricibus*, inquit Autor, *Narsetis* armis erepta Gothicis Roma, ad *Orientis Imperium tandem redierat*, - - - pristinoque suo domino

mino restituta, Exarchum Ravennatensem, & per hunc Orientis Imperatorem, venerabatur. Inde vota pro salute Principis; Cæsarum in numis nomina; notati in literis Pontificum anni Imperatorum; Papa Cæsaris autoritate electus & rejectus; insigni documento, summum urbis ac supremum imperium Græcis tum Imperatoribus competiisse. Religio demum novandis rebus ansam præbuit. Quæ sub *Philippico Bardane* orta erat *imaginaria controversia*, recruduit sub *Leone Isau-ro*, atque, ut loquitur Autor, *ad exuendum omne obsequium Papæ populoque Romano occasionem dedit*. Remotis, usque dum a Concilio res deciderentur, ab intuentium oculis imaginibus, Cæsari sacris a *Gregorio II* interdictum fuit, conculcata; populi furore, Principis imagines; quæ licentia eo processerat, ut neque sanctissimus pater eam reprimere ullo modo posset. Occisi passim duces, neque nisi Pontificis precibus a novi Imperatoris electione retineri populus poterat, qui nunc se liberum, nunc sui se juris, profitebatur. Uniti-rebellibus Longobardi cum Rege suo *Luitprando*, Italiam fere universam occuparunt; ad quas calamitates & Orientis turbæ accesserant, quas Edictum *Leonis* de imaginibus concitaverat. Apologiam inde Cel. Autor *Leoni* Imperatori scribit, ut sævitiam in tumultuum autores excusaret aliquo modo. Missus *Eutychius*, ut res Occidentis pacaret; ipse Imperator instructa classe in rebelles proficiscitur, compulsurus illos ad obsequium, nisi Saracenorum insultus alio avocassent. Secuta demum imaginum & statuarum strages immensa, Iconomachorum & Iconoclastarum nomini dedit originem. *Hinc*, inquit Noster, *tot miracula, tot ligna sanguinem sudantia, passim apud Scriptores leguntur*. Prospere interea res gessit *Eutychius*, ope *Luitprandi*, restituit imperio Exarchatum, atque ita mortem tranquillo rerum habitu oppetere *Leoni* contigit. Successor *Constantinus*, cum *Artabasil* de imperio certans, Italiæ iteratum defectionem acceleravit; quid? quod, licet receperit eam in gratiam, *Pachisus*, *Luitprando* successor datus, copias in Romanum agrum rursus eduxerit; & altera ex parte invasiones barbararum gentium Imperium Orientale mirum in modum

modum devastaverint. Ita divulsus ab Imperio in perpetuum Exarchatus, Longobardorum juris cum Pentapoli factus est; immo ipsa quoque Roma periisset, nisi *Pipinus*, quod pater, a Pontifice *Stephano* exoratus, meditabatur, perfecisset, atque exercitu Alpes transgressus, bellum Longobardis, ad Romam ab eorum insultu liberandam, intulisset. Prospera omnia *Pipino* evenerant, immo & Papæ *Stephano*, si, quæ secuta sunt, atrendantur. Hic enim Imperatorem hæreticum, indignum, cui tot fideles pareant, *Pipino* persuaserat, eo successu, ut, posteaquam Longobardi victi, omni in Romam juri renuntiassent, *Pipino*, ademptum illis Exarchatum, singulari liberalitate in Papæ transire potestatem, passus sit. Sed altera expeditione vindicanda erat Italia, quod & factum; compulsi rursus intra suos fines Longobardi, & data Imperatoris legatis, qui Romam repetebant, repullâ, Sancto *Petro* terræ a *Pipino* destinatae. Atque ita, inquit Cel. Autor, *Pontificis usibus Exarchatus Ravennatensis cum Pentapoli conceditur, reservante sibi supremum dominium Pipino; indignum facinus! nec facile dixeris, an major iniquitas fuerit aliena donantis, quam accipientis.* Et recte omnino inde repetitur summæ illius arrogantiae Pontificum origo, quam prolatus in dies dominatus consequebatur. Quas deinceps turbas *Desiderius* moverat, compositæ a *Carolo M.* sunt, ita quidem, ut victus ille, deductusque in Galliam, perpetuum Lugduni ageret exilium, Italia vero pacaretur denuo. Transierat tum in Franciæ Reges Regis Longobardiæ titulus, neque Romanus apud Constantinopolitanos Imperator contra diuturnam Longobardorum possessionem, & inita cum eorum Regibus pacta, vel hincere sustinerat. Extinctum ergo A. 774, post 23 Reges, per 206 fere annos, Longobardorum regnum. Quæ de donatione *Caroli M.*, facta Pontifici, Autor disputat, non addimus, ne, quæ sunt notissima, in vanum referamus. Ita & illa ex historiæ monumentis satis nota, quæ de Patriatu, *Carolo M.*, antequam referret pedem in Gallias, collato a Romanis, Autor exponit. Quantum autoritatis ea re acceperit *Carolus*, jus eligendi Pontificem, ordinandi Apostolicam sedem, juramentum fidelitatis

omnibus impositum, nec non reliqua jura majestatica, quæ in ipsa urbe Roma exercuit, satis testantur. Pergit, posteaquam ista disseruisset Autor, nonnulla illustriora monumenta, quæ *Caroli* supremam in urbem Romam potestatem docent, exponere; inter quæ illud eminet, quod vexillum urbis miserit *Leo* Papa Regi, additis precibus, mitteret de optimatibus unum, qui Romanum populum *ad fidem suam* & subjectionem per sacramenta firmaret. *Hoc jus*, inquit Noster, *in urbem Romam, ejusque Episcopos, perpetuo Carolus retinuit, ac felici quodam fato in posteros suos prorogavit. Nec fere dubiam ipsi hunc palmam fecere Imperatores Orientis. Constantino filius Leo* successerat, qui, præter Syriacæ quædam, nihil egit, immo uxoris etiam malignitate in tenerum filium factum est, ut de restituendo per Occidentem Imperatoris titulo Papa, populusque Romanus, cogitarent. *Leo* igitur Pontifex, interpres populi, convocatis Clero & Principibus, solenni cerimonia, *Carolus* coronatum Augustum pronuntiavit, atque adeo, ipsis Seculi noni primordiis, instauratum Occidentale Imperium concessit. Cerimoniam omnem fusc Autor descriptam exhibet. Facta vero hæc non plane invito *Carolo* fuisse, inde probat, quod apud *Egimbardum*, inde ab urbe occupata, *fratrem Augustorum in Oriente* se vocavisse referatur *Carolus*. Disputat mox contra illos Autor, qui, pro sua potestate Papam hæc præstitisse, audacter non minus, quam temere, affirmant; quasi vero in ejus tunc potestate urbs populusque Romanus fuerit. Sed, neque huic eligendi Imperatoris potestatem fuisse, recte Autor asseruit, adeo, ut, *injuria affectos maxima Imperatores Constantinopolitanos, dicat, cum solis ipsis competentem tam illustrem titulum Carolus præceptum usurparet.* Neque nisi initis secuto tempore cum *Irene, Nicephoro, & Misbuele Cæropalate*, patris, justo titulo Imperatoriam sibi dignitatem *Carolus* vindicavit. Tum perfecto & pleno jure Romæ dominus dici poterat. Atque hoc modo instauratum illustre Occidentis illud imperium, postquam per Secula III etiam memoria fere ejus fuerat deleta. Sed non diu penes *Caroli* posteros tanti majestatis imperii perduravit. *Pari perfidia*, inquit Autor, *populi Episcopi-*

pigno

pique Romani ademptum illis imperium, qua olim ad Carolum defecerant. Dignis deinde atque indignis concessa eu dignitas, donec Otto ille Magnus, Germania pacata, ac felici in Italiam suscepta expeditione, perpetuo vinculo majestatem illam Germania annederet. Atque hic demum finem differendi fecit Auctor, cujus operam facile quis aestimabit, qui ad argumentorum selectum, orationis flumen, & reliqua ornamenta, animum adverterit. Quæ sunt Voluminis reliqua, si jam vellemus pro dignitate rerum recensere, contra institutum nostrum ageremus. Proinde novo labori rem omnem ea lege asseruimus, Lector, ut in antecessum tibi persuasum velimus, quæ hic promissis loco data sunt, talia esse, ut gustum facile cuivis possint ciere, Schappiniana omnia penitus cognoscendi.

DELICIAE ERUDITORUM, SEU VETERUM

*αἰνέδωρον Opusculorum Collectanea. JO. LAMIUS
collegit, illustravit, edidit.*

Florentiæ, ex typographia Petr. Cajet. Vivianii, 1736, 8.

Plag. 20.

Cum non sit negandum, magnam illos laudem mereri, quæ veterum scripta, eaque nondum edita, colligunt, & cum orbe erudito communicant: quod ita fiat, ut multa in vulgus emanent, quibus alias latendum in tenebris fuisset; gratias haud vulgares debent elegantioris literaturæ studiosi Cel. *Lamio*, quod consilium ceperit, nonnulla scripta *αἰνέδωρα* in publicam lucem & doctorum hominum conspectum proferendi. Incitarunt eum ad hoc opus suscipiendum Germanorum imprimis & Gallorum studia, quæ, in itinere olim constitutus, propius inspexit, & quibus captus vehementer, in simili olim studio decurrendum sibi statuit. Semina præterea æmulationis animo ejus injecerunt præclara exempla patriæ, Italiæ, cujus doctissimis civibus multa rei literariæ præclara monumenta debentur, ex tenebris in lucem revocata. Bibliothecæ tandem præstantissimæ Florentinæ, Codicibus manu exaratis, hisque eximiis & bonæ frugis plenis, locupletissimæ, domesticæ exempla præbebant, quibus excitari posset,

ut artes excoleret, & *ἀναδέρων* Commentariorum editioni animum applicaret. Quod vero nunc demum hanc curam susceperit, causas ipse varias recenset, quarum in numerum referri debent peregrinationes difficiles & longæ quinque annorum per varias Europæ provincias, & penuria eorum Florentiæ, qui Græcos Codices & Latinos emendate describere sciant, quæ ipsum coegit, ut noctes diesque in hoc labore desudaret. Sed, omnibus illis impedimentis feliciter remotis, animus est doctissimo *Lamio*, XXIV plus minus *Voluminibus* præclaras atque eximias virorum eruditorum, qui ante Seculum P. C. N. XVI floruerunt, Commentationes *ἀναδέρων* certo ordine & ratione comprehendere, ut singulis *Voluminibus* diversi argumenti, aut linguæ, aut compositionis, Opera contineantur. Breves autem lucubrationes hoc in loco seligentur; ampliores enim & longiores Commentarios alio loco dabit. Initio quidem eo spectabat institutum Autoris, ut Opuscula talia in lucem emitteret, quæ in Florentinis Bibliothecis ignota huc usque delituerant; nunc tamen statutum ipsi est, ex aliis etiam Bibliothecis remotiorum provinciarum ad se missis Opusculis non prorsus locum denegare Simili exceptione usus est, quando aliquid transmittetur, quod Seculo XV sit posterius. Carmina & Orationes, quamvis verustas, omnes ex hac Collectione excludet, reliqua tamen omnia admitte, quæ ad Historiæ supplementum & illustrationem, aut aliarum liberalium artium & disciplinarum ornatum & incrementum, aliquid facere possunt. Singulis etiam Opusculis, quæ in hac Collectione comparabant, brevibus vita Autoris præfigetur, Bibliotheca, ex qua prodibunt, indicabitur, variantes lectiones adjicientur, cum criticis animadversionibus. Hæc est ratio instituti, quod *eruditorum delicias* appellare visum est Cel. *Lamio*, quia ejusmodi labor plenus suavitatis & voluptatis est. Sed jam docebimus Lectores nostros, quid boni *Volume* hoc *primum* secum ferat, & quid præstiterit in eo exornando Doctiss. *Lamii* industria. Absolvitur hoc scilicet *V Epistolis Michaelis Glyca*, Grammatici, sive disputationibus varii argumenti, quibus præmisit Cel. *Lamius* vitam hujus *Glyca*. Cognomen *Glyca* accepisse ille videtur

detur *Lamio*, quia ex *Glycetarum* familia esset, quod ex versiculis variis, qui sunt Annualium ejus Codicibus præfixi, probari posse contendit. Quare B. *Fabricium* reprehendit, in *Biblioth. Gr. Lib. V Cap. 41 pag. 228* scribentem, hoc nomen assumpsisse eum tunc demum, cum habitum monasticum indueret. Siculus ratione fuit, ut plerique credunt. Eum Grammaticam professum, primæ Epistolæ inscriptio docet. Addubitat tamen Vir doctissimus, num *Glycas* unquam vitam monasticam amplexus fuerit, *Fabricium* refellens. Sed miramur, qui factum fuerit, ut Vir Cel. sui adeo oblivisceretur, ut paulo post contrarium fere assereret. Monachos, refert, & alios in dignitate constitutos, *Glycam* sæpe de gravissimis consuluisse controversiis theologicis, quod tamen vix fieri potuisse putat, nisi sacris & castioris alicujus sectæ institutis fuerit addictus. Deinde monet, confirmari hoc posse ex appellatione illa, quando *κρυός* appellatus fuerit, quo vocabulo contracto Monachi præsertim, ut Noster ait, sequioribus Seculis indigebantur, non secus atque nos Dominos Monachos honoris causa nuncupamus. Vide etiam, quæ infra pag. 33 de voce *κρυός* disputat Cel. *Lamius*. Quid itaque erravit *Fabricius*, quando dixit, Monachum fuisse *Michaelē Glycam*? Num adeo omni historię autoritate destitutus hoc asseruit? Sed, quicquid horum sit, virum omnibus disciplinis imbutum fuisse, tradit Autor, *Glycam*, cum passim Theologum, passim Medicum, passim Historicum, se esse prodar, nec eloquentiæ laude caruisse. Seculi XII scriptorem hunc fuisse, multi credunt; *Allatio* tamen & *Oudino* Seculo XV vixisse videtur. Litem omnem dirimere videntur Epistolæ *Glycæ*, *Lamio* alio loco afferendæ, quas ad *Constantium Palæologum* scripserat, quem Seculo XV vixisse constat, simulque contra *Dusursinum* disputat. Opera *Glycæ* sunt imprimis Annales, Patriarcharum, Regum, & Imperatorum, res gestas, historiamque Judaicam, Romanam, & Constantinopolitanam, complectentes, a *Lamclavio* primum Latino sermone donati, & a *Meursio* imprimis editi. Scripsit etiam præterea Epistolas multas, interrogatus a diversis super variis quæstionibus theologicis & dubiis. Numerum earum XVI esse,

Pag. 3.

6.

13.

- esse, & magno in pretio a viris doctis fuisse habitas, ab earum vero editione multos morte, vel alia causa, abstractos, docet *Lamius*. *Bonav. Vulcanius* ex Codice *Georg. Doufe* tres Epistolas edidit cum sua versione & observationibus. *Jac. Pontanus* duas ex Epistolis *Glyce* edidit, Latine a se conversas, quæ in Bibliotheca maxima Patrum, & Annalium editione *Labbei*, sed non Græce, & præterea mancæ ac detruncatæ, exstant. Has itaque Epistolas edere meditatatur *Cel. Lamius* ex Codice Bibliothecæ *Riccardiana*, cui præest, qui XIV harum Epistolarum continet, cum sua interpretatione. Ut vero opus perfectius sit, adjiciet etiam illas, quæ jam editæ fuerunt, sed emendatioribus & castigatioribus. In quibusdam Codicibus hæ Epistolæ *Jo. Zonara* tribuuntur. Tandem & de hoc Codice *Riccardiano* nonnulla referuntur. Quod ad ipsas Epistolas *Glyce* numero V, quæ hoc in loco comparent Græce & Latine, attinet,
- Pag. 33. *prima* ad Dominum *Joan. Sinaiten*, Monachum & Stylitam, directæ est, & dilquirit, utrum in peccatum lapsis condescendum sit, an, prout ratio postulat, increpandi sint. *Secunda*, ad Monachum *Maximum Sueniosam*, disserit, utrum audiendi sint dicentes, hominem a principio corpus caducum habuisse, & passionibus obnoxium, cibumque sensibilem in paradiso attribuisse, & lignum scientiæ ficum existisse. Hæ duæ
66. *Pontani* adscriptam habent interpretationem. *Tertia*, ad eundem, de gloria & claritate, qua *Adamus* a principio coruscavit, verba facit. *Quarta*, ad eundem, quærit, cur diabolus per serpentem, & non aliud animal, *Adamum* inceserit, unde constat, *Adamum* per serpentem oppugnatum fuisse, cum Scriptura id non
196. expresse dicat. *Quinta*, ad Monachum *Jo. Aspionem*, exponit, quali natura hominum corpora a mortuis sint resurrectura, & an sensibilem cibum tunc manducatura. Tribus posterioribus apposita est *Cel. Lamii* interpretatio. His singulis subjecit *Doctiss. Editor* suas observationes & animadversiones, in quibus id quidem agit, ut ex suo Codice *Riccardiano* in prioribus jam editis Epistolis lectionis varietatem addat, præterea ex aliis Autoribus tum Historicis res ipsas, tum Græcas phrasas, explicet; nec tandem omittit *Glycem* in nonnullis reprehendere, ubi obscurius

MENSIS SEPTEMBRIS A. MDCCXLII. P. I. 519

rius locutus videbatur. Adjecit tandem Cel. Editor ex eo- Pag. 283:
dem Codice *Riccardiano*, quo *Glyce* Epistolæ continebantur, fi-
dei catholice formulam Græce, cum interpretatione Latina, que
num antea fuerit edita, se ignorare profiteretur. Legi tamen hæc
meretur, cum præcipua fidei capita continent, & quasi in com-
pendio sistat. Nos Cel. *Lamio* hunc feliciter susceptum laborem
ex animo gratulamur, eique prosperos successus comprecamur,
simulque vovemus, ut lectores tales, quales nos sumus, hoc est,
applaudentes nobilissimis conatibus, ei quamplurimi contingant.

ESSAI DE PHYSIQUE &c.

hoc est,

TENTAMEN PHYSICES, AUTORE PETRO
VAN MUSSCHENBROEK, Prof. Philos. & Ma-
them. in Acad. Ultrajectina. Accedit Descriptio no-
varum machinarum pneumaticarum, itemque collectio
experimentorum J. V. M. Ex Belgico sermone in
Gallicum transtulit PETRUS MAS-
SRET, Doct. Med.

Tomi II.

Lugduni Batavorum, apud Sam. Luchemans, 1739, 4.

Alph. 5 plag. 16, Tabb. xn. 33.

Physica, teste Cel. *Musschenbrakio*, nunquam antea apud Ba-
tavos tanto exulta studio fuit, quanto hodie. Perpauci
olim in ea scientia viri docti elaborarunt, quæ nunc a pleris-
que omnibus, non eruditis modo, sed etiam mercatoribus, ar-
tificibus, & aliorum ordinum hominibus, in deliciis habetur,
& in præcipuis oppidis, studio certarum societatum, naturam
machinis tentantium, quotidie illustratur. Et princeps qui-
dem *Nieuwentytus*, edico præclaro *de existentia Dei* libro, at-
tentionem civium suorum ad investiganda atque admiranda
divina opera, in rebus naturalibus occulta, excitasse videtur.
Quem secutus paulo post Celeberrimus *Desaguliers*, cum ex
Anglia ad Batavos venisset, dici vix potest, quanto populi ap-
plausu, ad videnda pulcherrima spectacula, & ad audiendam

Tet 2

eloquen-

eloquentissimi Viri interpretationem, concurrentis, passim sit exceptus. Post discessum hujus Philosophi, ne studium gentis refrigeraret, libris opus erat, quos consulere physicarum rerum curiosi possent. Quorum cum magna tum penuria esset, nec præter scripta *Derhami*, & Prælectiones *Desagulieri*, ab aliquo discipulorum ejus collectas, ullum fere aliud probabile opus in lingua Belgica exstaret, id agere cœperunt quidam Bibliopœ, uti plures de hoc genere egregios libros transferendos in patrium sermonem curarent. At hi fere tales libri erant, in quibus, propter prima scientiæ elementa omitti, & pro cognitis assumta, curiosus populus nisi cum magna difficultate versari vix ac ne vix quidem poterat. Itaque opus desiderabatur, ipsa Physices principia, facili ordine connexa, & luculenter explicata, complectens; ad quod conficiendum non alius aptior Autor videbatur, quam *Cel. Musschenbrakius*. Atque is, licet initio hujusmodi laborem magnopere refugeret ac deprecaretur, quippe & plurimis negotiis Academicis districtus, & lingua potius eruditorum, quam vernacula, scribere solitus, & parum ex tota re gloriæ expectans, postremo tamen, cum & promovenda honestissima civium suorum studia, & eos a proposito depellendos, putaret, quos *Elementa sua Physica*, ante aliquot annos in usus Academicos succincte concripta, & alio loco in *Actis* nostris laudata, e Latino in Belgicum sermonem, se etiam invito, conversuros intelligebat, manus rogantibus dedit, ac præsens Opus elaborandum suscepit; quanquam non ita illud quidem, uti ab Autore in lucem editum est, sed ex lingua Belgica in Gallicam denuo translatum, ad nos pervenit: egregium certe, & iis, quorum usui potissimum destinatum est, non minus sine dubio exoptatum, quam *Musschenbrakio* dignum. Quod cum modestum & hodie perquam probatum *Tentaminis* titulum præ se fert, ne perfectum systema polliceri videatur, tum vero non prima solum scientiæ principia ad mentem *Newtonianorum* perspicue tradit, sed alia quamplurima admiranda naturæ phænomena, & curiosissima experimenta, & præclara juniorum reperta, & accurata Mathematicorum ratiocinia, exponit, quæ
alibi

alibi frustra quæras. Fieri non facile potest, ut liber a quoquam alio, in patriam præsertim linguam, rectius convertatur, quam ab ipso Autore, qui unus & sensum eorum, quæ scripsit, & loca, quæ explicatione egent, optime nosse putandus est. Quo minus de præstantia editionis Belgicæ Operis *Musschenbrakiani* dubitandum videtur. De Gallica versione nihil separatim addimus, cum non satis liqueat, utrum consentiente, an invito, Autore a Doctiss. *Massueto* facta sit. Illud omittendum non est, quod & Celeberrimus *Musschenbrakius* monet, & ipsa moles voluminis loquitur, *Elementa Physicæ* Latina, quæ primo minori forma A. 1726, ac deinde multo auctiora A. 1734, prodierunt, nunc non simpliciter ab Autore translata, sed tot iterum accessionibus, & difficiliorum locorum explicationibus, amplificata esse, ut pro alio plane, seu mavis tertio, Opere, de iisdem rebus eodem ordine conscripto, id, quod hoc loco recensemus, haberi non injuria possit. Mutavit etiam nonnulla & correxit Vir Celeberrimus, ingenueque profitetur, se, cum passim ejusmodi sectari duces conatus esset, qui experimenta sua parum accurate describere, & generales mox conclusiones regulasque nimis præcipitanter inde deducere, consueverint, ab erroribus non satis cavere potuisse; de cetero nec retractationum suarum se pudere, neque eum esse, qui etiam nunc, ubivis in vera se incidisse, contendat. Physica enim, inquit, in dies magis perficitur; Philosophi secuturi nova semper detegunt; maximeque credibile est, fore, ut post centum annos res plane aliter, quam quo pacto eas hodie adspicimus, sese habere videantur. Restat, ut etiam de his pauca dicamus, quæ sub finem libri adjecta sunt a Nobilissimo Lugdunensi Mechamico, *Jouanne van Musschenbrak*. Describit ille primo, ac per partes singulas accurate ante oculos ponit, duas novas machinas sive anlias pneumaticas, a Viro Clarissimo, *s' Gravesandio*, inventas, simplicem alteram, alteram duplicatam; deinde collectionem plussculorum experimentorum, ad demonstrandam illarum machinarum usum, subjungit; ac postremo catalogum exhibet variorum instrumentorum physicorum, mathematico-

rum, anatomicorum, & chirurgicorum, quæ, perinde ut duas machinæ laudatæ, apud ipsum profant.

**ANNOTATIONES AD SCHEDIASMA VIRI
C. EDMUNDI HALLEY de Mundo infinito, quod
legitur in Transactionibus Philosophicis Anglicanis nu-
mero 364, per J. G. S. Helvetium.**

Plerisque accidit hominibus, ut, cum unum evitare volunt extremum, in alterum incidant oppositum. Plerique veterum Philosophorum mundum nimis arctis circumdedere limitibus; alii vero recentiores omnes omnino limites ipsi denegarunt. *Jordanus Brunus*, ut & magnus ille Philosophiæ reformator, *Cartesius*, hoc pro demonstrato habuerunt. Ipse *Hugenius*, immo & nuperrime *Cel. Wolfius*, dubii hac in re hærent. Existimat ille, sententiam de mundo infinito non posse refelli. *) Hic vero ita loquitur: *Utrum vero infinitum sit (universum), nec ne, ego non definihero. **)* Argumenta philosophica, hac pro sententia allata, parvi sunt momenti, & facile solvuntur; quare iis non immorabimur. Congessit quædam mundi infiniti defensor novissimus, *Cel. Canzius*, in *Jurisprudentia civitatis Dei* §. 328 seq.; at forsitan multis majoris ponderis videbitur argumentum physicum vel mathematicum, a *Cel. Mathematico Edm. Halley* in *Transact. Philos. n. 364* adductum. Videbimus, an re vera ita sit, postquam brevem demonstrationem metaphysicam dederimus, quæ mundum infinitum impossibilem ostendit. Est autem demonstratio nostra sequens. Mundus infinitus est magnitudo limitum expers, vel, ut hanc definitionem aliis terminis æquivalentibus efferam, est aggregatio partium, numero infinitarum. Supponit itaque mundus infinitus infinitam numerum, Numerus vero infinitus is est, cui nullæ superaddi possunt unitates. At nihil repugnat additioni. Ergo numerus

*) *Cosmotheor. Lib. II pag. 117* ed. alterius *Leoburg. 1704.*

**) *Elem. Astronom. §. 1123* ed. ultimæ. Nec vero hoc assertum cum altero possum conciliare, cum idem *Vir magnus* dicat, *magnitudinem infinitam esse impossibilem. Ontol. §. 797.*

merus infinitus impossibilis, per consequens & mundus infinitus. Videamus nunc, quid Vir laudatus pro sua sententia afferat. Hæc nititur mutua corporum coelestium attractione. Verba Viri, ex Anglico sermone translata, hæc sunt: *Quodsi uniuersum esset finitum - - infinito circumdaretur inani, tunc stella remotiores gravitarent versus eas, qua centro sunt propiores, motuque accelerato in eas incurrerent, & successu temporis coalescerent, atque in unum cum iis congererentur. Et, supposito, quantum sufficit, temporis spatio, hæc necessario evenirent. At, supposito mundo infinito, omnes ejus partes prope in equilibrio essent, & per consequens singula sidera, quippe contraria vi retracta, occuparent & retinerent assignatos locos suos, aut moverentur, donec tandem invenirent sua loca, &c.* Argumentum ergo Viri Clarissimi huc redit: Duo sidera se invicem attrahunt; oportet itaque, nisi velis illa coalescere, ut utrumque habeat contrapondium: & hæc contrapondia iterum trahuntur, ergo nova apponenda sunt, & sic in infinitum. Duo præcipue hic sunt annotanda. Unum est, plus inferri a Cl. Auctore, quam ex præmissis fas est. Concedimus, sidera se invicem attrahere, (sano sensu hanc vocem intellectam velim,) at num inde sequitur, progrediendum esse in infinitum? Minime. An non fieri potest, ut sidera superficialia, id est, extrema, ex ipso mundo finito recipiant vim, attractioni resistendi? Puto, posse. Finge e. g. sphaeram mercurialem, id est, ex Mercurio compositam, & in ea pone, certo ordine, varios magnetes. Hi omnes sese attrahunt; at, si quædam sint in superficie sphaeræ, nec vis attrahens sit nimis magna, non coalescunt in centro; ii enim, qui in superficie sunt locati, non possunt descendere, propter pressionem Mercurii, quo specificè leviores sunt, ergo contrapondio opus non habent; an non simile quid in ipso potest esse mundo? Vides ergo, impossibilitatem hujusmodi hypotheseos ante esse ostendendam, quam in abyssum infiniti descenditur. Nisi hoc possit Vir Cel., fatcatur, necesse est, plus illatum esse in conclusione, quam ex præmissis fieri oportebat. Alterum autem, quod monendum est, huc redit. Infinita causarum series quaestioni non respondet. Si quis interroganti,

terroganti, unde orti sint homines, in terra viventes, responderet, a suis parentibus ipsos originem duxisse, & altero quæstionem similem repetente, pergeret, & hos itidem a suis, & sic in infinitum; is certe tantundem diceret ac nihil: nam ultimo originem humani generis nesciret alter. Eadem verò ratio est in quæstione nostra, cur sidera duo non coalescant; respondit Vir eximius, quia contraponidium simile habent. Et cur contraponidia illa non coeunt? Quia alia habent contraponidia, & hæc iterum alia, & sic in infinitum. Quæso, num ex hac responsione causam nunc nosti permanentiæ siderum? An non idem dubium in infinitum redit? Ergo tandem manent sidera in statu suo sine ratione sufficiente. Nam eam rationem nunquam invenies, etsi in infinitum progrediaris. Videtis igitur, quæstioni hac ratione minime esse satisfactum. Liceat nunc illam ut *Problema* nondum solutum Mathematicis proponere, ob argumenti nobilitatem, & forsân difficultatem. Fortasse alia vice ego, quod hac in re sentio, iudicio aliorum exponam.

DE AORTÆ ANEVRYSMATE OBSERVATIONES BINÆ, cum animadversionibus PAULI VALCARENGI, Phil. & Med. Doct. Cremonensis, Academiæ Institutii Scientiarum, quæ Bononiæ est, Socii.

Cremonæ, apud Petrum Ricchini, 1741, 8 maj.

Plag. 3.

Multum debemus Cel. *Valcarengo*, quod binis his Observationibus abditam abstrusamque quandam doctrinæ medicæ partem non parum illustrarit. In priori, eaque longiori, commemorat, virum quendam nobilem sub gelidiori bruma, cum per urbem noctu cursu quodam violento divagaretur, magnum inopinato ardorem in superiori mediaque pectoris parte sub sterno perensisse, cui dolor non levis, ad utrumque brachium productus, una cum corporis sensu illico accesserit, tandemque adjuncta respirationis summa anxietate illum

MENSIS SEPTEMBRIS A. MDCCXLII. P. I. 521

lum lipothymia ita correptam fuisse, ut viribus fere destitueretur. Remisit hic morbus, sed crebro etiam rediit, adscitisque identidem novis crebrioribusque symptomatibus, gravior annorum progressu redditus, ipsam tandem mortem arcessivit. Dissecto post fata cadavere, præter alia, arteria aorta paulo supra cor, & præcipue circa suum arcum, amplior solito in conspectum venit. Perspectis his anevrysmatis, ibidem geniti, signis, ipsaque aorta prope cor ad arcum usque incisa, apparuit, tunicarum ibidem texturam densam admodum esse, intimam vero superficiem, quæ versus cor lævigata erat, circa arcum, ubi arteriæ subclaviæ oriuntur, inæqualibus minimisque sinibus undique perfundi, in posteriori præsertim ejus parte, ubi variæ jacebant ossæ concretiones, sibi in directum miro modo dispositæ, propter quas interior arteriæ tunica inæqualis maxime reddebatur & aspera. Ossicula hæc piscium grandiorum squamas æmulantur, majorum unguium nostrorum latitudinem superantia, & figura irregulari prædita, instructa nimirum acutissimis hinc inde angulis, a quibus digiti acriter feriebantur. Squamulæ istæ ossæ arteriæ tunicis strictè annectebantur, præsertim circa earum, ut ita dicamus, centrum; circa peripheriam vero elevari quoquo versus facile poterant, ut accedere ad se invicem aliquo modo, & recedere vicissim, juxta arteriæ ipsius contractiones, potuisse aliquando viderentur. Quamplurimæ hujuscemodi ossæ squamulæ figura erant & mole dissimiles, quæ in ipso aortæ arcu posterius incipientes, atque in lineam rectam miro modo dispositæ, reliquam etiam arteriæ descendens posterioriorem partem fere usque ad diaphragmatis infertionem pervadebant. Illæ vero, quæ prope aortæ ortum jacebant, grandiores crassioresque erant, & acutis magis pluribusque angulis armatæ; reliquæ vero sequentes minorem obtinebant molem. Ceteroquin tamen in anteriori sua parte arteria magna, ossiculorum horum expers, consuetam præ se ferebat texturam, quamvis amplior facta; nec in ejusdem cavo polypolum ullum corpus concreverat. Varia hinc hujus historiæ anatomicæ momenta Cel. Autor illustrat, & prout anevrysinata ab Illustri *Morgagni* rectè dividuntur in ea, ubi arte-

riæ expansio est instar sacci a latere appensi, & illa, ubi expansio omni ex parte est æqualis, sine singulari ullo sacco, a latere appenso, ita ostendit, ad posteriorem hanc classem præfens anevryfma referri, permagna etiam anevrysmata interdum in arteria aorta genita, vasa sæpenumero in substantiam osseam mutata, atque solum hoc anevryfma tam multiplicibus symptomatibus excitandis par fuisse. Omnes anevrysmatum causæ, extrinsecæ pariter atque intrinsecæ, ad illa reducuntur, quæ affatim sanguinis velocitatem adaugere, sive arteriæ cuiusvis tunicas ita dilatare, valent, ut prementi quaquaversum per normales lineas sanguini resistere non possit. Requiritur autem simul videtur tum specialis quædam arteriarum dispositio, a laxa nimis ipsarum textura pendens, propter quam prementi eas jugiter sanguini, nimioque impetu, seu ratione copix, seu ratione velocitatis, seu ob utramque hanc causam, illas distendenti, plus æquo facileque cedat, tum peculiaris etiam vasorum configuratio, propter quam causam prope arcum arteriæ aortæ facilius, quam alibi, anevrysmata generari videntur. Ad ipsam vero morbi antecedentis historiam ab initio ad finem usque explicandam progrediens Noster, rigidiorum brumam probat, sæpiusque solito diuturniores ventos aquilonares cum violento cursu morbo primam dedisse originem, ob nimiam arteriæ aortæ distensionem, nec modicum in anteriori ejus tunica ab extrinsecæ causa ibidem subito factum dolorem cum ardore, sub sterni superiori parte illico coortum esse, ut & juxta subclavium ramorum propagationem ad utrumque brachium tendere videretur, una cum torporis sensu, ob brachialium compressionem nervorum, qui iisdem subclaviis vasibus annectuntur. Mala hæc aortæ constitutio symptomata quævis revocavit, quoties sanguinis congruo ibidem motui obicem posuit; et, quoniam tractu temporis ex repetitis validioribus sanguinis appulsibus disruptæ in arteria læsæ fibræ non parum occalluerunt, stricto hinc magis magisque nexu cohærentes inter se, in osseas abierunt lamellas, gravioribus in dies frequentioribusque symptomatibus per hanc causam excitatis. Pari etiam modo reliquam totius morbi rationem docte eleganter-

ganterque eruit, eos vero simul, qui aliter explicarunt eam, data occasione refutat. Altera Observatione, ducem quendam bellicum, refert, ab ictu maximo, quem post violentum motum inopinato cadens in media sterni parte accepit, ingentem sibi, per vicesque recrudescentem, tandem vero funestum, contraxisse morbum. Inciso cadavere, repertum fuit cum effuso sanguine anevryisma arteriæ aortæ, tantæ molis, ut ejus cavum Autoris utramque manum commode contineret, ipsoque pericardio longe majus esset. Quarta costa, ubi summum anevrysinatis acumen adhæserat, excavata erat maxime, in eodemque acumine polypoiæ complures aderant fibræ, miro invicem modo contextæ, ut laminam fere carneam satisque crassam constituerent. Hinc inde superficies ossis obducta erat parvis lamellis, seu squamulis tenuibus admodum & lævigatis, quæ obtusis angulis terminabantur. Magnitudinem ejus anevrysinatis, situmque, & reliqua momenta, copiose accurateque Cl. Autor describit, omniumque hujus morbi symptomatum, & causarum, ipsiusque mortis, rationem pari, ut in superiori Observatione factum erat, diligentia & doctrina, judicii que acumine, exponit.

JO. GEORGII SCHELHORNII DE VITA, fatis, ac meritis, Philippi Camerarii, JCi, Historici, ac Philologi pereximii, & primi Academiae Altorfinae Procancellarii, Commentarius. Accedit, præter selecta ex Epistolis Virorum celeberrimorum, ad ipsum scriptis, ejus relatio de captivitate sua Romana, & liberatione fere miraculosa, nunc primum e M.Sto edita.

Norimbergæ, sumptibus Jo. Mich. Seitz & Christoph.

Contr. Zeli, 1740, 4.

Alph. 1 plag. 21.

Vitam, famam, ac merita, eruditissimorum hominum celebrare, nobis quidem æbitris, æque literis & rei publicæ conducit, ac Principum & nobilium. Hos casus interdum extulit ac temeritas; illos diligentia, prudentia, virtus. Præclare igitur

Uuu 2

non

non solum de Manibus *Camerarii*, sed de universo, qua literis favet, orbe, meritis esse censendus est Celeberrimus, & scriptorum politissimorum dudum laude florentissimus, *Sebelbornius*, quod Virum tantum, tamque sapientem, calamo suo æternitati consecrandum curavit. Quo quidem munere ita nobis videtur perfundus, ut nemo futurus sit Lectorum, qui sive in selectu rerum notatu digniorum, sive in narrandi ratione, sive in genere dicendi, quod copiosum, facile, & elimatum, est, quidquam desideret. Fuit autem *Philippus Camerarius* antiquo nobili genere natus, quod jam Seculo undecimo ex Carinthia in agrum Bambergensem concessit. Parens fuit *Joachimus*, instaurator ac vindex literarum elegantiorum, præcipue Græcarum, celeberrimus. Ex hoc lucem vidit Noster Tubingæ A. 1537, die 16 Maji. Nomen *Philippi* in honorem *Melancthonis* ei impositum est. Fratres habuit *Joannem*, Serenissimo Borussiae Duci a Consiliis, *Joachimum*, magni nominis Medicum, *Ludovicum*, pariter in arte salutari exercitatissimum, ac *Gothofredum*, in aula Principis *Richardi*, Comitis Palatini, cum laude versatum. Præcipuus Nostri præceptor ipse parens existit. Hinc in Lyceum Portense mittebatur, *Esromi* tum *Rudingeri*, viri omnis elegantioris doctrinæ callentissimi, curæ commissus. Hic, Nostri affinis, cum aliorum vocaretur; Misenenſe in Gymnasium migravit *Philippus*, cui tunc præerat *Georgius Fabricius*, cujus summum ingenium, indefessum studium, eruditio incomparabilis, palmam jam dudum atque immortalitatem meruerunt. Hinc Academiis frequentavit Lipsiensem, Tubingensem, atque Argentoratensem. In hacce postrema *Hotomanni* præcipue fidem expertus est; item *Ludovici Crempii* ac *Joannis Sturmi*. Postea iter Italicum ingressus est, ad quod feliciter & cum fructu perficiendum, quæcunque poterat, parens præsidia comparabat; & ipse filius ætate jam erat satis matura, quippe annum sextum & vigesimum supergressus. Primo perletem figebat in Academia Patavina; quod per Lombardiam iter, A. 1563 d. 28 Septembris institutum, ipse singulari diario, quod hic simul integrum exhibetur, descripsit. In hoc diario lectu dignissimo ac jucundissimo

dissimo plura susus indicantur. Pertinent eo descriptio urbis
 Comi, Mediolani, Veronæ, Mantuæ, atque aliarum. Cum
 Patavii aliquantisper substitisset; Ferrariæ etiam ac Bononiæ
 cominoratus est. Hinc Florentiæ *Petrum Victorium* adiit, qui
 plurima ei humanitatis officia præstitit. Romæ conversatione ga-
 visus est *Mureti* atque aliorum, & plurima vidit notatu per-
 quam digna. Cum in eo esset, ut altera die una cum *Petro*
Rietero de Kornburg, Patricio Norico, ac deinceps oppidi
Herspruccensis præfecto, quem itineris socium habebat, Ferra-
 riam se denuo conferret; inopinato accidit, ut, nullius plane
 criminis reus, d. 5 Junii cum comite suo in Inquisitionis Roma-
 næ carcerem contruderetur. Qui atrox casus, quamvis plu-
 rimum calamitatis secum ferret, eumque vehementer exerce-
 ret, virtutem tamen ejus, pietatem in Deum, religionis stu-
 dium, atque invictum animi robur, declaravit. Captivitatis il-
 lius, ex falsâ delatione ortæ, peculiaris *Camerarii* sub finem
 libri legitur descriptio; in contextu vero præcipue *Schelbornia-*
na de ipsâ Inquisitione narratio, quales sæpius elegantissimas
 ille ac doctissimas *παραβόλαις* fecit, notari meretur. Libera-
 tio ita contigit. Cum nihil aut parum profuisset opera, a *Prospe-*
ro Comite de Archo pro eo in libertatem vindicando, jussu *Ma-*
ximiliani II Imp., apud *Pium IV*, Pont. Rom., studiose impen-
 sa, nihil epistola *Alberti*, Bavarix Ducis, ad eundem data, nihil
 aliorum studium; Deus quasi ex machina comparuit. Legatus
 tum Pontificis Viennæ apud Imperatorem erat *Zacharias Del-*
phinus, Antistes Pharensis, illustri apud Veneros loco natus. Is
 Cancellarium suum, *Antonium Cuchium*, JCrum Belgam, ad *Si-*
gismundum, Episcopatus Magdeburgensis Administratorem, Ha-
 lam Saxoniam misit, unde ille, expeditis negotiis, & magna pe-
 cuniæ vi collecta, ad suos reversurus, Lipsiæ Nostri parentem,
 exhibitis literis heri sui, quas vocant, credentialibus, salutavit,
 qui, inter alios sermones, de Romana filii captivitate conque-
 stus, eum monuit, sibi caveret, ne quid sinistri in itinere suo
 præter spem ipsi accideret; quodsi enim Pontificii tam severe
 adversus infantes ac peregrinos se gererent, fieri facile posse, ut
 par pari referretur. Contigit vero deinde, *Joachimo* prorsus
 ignaro,

ignaro, ut in Thuringia equites aliquot personati in eum irruerent, & bombardis manuariis explosis, ministros ejus omnes globulis transfigerent, ille autem, cunctis rebus suis spoliatus, vix evaderet, id quod *Cuchius* non sua sponte a prædonibus, sed cum consensu Principum protestantium, ut ipse tanquam pignus pro captivis retineretur, esse factum, licet falso, sibi persuadens, acriter propterea ad Legatum Pontificis literis suis conquestus, resque deinceps pernicious nuntiis Romam delata est. Verebatur itaque aula Pontificia, ut Legati sui tam in Comitibus, quam alibi in Germania, negotia sua, nisi his juvenibus custodia liberatis, secure & sine periculo in posterum agere possent; ac terrore hoc Panico factum est, ut *Notster*, una cum socio, confestim d. 4 Aug. e carcere dimitteretur. Compertum vero est deinde, equites illos a *Guilielmo Grumbachio* saltem spoliatorum colligendorum gratia fuisse immixtos; quod adeo scelestum facinus in optimum Deus finem direxit. Ita vero, morbo, quocum in carcere consiliari coeperat, percurato, ad suos rediit incolumis, lætis omnium plausibus ac faustis acclamationibus exceptus. Notatu est præcipue dignum elegantissimi *Bersmanni* carmen, quod totum hic insertum videmus. Nunc sollicitus erat pater de sponsa filio acquirenda, potissimum apud Argentoratenses. Sed Norimbergæ sedes fortunarum *Camerario* a providentissimo Numine destinata erat. Postquam enim A. 1569 suo merito Basileæ solenni ritu insignibus in utroque Jure Doctoris ornatus fuit, Norimbergæ conludit, & A. 1571 d. 26 Febr. nuptias cum *Helena, Martini Pfinzingii ab Hensensfeld*, in patria Senatoris, filia dignissima, celebravit. Ex hac liberos octo sustulit, summis partim honoribus admotos, ac prosperrimis fati usus. Biennio post matrimonium initum, munus ipsi Consilarii Norici continebatur, quemadmodum etiam Landgravius Hassiæ sibi a Consiliis ipsum esse iussit. In gravissimis suis muneribus summa ipse prudentia & insigni dexteritate utebatur, ita, ut principes interdum personæ atque ipsi Imperii ordines ad ejus non raro consilia confugerent. Quid mirum, quod & apud eosdem maximam inde gratiam collegerit? Sed nec mi-
nora

nora ejus fuerunt in rempublicam literariam merita. Ejus rei Academia præsertim Altorfina testis esse potest, quæ ipsam huic Viro vitam, ipsum spiritum, debet. Gravissimis de causis Senatus Noricus, suasu imprimis *Joachimi Camerarii*, patris, translationem Gymnastii *Ægidiani Altorfium* decreverat, ubi, exstructo magnifico Collegio, aliisque necessariis paratis, introductio A. 1575, 3 Cal. Julii, secuta est. Primo autem Rectori, *Valentino Erythraeo*, Lindaviensi, immatura morte A. 1576 extincto, successor datus *Jo. Th. Freigius*, a *Philippo* nostro, Noricæ reipublicæ oratore, habita eleganti Oratione, in munus immisus est. Ab eo tempore commendatissimum *Camerarius* fidei suæ habuit hoc Lyceum, nec dubium est, quin consiliis ejus Senatus Noricus motus, privilegia Academica a *Rudolpho II Imp.* impetranda curarit. Hinc & ipse primus recentis Academicæ Procancellarius constitutus, hoc splendidissimo munere per integros 42 annos functus est, studiis quoque potissimum suis impetravit, ut in Jure ac Medicina creandi Doctores a *Ferdinando II Imp.* libertatem hæc Academia A. 1622 impetraret. Sed nec privatis eruditissimorum hominum conatibus defuit *Philippus*. Lucubrationes paternæ complures, de quibus & ipse & *Joachimus*, frater, præclare meriti fuerunt, primum hic locum merentur. Ipse præterea limatissimas lucubrationes conscripsit, quas inter *Opera horarum subsiviarum*, sive meditationes historicæ, potissimum, quæ nominentur, dignæ sunt, uberrimis doctorum, quæ passim hic exhibentur, laudibus ornata. Ad hæc pretium earum inde quoque patet, quod non alii solum præta ex his sua diligenter rigarint, sed plures etiam editiones, plures translationes, extant. Sensit tamen accuratissimum illud Opus injurias etiam tum Inquisitorum Pontificiorum, quam obrectatorum quorundam. Sed, quemadmodum frustra contra luanam latrant canes, sic hodieque suus huic labori honor constat. Ac dolemus sane, Centuriam quartam, cujus novem Capita manu scripta extant, perfici non potuisse. Doluerunt id ipsi etiam exteri, apud quos gratia Noster, autoritate, amicitia, valuit plurimum. Admirandum vero est, *Camerarium* nostrum, in ætatis flore carcere morbisque difficillimis attri-

tum,

tum, multis insuper deinde variisque fortunæ casibus exercitum, & catenatis per omnem vitam laboribus domi forisq; obrutum, ad extremam senectutem pervenisse, viribus animi non plane prostratis, visuque, quod illa ætate rarissimum, integro, nec conspicillis opus habente. Paululum ante suprema fata, salvis axiomatibus, & emolumentis, inde redundantibus, rade donatus, vitæ, laborum, honorumque, satur, pie placideque mortuus est die 22 Junii A. 1624, annum ætatis septimum & octogesimum, rarissimo exemplo, supergressus. Sepulcro hoc lemma cum nomine suo inscribi voluit: ALII. FORSITAN. ALIA. NOS. NIHIL. ALIUD.

Prodiit nuper ex prelo nostro *Tomus quinti Supplementarum ad Nova hæc Acta Sectio secunda*, in qua quos recensimus, libri hi sunt: 1) *Annales typographici*, ab artis inventæ origine ad annum 1664, opera Mich. Maisaire, A. M. Editio nova, auctior & emendatior. *Tomus I.* Amstelodami, 1733, 4; 2) *Jo. Laur. Mosheimii Historia Tartorum Ecclesiastica*. Helmstadii, 1741, 4; 3) *Examen de l'Essay de Monsieur Pope sur l'homme, par Mous. Pierre Daniel Crosta*. A Lausanne, 1737, 8; 4) *Jo. Frid. Jacobi Betrachtungen über die weisen Absichten Gottes bey denen Dingen, die wir in der menschlichen Gesellschaft und der Offenbarung antreffen*. Göttingen, 1741, 8; 5) *Christiani Hanaccii, D. Primordia superioritatis territorialis Saxonice, ex antiquis Saxonum & Francorum rebus eruta*. Vitembergæ, 1740, 8; 6) *Gottlieb Sam. Treueri Investitura per sceptrum feudis ecclesiasticis & secularibus communis*. Göttingæ, 1741, 4; 7) *Parve sopra la cagione della morte della Cornelia Zangarina Bandi, per Giosefo Bianchini*. In Verona, 1738, 8; 8) *La Scuola Salernitana dilucidata di Fulvio Gherli*. In Venezia, 1733, 8; 9) *Laurentii Reinbarthi Chronotaxis nova Apocalypseos Joanneæ, novi Commentarii in Apocalypsin prophetico-historico-dogmatici, Germanica lingua evulgandi, Prodromus*. Vinarie, 1741, 4; 10) *Jo. Conr. Fueslini Diss. Apologetica prima pro Davide, Hebræorum Rege, adversus obrektionnes Petri Bailii*. Tiguri, 1740, 4; 11) *Martini Dieterich Nexus philosophicus Grammaticæ Hebrææ*. Francof. ad Viadr. 1739, 4; 12) *Christoph. Aug. Henmanni Commentatio theologica de Illuminatione Sauli, cæca pietate ferventissimi, ad Act. IX, 3-6*. Jenæ, 1741, 4; 13) *Jo. Rudolphi Kieslingii Commentatio philologico-theologica de Jesu Nazareno in grata patria exule, ad Luc. IV, 28-30*. Lipsiæ, 1741, 4; 14) *Joach. Barward Lauensteini Verteidigung seiner Diplomatischen Historie von Hildesheim*. Hildesheim, 1741, 4.

* * *

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXLII.

Pars II.

ANNALES MINORUM, SEU TRIUM ORDINUM, a S. Francisco institutorum, Autore A. R. P. LUCA WADDINGO, Hiberno, S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo. Editio secunda, locupletior & accuratior, opera & studio R. P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA AB EBORA, Ord. Minor. Scriptoris & Ex-Generalis, sanctæ & universalis Inquisitionis Consultoris, Sac. Congreg. Consistor. Votantis, Episcop. Examinatoris, Regiæ Academiæ Lusitanæ Socii, in Romana Sapientia Censoris, atque in Cismontana familia Visitatoris, & Reformatoris Apostolici.

Tomus XIV.

Romæ, typis Rochi Bernabo, 1735, fol.

Alph. 7 plag. 15.

Pergimus jam in recensendo Opere insigni, & rerum cognitu dignissimarum pleno, ad *Tomum XIV*, ceteris, si seriem annorum spectes, quodammodo ampliorem, quippe quo historia Minorum ab anno inde 1472 ad 1491 pertexta sistitur. A. 1472 *Sixtus* Pontifex instructam tantis Pag. 1. classem in Asiam adversus Turcas, etsi non felici adeo successu misit; Canonicis Lateranensibus in Urbe templum Pacis 2. concessit; Bullam *Eugenianam* tollere, & Observantes jurisdictioni Ministri generalis subicere, tentavit, sed a proposito postea

X X X

stea

- stea discessit; Comitia Conventualium generalia Ferrariae, & alia
 Pag. 3 Observantia Cismontanorum in urbe Aquilana, nec non Ob-
 seq. servantium Ultramontanorum in Conventu Basileensi provinciae
 6. Argentinae, sunt celebratae; in urbe Aquilana corpus S. Ber-
 7-15. nardini ex aede S. *Francisci* in templum nomine ipsius dictum
 solenni ritu translatum est; Mediolani floruit *Michael a Carcano*,
 non minoris doctrinae, quam religionis, homo; *Sixtus* con-
 17 seq. troversiam Fratrum & Sororum reformationis B. *Coletae* provin-
 20. ciae Burgundiae composuit; idem Congregationem *Amadei*
Hispani, Mediolani institutam, multis privilegiis munivit; vi-
 22-32. vis excesserunt *Joannes Bonvisus*, Lucensis, *Michael de Massa*
 33 seq. *Maritima*, *Anastasius Mediolanensis*, & *Antonia Florentina*; S.
 35 seq. *Francisci* dies sacer & solennis indictus est; magnis animorum
 41 seq. motibus controversia agitata, an S. *Catharinae* imagini stigmata
 46. sint appingenda; decessit *Bessarion*, Cardinalis, Ordinis Prote-
 69 seq. stor, cui in munus hoc successit *Petrus Riarius*, nepos Ponti-
 73. ficis. A. 1473 bellum adversus Turcas profectus est Ponti-
 75. fex, & *Matthiam*, Regem Pannoniae, a foedere cum illis in-
 78. eundo avocare modis omnibus conatus est; *Jacobus Piconus*
 Neapolim ad *Ferdinandum* Regem missus est Legatus Pontifi-
 cis; inter Conventuales & Observantes ortae sunt lites, sed sta-
 tim sopitae; quae olim una fuit, in partes duas est divisa Claren-
 89 seq. norum Congregatio. A. 1474 memorabilia multa perfecit
 91. Pontifex, sed grave vulnus accepit ex morte nepotis sui, *Pe-*
 92. *tri Riarii*, Cardinalis, Minorum Protectoris, cui muneri ad-
 93. motus est deinde *Julianus de Ruvere de Abizzola*; *Jac. Pice-*
 nus Regem Hungariae ad bellum adversus Turcas concitavit;
 ad Superos migravit *Barnabas Interamnenfis*, olim Medicinae
 95. Doctor, postea Minorum regulam securus; in Gallia florue-
 runt *Guil. Abrincus*, *Jo. Filletti*, *Nic. Amantis*, & *Jo. Guol-*
 98 seq. *terius*; *Franciscinam* suam, seu *Speculum Ordinis*, rarissi-
 111. mum nunc librum, ad finem perduxit *Jac. Oddo*, Perusinus; Mi-
 122. noritis multa Pontifex & insignia privilegia concessit; inter Dal-
 123. matas & Ragusinos subortum est dissidium, sed statim composi-
 tum. A. 1475 Pontifex Regi Hungariae adversus Turcas auxilio
 venit, & inter Principes nonnullos pacem stabilivit; solenne In-
 dulgen-

MENSIS SEPTEMBRIS A. MDCCXLII. P. II. 531

dulgentiarum Jubilæum indictum est; inter Sanctos connume-	Pag. 123:
ratus est <i>Bonaventura</i> , Cardinalis; Urbini celebrata sunt Co-	
mitia, in quibus Minister Generalis electus est <i>Franciscus Na-</i>	124.
<i>nis</i> , cognomento <i>Samson</i> ; indictum etiam in Conventu Audo-	125.
marensi generale Capitulum Observantium Ultramontanorum,	
& aliud Cisfontanorum Neapoli; <i>Antonius e Castro S. Joannis</i>	127.
frustra meditatus est novam Congregationem; vita excefferunt	
<i>Grifo</i> , Belgæ, Doctor Parisiensis, magnus sui Ordinis Theologus,	128.
& <i>Michael Bal</i> , Ruthenus, Dapiferi Samocensis filius; florue-	133.
runt <i>Bernardinus Feltrensis</i> , & <i>Ludovicus a Barga</i> . A. 1476	
ad Electoralia Germanorum Comitia <i>Sixtus</i> Legatum misit Car-	145.
dinalem <i>Gonzagam</i> , ut adversus Turcas, si fieri posset, ani-	
mos Germanorum Principum exacerbaret; purpura donatus est	
<i>Petrus de Fluxo</i> , junior; virtute & religione claruit <i>Joannes</i>	146.
<i>de Aragonia</i> ; decessit <i>Jacobus Picens</i> , multis in Ecclesiam	147.
sua meritis illustris, & a <i>Benedicto XIII</i> A. 1726 Sanctorum	147-163.
factis adscriptus; obiit etiam <i>Marianus a Senis</i> , <i>Andreas a</i>	164.
<i>Colle</i> , <i>Fridericus</i> , Comes Palatinus, & <i>Innocentia Angeli</i> , Tu-	
dertina. A. 1477 orta est in partibus Lombardiæ gravis de im-	169 seq.
maculata B. Virginis <i>Maria</i> conceptione controversa, quam	
ita composuit Pontifex, ut immunem ab omni peccato originali	
<i>Mariam</i> pronuntiaverit; mortui sunt <i>Gaspar Florentinus</i> , <i>Paulus</i>	171.
<i>Brixienfis</i> , <i>Henr. Herpius</i> , <i>Fortunatus a Perusio</i> , <i>Franciscus Tho-</i>	173-174.
<i>masutus de Campobasso</i> , <i>Elisabetha Malatesta</i> , <i>Clarissa</i> , & <i>Guardi-</i>	
<i>anus Hierosolymitanus</i> , <i>Jacobus Alexandrinus</i> , quem in munere	178.
secutus est <i>Bernardinus a Caymis</i> . A. 1478 <i>Sixtus</i> , Pont. Max.	
in <i>Laurentium Medicum</i> & <i>Florentinos</i> , eadem <i>Juliani Medici</i>	190.
graviter ulciscentes, severe animadvertit, Mendicantium vero	
Ordini, in Germania aliquantum afflicto, insigne patrocinium	191.
præbuit; indictum est Capitulum generale Observantium Cis-	194.
fontanorum ad <i>S. Jacobi</i> Cœnobium Papiense, & aliud Ul-	
tramontanorum in Conventu Castri Rodulphi Provinciæ Turo-	
niæ; obierunt <i>Marcus Bononiensis</i> , miraculorum fama, si quis-	196.
quam alius, clarissimus, <i>Bartholomæus a Colle</i> , <i>Thomas Cucius</i> ,	208.
<i>Matthæus Noli</i> , <i>Andreas Rey</i> , <i>Scrappina Columna</i> , <i>Claris-</i>	209.
<i>sacum una</i> , & <i>Catharina</i> , Bosniæ Regina; <i>Gabriel Veronensis</i> ,	213.
Episco-	

- Pag. 213. Episcopus Agriensis, cooptatus est in Cardinalium Collegium.
 222. A. 1479 Romæ Patrum Conventualium habita sunt generalia
 224. Comitia; Prædicatoribus & Minoribus insignia a Pontifice præ-
 230.232. 231. 232. 233. 241. 242. 244. 245. 246. 263. 266. 269. 271. 285-309. 310. 313. 325.
- Franciscus Zenus*, & Regina Navarræ, *Eleonora*, Minoritis ad-
 didicissima; *Franciscus*, Dux Britannicæ, *Francisci* regulam am-
 plexus est; doctrina & religione præ ceteris floruerunt *Ange-
 lus de Clavasio*, Vicarius generalis, *Marcus Bononiensis*, *Pe-
 trus Neapolitanus*, *Evangelista de Balionibus*, *Hieron. Torniel-
 bus*, *Marcus Vigerius*, *Bartholom. Rovereus*, *Laurent. Traver-
 sagnus*, & *Nic. Carrettinus*; Marpurgi festum Conceptionis B.
Marie solenni ritu celebrari cœpit. A. 1480 *Joannes de la
 Puebla*, Princeps Hispanus, Minoritarum Ordinem ingressus
 est; fato suo succubuerunt *Petrus de Capriolis*, *Liberatus de
 Civitella Aprutina*, *Dominicus Campensis*, *Ludovicus Placenti-
 nus*, *Leonardus Florentinus*, & *Catharina Valentis*; insignis
 fama fuit *Francisci de Aragonia*, *Alexandri Ariostii*, *Cerberi-
 ni Spoletani*, *Bernardini Feltrensis*, *Marci de S. Maria in Gallo*,
Joannis Valentini, *Guidonis Brianfolii*, *Dominici de Ponzo Spe-
 diano*, *Michaelis Aquensis*, & *Seraphini de Squillatio*; *Joanna*,
 Castellæ Princeps, cum amita sua, *Catharina*, Minorum sacris
 addixit nomen suum; de tollendis inveteratis Patrum Con-
 ventualium & Observantium litibus serio cogitavit Pontifex. A.
 1481 Martyres, *Marrochii* in Africa occisi, cultu honestati
 sunt ecclesiastico; Ferrariæ Comitia generalia Observantes Cis-
 montani, Ultramontani, in Conventu Montis Lucii provincie
 Burgundiæ, celebrarunt; diem suum obierunt *Petrus Floren-
 tinus*, *Laurentius Firmanus*, & *Antonius a S. Joanne*; in Po-
 lonia floruerunt *Angelus Ostrovius*, *Mich. Bal*, & *Chrysofomus
 de Pomez*; Genuenses, suasu monachi Franciscani, expedi-
 tionem adversus Turcas susceperunt. A. 1482 in Ordinem
 Sanctorum solenni ritu receptus est *Bonaventura*, Cardinalis;
 Ferrariæ magnis animorum motibus disceptatum est de Conce-
 ptione B. *Marie*, quam in rem Bullam emisit Pontifex; e vita
 exierunt *Amadeus Lusitanus*, qui scripsisse *Librum Revelationum*
 dicitur, *Ludov. de Varca*, *Laurentius* & *Leonardus*, Poloni,
Josephus

MENSIS SEPTEMBRIS A. MDCCXII. P. II. 533

<i>Josephus Eugubinus, Anton. Bonfadinus, Pacificus Novariensis,</i>	Pag. 326.
<i>Benedictus Florentinus, & Antonius a Castro S. Joannis;</i>	floruerunt in Corsica Petrus de Brieta, & Leo de Petra Buni, Romæ Robertus Liciensis, & Perusii Franciscus a Trivulzio; in
urbe Brixienti Comitia Ordinis generalia sunt celebrata. A.	327.
1483 defuncti sunt Paulus Theutonicus, Ludovicus Senensis,	329.
Simon Lipnicus, Justinus, & Jo. Slonka, Poloni, Bartholom.	331.
de Apone, & Zanettus, Ordinis olim Minister generalis; floruerunt	330.
<i>Pelbartus de Themesvar, Anton. de Balocco, Bernardinus a Caymo, Raphael de Griffis de Variso, Jac. Grumelus,</i>	341.
<i>Mich. Perusinus, Bernardinus Felvensis, & Anton. Picens;</i>	343.
insula donatus est Elias ex Vicecomitibus de Bourdeille. A.	351.
1484 ad cœlestes domos abierunt Sixtus, Pontifex, qui successorem	352.
habuit Innocentium VIII, porro Elias Vicecomes de Bourdeille,	353.
Cardinalis, Cherubinus Spoletanus, Joannes de Dukla, Jacobus Cortonensis,	363.
<i>Ægidius Florentinus, Euphrosina, & Francisca Messanensis;</i>	369.
Capitulum generale in Monte Alverna Observantes Cismontani, & in	373-378.
Conventu Brugensi Ultramontani, habuerunt. A. 1485 generalia Ordinis	379-380.
comitia in Cœnobio Casalis Montisferrati sunt celebrata; edidit Bullam	382.
Pontifex, qua Observantibus transitu ad Conventuales interdixit;	393.
provinciæ Canariæ nomen audiri cœpit; mortui sunt Joannes a Santorcasio,	395.
& Michael a Carcano. A. 1486 e vita excefferunt Sixtus Mediolanensis,	396.
<i>Julianus Theutonicus, & Petrus Antonius Cortonensis;</i>	404.
montem pietatis, Mantuæ erectum, literis confirmavit Pontifex. A. 1487	405.
Capitulum generale in agro Assisate Observantes Cismontani, & ad Cœnobium Tolosanum	411.
S. Mariæ Angelorum Ultramontani, indixerunt; in Hispania novam	422.
Ordinis emendationem molitus est Joannes de la Puebla; Inquisitores	423.
Ordinis Prædicatorum in Hispania, ne imperium exercere in Minoritas	425.
pergerent, prohibuit severe Pontifex; decesserunt Antonius a Radonisco,	428.
& Paulinus, Poloni, nec non Gabriel, Cardinalis Agriensis; floruerunt Stanislaus	429.
<i>de Corzep, Joannes de Thomacellis, Franc. de Aragonia, Mich. de Aquis,</i>	430.
& Jacobus de Turre; Reguli Mirandulani dux filiarum, & Reguli Camertis una,	443.
moniales S. Clare factæ sunt. A. 1488	

- Cremonæ habita sunt Patrum Conventualium generalia Comitia; vitam cum morte commutarunt *Franciscus Gallus, Jacobus Ticinensis, & Philippa Medicea*. A. 1489 generale Capitulum ab Observantibus Cisfontanis habitum est in Conventu *S. Donati* extra civitatem Urbini, & in Conventu de Fonte prope Rupellam ab Ultramontanis; obierunt *Franc. de Barga, Onufrius Sarzanensis, Marcus Cortonenfis, & Scholastica Fulginas*; in urbe Lucensi erectus est mons pietatis; Fratribus Hungaris magna privilegia sunt concessa. A. 1490 ad Superos evocati sunt *Benedictus Valentinus, Petrus de Moliano, Michael de Mediolano, Guil. a Speluncato, Phil. a Carponeto, Petrus de Fuxo, Cardinalis, Beatrix Rusca, Victoria Gonzaga, & Angelina Antonii*; magnæ Interamnetes inter & Celanos in Umbria controversiæ subortæ; Placentiæ mons pietatis erectus; Regum Lusitanorum in propaganda fide ardor eminuit. A. 1491 in urbe Assisi Patres Conventuales celebrarunt generalia Comitia; obierunt *Didacus a Luminibus, Gabriel Æsinus, Bernardus Mandelus, Antonius Elvensis, Gundisalvus Ulyssiponensis, Christoph. de Variso, Seraphinus, Polonus, Marianus de Jesorbo, Paulus Moravus, Franciscus e Plebe S. Stephani, Eustochium, Clarissa Messanenfis, Vitalis a Bastia, & Demetrius Albanus*; Patavii & Veronæ montes pietatis instituti. Finem 513. 517. & huic Tomo imponunt Regestum Pontificium, & rerum notabiliorum Index.

DISCOURS HISTORIQUES, CRITIQUES, THEOLOGIQUES, & moraux, sur les evenemens les plus memorables du V. & du N. Testament, &c.

hoc est,

SERMONES HISTORICI, CRITICI, THEOLOGICI, & morales, de eventibus maxime memorabilibus rerum Vet. & Nov. Testamenti, per SAURINUM, Ecclesiasten Hagæ Comitum, inchoati, continuati autem opera ROQUESI, Ecclesiastæ Reformati Gallici Basileensis.

TOMUS VI & VII.

Hagæ

Hæge Comitum, impensis Petri de Hondt, 1736 & 1739, 8.
 Tom. VI Alph. i plag. 13, Tom. VII Alph. i plag. 18.

Tomorum jam quinque summas & præstantissima argumenta superioribus annis repetivimus, publiceque exposuimus. Progrediendum nunc est ad *Tomum VI & VII*, quos adornavit Pl. Rev. *Roquesius*. *Tomus VI* complectitur morbum ac sanationem leprosi *Naemanis*, Syri, initia regni *Joa*, & *Athaliam* depositam, cladem ab angelo Domini illatam exercitui Assyriorum, renovatum a *Josia* fœdus in Domini conspectu, templum a *Nebuzaradano* combustum, *Hodedum* in campo Samariæ, regnante *Achaso*, ac *Menassen* vinculis datum. *Tomo VII* relatas legimus *Abasveri* benignitates in *Mardocheum*, *Jobi* calamitatem, *Jeremiam* ramum amygdali conspicantem, figuram animantium *Ezechieli* representatam, imaginem resurrectionis mortuorum, *Danielem* somnium *Nebucadnezaris* exponentem, tres viros in furno Babylonico, ac *Danielem* leonibus objectum. Mirum Tom. VI sane, historiam *Naamanis* a *Josepho* fuisse prætermittam. In pag. 2. credibile videtur, homines 27000 armatos a mœnium *Aphacensium* ruina opprimi potuisse. At, simul ac 27 ductores eis- 3. que aggregatos milites intellexerimus, dubitatio est expedita. Vox enim מלח notat & mille, & ductorem. Res ipsa recensetur 1 Reg. XX, 29, 30. Edisserit Autor varias lepræ species ex 5. *Celfo V, 28, 19*, ipsamque elephantiasin attingit. Hanc vero a magnitudine elephanti appellatam, *Macro* accredit nemo. Vox ipsa est Ægyptiaca, in *Levitico* מִצְרַיִם, ex מִצְרַיִם, rigore constrinxit. Origo indubie debetur aquis Ægypti, vitium capientibus. Lepram, *Calmetus*, a vermibus exoriri, credit. Curationem solus impertire potest Deus. Nusquam in sacro 8. Codice reperitur exemplum curationis, a medico peractæ. 10. Leprosorum erat abesse a sanis ad aliquod intervallum, ni ipsi verberibus excipi mallent. Persæ leprosos ab urbibus arcuerunt, teste *Herodoto I, 138*. Canonem Concilii Ancyranum 17 Autor de leprosis proprie dictis jure exposuit. Voci מִצְרַיִם significatum avis vindicat, *Bochartum* secutus. Undenam lepra 15. Christianos Europæos inficere cœperit, idem disquirat. De fluminae,

- Pag. 26. flumine, Damascum perfluente, potiora affert, teste etiam
 usus *Benjamino Tudelenfi*, quem fide esse plenum, *Baratic-*
 30. *rius* merito negavit. Res ministerii ecclesiastici in commercio
 esse, nefas ducendum. Candide & juste hic sententiam dicit
 34. Pl. Rev. Autor. Fœdus Mosaicum ad solos *Jacobi* posteros
 referri debuisse, ipse existimat, ratus, gentes reliquas ad id
 amplectendum haud fuisse devinctas, sed potius ad colendum
 36. unicum cœli terræque creatorem, & ad leges naturæ effectui
 dandas obstringi. Addere lubet, ipsarum quoque esse, Mes-
 siam revereri, ac opera ejus expetere salutem. De Deo com-
 mentitio *Rimmon* varia profert Autor. Si quid suspitione as-
 sequi licet, *Rimmon* est malo granato instructus *Jupiter*, *Jupi-*
 40. *ter Casus*. ¶ 127 enim est malum Punicum, quod manu prætu-
 lit effigies *Jovis Casii*. Indifferentissimum, Mysticismo familia-
 rem, solide notat Autor in *Petro Poireto*, eique opponit in-
 41. dolem primorum Christianorum. Cultum Dei posse peragi,
 attentione exterminata & seposita, pessime docuit *Filliucius*,
Jesuita. *Persus* sane sub finem *Satyrae II Filiucium* condemna-
 vit. Ad 2 *Reg. V, 18*, copiose Noïter commentatur, verba *Na-*
manis excutiens, sibi que persuadens, ea ad tempus futurum
 esse referenda, & *Naemanem* petere veniam cerimonix in tem-
 47. plo *Rimmonis* peragenda civilis, ac sese incurvandi ad Regem
 suum sustinendum, immo humi sese abjiciendi, Rege humi
 procumbente. *Calmeti* objectiones solvit & enodat. Avari-
 tiam *Gehasii*, eique inflictam eapropter duriolem pœnam, Vir
 57. præstantissimus præclare edisserit & depingit. Cur posteri *Ge-*
hasii lepra fuerint simul puniti, hæc affert rationes: 1) pœ-
 nas fuisse tempori vitæ hujus affixas; 2) eas, innocentibus im-
 missas, esse observantiæ in Deum & patientiæ specimina; 3)
 infantibus de reliquo, si Deum ipsi reverentur, esse benignum,
 quemadmodum exempla eorum, qui surdi, muti, membris-
 que capti, vel aliter infortunati miserique, nascuntur. Adde,
 quod Deus ita ostendit, quantum pravitate insit avaritiæ, &
 homines ob felicitatem vitæ hujus solam haud fuisse conditos,
Ahaziam dici per errorem librariorum *Hazarjab 2 Chron.*
XXII, 6, credit *Ludovicus Cappellus* in *Critica sacra VI, 7*, id-
 que

que Autor pronuntiat verisimile. At quidni statuimus, *Achaz* Pag. 62.
iam dictum quoque fuisse *Jeboucham & Hazariah*? De thro- 86.
 no Regis in templo intexuit Autor haud contemnenda. *Jo-*
sephi in *Ant. Jud. VIII, 7*, legitur loco *בְּיָמֵי מְלֶכֶת שָׁלֹמֹה* vulgo
בְּיָמֵי מְלֶכֶת שָׁלֹמֹה. Sedem *Salomonis* in templo, *כִּסֵּי נְחֹשֶׁת*,
1 Reg. VI, 13, columnæ impositam, in atrio sacerdotum fuisse
 collocatam, negat. Ipsam, a *Salomone* constitutam, a *Joā*
 fuisse concensam, adversus *Campegium Viringam* contendit.
 Sita erat ipsa e regione portæ, quæ ex atrio Israelitarum in a-
 trium sacerdotum ferebat, *Ezech. XLVI, 12*. Idem demon-
 strat, Reges Judæ unctos fuisse oleo sacro & sacerdotali, nec
 obstare locum *Exod. XXX, 31, 32*, sed potius id patere ex *1 Reg.* 90.
I, 39, Pf. LXXXIX, 21. *Joā* impositum fuit diadema & *תַּרְסֵי*.
 De significatu vocis hujus Hebrææ dissentiunt Commentatores.
 Accedit Autor Pl. Rev. *Grosio*, qui, *vestem regiam*, dignitatis
 supremæ dominatusque insigne ac documentum, designari, exi-
 stimavit. Regem Judæorum judicio Synedrii M. fuisse obno- 93.
 xium, ejusque jussu flagellari potuisse, ipse merito negat, ra- 79.
 tus, populo jus esse deiciendi Regem a throno, si hic leges,
 consensione corroboratas sua, conculcandi studio flagret. Ma-
 jestas certe in populo tanquam in radice residet, qui ipse sibi
 exitiosus esse, vel futurus fuisse, censendus non est. Et quid
 Regi est facilius, quam justitia & benefactis populum, sibi sub-
 jectum, prorsus reddere suum? At quis dixerit, huic vel illi
 privato patere potestatem in vitam tyranni? In corpore po- 103.
 puli universi infixæ sedet majestatis radix, non in uno & altero
 ejus membro. Nec hæresis Regis in causa esse potest, ut vel
 populus, vel Pontifex Romanus, eum dignitate & potestate
 privet. Rex recens creatus inicit foedus cum Deo & cum po- 105.
 pulo suo. *Jebajada* exemplo id ipsum illustrari potest. Exem-
 plum Principis, Deum reverentis, mira est efficacia. Recenset
 Autor officia Regum, Deo exhibenda. Nec minus eorum
 in subditos officia prædicat, inimicus tyrannidi & arbitrio sum-
 matum, modum excedenti. Subjungit officia eorum, qui 111.
 Regi sese submiserunt. *Hobbesum* refellit, qui ex *Matth. XXII,* 115.
4, 3, it demonstratum, potestatem Regum esse limitibus va-
 cuam,

- cquam. Morbo *Miskiam* fuisse implicatum, antequam *Sennacheribus* Niniven rediret, existimat Noster æque ac Theologi haud pauci. Favet ipsi locus a *Reg. XX, 6*. De photosciterico *Achasi* congeffit multa, ratus tamen, gradus ambulacri esse intelligendos per מִלְוָה, non gradus gnomonicos. Miraculum, in eis factum, trifariam solet exponi. Ipse autem negat, id ad mundi vel telluris ambitum universum paruisse. Eandem sententiam olim propugnavit *Cel. Jo. Christoph. Harenbergius*, cum ex professo hoc miraculum exponeret. Pelussum nunc vocari Belbeis, prouti Autor credidit, verisimile haud opinamur. *Cutron & Rouillius*, Jesuitæ, ostenderunt, locum nunc vocari *Thiné*, quod nomen appropinquat ad Ebraicum מִלְוָה, & Chaldaicum מִלְוָה. Hosce secutus est idem, quem modo diximus, *Harenbergius* in Charta, qua complexus est terras præscas, quæ nunc in Europa Turcis parent. *Tihucum*, Chusi seu Casiotidis Regem, *Boschartus* ex Arabia, finui Arabico ad Orientem apposita, arcessit, cui Autor adstipulatur. *Sennacheribum* Ægypto ipsi cladem insignem intulisse, rationibus in medium allatis inficiatur. *Ufferius Sargonem*, de quo *Esaias Cap. XX* disseruit, a *Sennacheribo* haud discernit. At, *Sargonem*, *Sennacheribo* juniorem, designari, putat Noster. *Assarhadon* videtur indicari per *Sargonem*. *Chamarham* urbem fuisse, in Cœlesyria sitam, Autor ex *Jer. XLIX, 23*, solide ostendit. Docuit alibi S. Rev. *Harenbergius*, eam a Græcis seu Macedonibus posthæc Heliopolin fuisse appellatam. *Arpad* est *Antaradus*, Arado opposita, littori Phœnicæ imposita, nunc dicta *Ruad*. *Sepharvaim*, alibi *Parvaim*, videtur esse *Paradisus*, Damasco vicina. *Ana* seu *Hena* fuit *Ina Ptolemæi*, ab occasu Damasci sita. *Hivva* fuit *Abida*, haud procul inde disjuncta. *Vitringa* perperam huc trahit *Avvæos*, *Deut. II, 23*, inter Philistæos memoratos. Quis enim ignorat *Autæos*, circa Midianen & lacum Sirbonis olim commoratos? Urbs *Gosan* nobis videtur fuisse *Singa* ad fluvium *Singam*, qui Euphraten ex Syria septentrionali influat. *Chabarab* est *Chabora* ad fluvium cognominem Mesopotamiæ. *Charan* non potest ad Carras trahi. Septimo enim die *Labanus*, *Jacobum* fugientem consecuturus, Charano Mizpam & Gileadis montem attingit prope Jabocum flumen trans Jordanem.

nem. Reseph est Resapha *Ptolemai*, ad ortum Damasci sita. Eden superest in Libano. Thelassar seu Ellassar videtur esse Larissa, olim Oronti apposita intra Syriam. Exercitus *Sennacheribi* quomodo interierit, variantibus opinionum secessionibus implicatum est. At clades illa profecta fuit ab Angelo, immitte ventum urentem, quem Judæi vocant *mactatorem*. Posterius hoc patescit ex *Jes. X, 16, 17, 18*. De Niroch, Deo commentitio *Sennacheribi* ac Assyriorum, nil certi constat. An regnante *Josiu* autographum *Mosis*, an apographum, in templo fuerit repertum, an Pentateuchus, an ejus pars, quæri solet. Apographum id fuisse, verisimilibus Autor conficit rationibus. Id vero sui generis unicum fuisse, merito negat. Pentateuchum Samaritanum veteribus Hebraicis literis esse conscriptum, sibi persuadet *pag. 219*. Nec minus largitur, mutationes quasdam in nominibus urbium & notularum adjectionibus contigisse sacro contextui, schismate decem tribuum antiquiores, veritatis illustrandæ causa exortas. Libros sacros periisse omnes, ac ab *Esdra* refectos fuisse, merito inficiatur, siquidem hoc commentum *4 Esdr. XIV, 21*, ab impostore quodam fuit excogitatum. Cultum, equis quondam præstitum, Noster non omittit, *Masagetis*, *Persis*, *Phœnicibusque*, familiarem. *Chammanim*, ipso iudice, fuerunt solis imagines, altaribus impositæ. Vates, qui vocantur בעררת אוב & בעלי אוב, distinguit ab engaltrimythis, hosque e ventre responsa tulisse interrogantibus, credit. Alibi declaravit *Col. Harenbergius*, voci אוב inesse notionem lagenæ, utris, & tripodis fatidici, cortina testæ, cujus forma ad speciem lagenæ accessit; in hanc descendisse vatem, atque inde dedisse responsa nomine Deorum; engaltrimythis inde dictos, quod ἐν γάστρῳ, in ventre tripodis, itantes, fuere locuti; creditum fuisse Deum aliquem a vate excitari, & per hunc vel hanc loqui. Cadytin *Herodoti* Autor pro Cadesa Naphthalitica habet, & *Crach Misch* pro Cercusio, Euphrati adjacente. At amplitudo, quam *Herodotus* tribuit Cadyti, in Cadesam illam haud quadrat. Ni Hadad Rimmon hic in centum veniat, Megiddunci quippe propinqua & ampla, Hierosolymam certe designari putandum. Ebrai urbem

Pag. 180.

209.

222.

241.

244.

251.

271.

- urbem vocant קְרַח , *crach*. Unde Crachmisch est urbs *Emissa*, seu *Emesa*, in Syria ad ortum Orontis sita. Lucum certe in Hadad Rimmon urbe exortum fuisse ob cladem, a *Necho* illatam, Pag. 273. patescit ex *Zach. XII, 11*. Per verba *Nesbi*, quæ exiverant ex ore *Elohim*, Autor merito designari putat & *Chron. XXXV, 22*, oracula Deorum Ægypti commentitorum. Cum de incendio templi *Salomoni* exponit, universam ejus historiam, 279. templique secundi, ac *Herodiani*, describit. Lucum *Abrahamus* sacravit *Gen. XXI, 33*. Mos hic orbem late pervasit. Animas, se junctas a corporibus suis, lucis habitare opacis, prisci sibi, ut crederent, imperaverant, teste *Virgilio Æn. VI, 673*. Per- 290. sis templa erant nulla, teste *Herodoto I, 131*. Idem obtinuit apud Germanos & *Scythas*, primosque Christianos. *Ædiculæ* sacræ primo erant portatiles, & vix icona Dei tegebant. *Ægyptii* perhibentur primi aras, imagines, & templa, Deis statuissè, teste *Herodoto II, 4*. *Epimenidi* Athenienses cam tribuerunt gloriam, autore *Diogene Laertio* in ejus Vita. Templa Baal Be- 294. rith & *Dagonis* in sacro Codice summæ sunt antiquitatis. Descriptio templi Deæ *Syriæ* congruit partibus tabernaculi *Mosai- ci*, atque inde per imitationem id fuit propagatum. Lucos 299. prisci tandem mutarunt in templa. Heroum sepulcra eodem honore excepit posteritas. Templis & imaginibus inesse credita vis divina. Unde evocationis Deorum ritus fuit exortus. 301. Templis urbibusque eversis crediti fuerunt excessisse Dii. *Numa* simulacro Dei vacare voluit templa. At opinioni ejus repugnarunt posterii. Aqua lustrarunt sese simulacrorum cultores, & calceos exuerunt, delubra ingressuri. Idem mos a Ju- 306. dæis receptus. Templis jæs asyli datum, quod, abusui patens, tandem *Tiberius* sustulit. Violatio & ruina templorum visa fuit admodum criminosa. *Abrahamum* in monte *Moria* *Isaaco* vitam adimere in piaculum voluisse, Autor existimat. Si quid 310. judicando valemus, terra *Moriah* & mons *Moriah* satis differunt. In illam *Abrahami* historia congruit, in hunc haud æque. De altitudine columnarum *Jachin* & *Boas* dissentire videntur 319. scriptores sacri *Jer. LII, 21*, & *Chron. III, 15*. At hic conjunxit altitudinem utriusque; ille separatim altitudinem utriusque indicavit,

indicavit, iudice *Lightsfoot*. Putat Pl. Rev. Autor, situm tabernaculi templique ita fuisse constitutum, ut adytum respexerit Pag. 325. Orientem, more per orbem religiosum communi; at Judæos, in templo ac tentorio sacro adytum prospectantes, convertisse vultum versus Occidentem, antiquissimo more. De templo *Beli* Babylonico, & Dianæ Ephesino, idem exponit. Arcam fœderis in ipso excidio ac incendio periisse, docet. Novam fuisse templi secundi in usum factam, negat. Hoc fuisse primo præstantius, ex *Hagg. II, 9*, ostendit, scilicet ob adventum Jesu Messia. De templo *Herodiano*, ejusque ruina, nec non vanis Judæorum conatibus, imperante *Juliano* ædem novam constructurorum, varia lectu digna adjungit. Ab *Achaso*, 12 annos nato, potuisse *Hiskiam* gigni, credit. Licebit tamen autumare, *Hiskiam* fuisse *Achasi* filium legitimum, non naturalem. Voci עלמה subesse significatum virginis, Autor copiose demonstrat, suppeditans expositionem loci illustrissimi *Esi. VII, 14*. Locum illum directe exponit de virgine quadam præsentem, proxime nuptura, indirecte de Messia. At liceat, pace Viri doctissimi, addere nonnihil limæ loco. Spiritus Sanctus novit indubie, de quam virgine apud *Esaiam* mentio fuerit facta. Hæc vero fuit virgo gravida & filii genitrix *Matth. I, 23*. Geminum signum proponebat *Achaso* Deus per *Esaiam VII, 11*, unum cœleste, alterum in terra sese oblaturum. Illud consistebat in eo, quod *Immanuel* nasciturus erat ex virgine, atque ex stirpe *Davidica*, Regumque *Juda*. Poterat inde *Achas* addiscere constantiam promissionum Dei, atque earum firmitatem, in pios redundaturam. *Immanuel* nequaquam nomen est hominis nudi, sed ejus, cui Judææ protectio erat cordi, & in quo Judæi fiduciam poterant collocare perennem *VIII, 8, 10*. Hoc nomen non nisi in *Ἰσαὶα* congruit. Hunc *Immanuel* virgo erat paritura, eo eventu, ut secundum humanam naturam esset nutrimenta & incrementa facultatum animæ sumaturus *VII, 15*. *Inciso* autem 16 *Jesaias* recenset signum illud humiliter, & ad terram referendum. Hoc in eo positum erat, ut, antequam puer ille, nempe v. 3 memoratus, filius Prophetæ, ad annos judicii sæc discernentis perveniret, *Rezinus* ac

360.

377.

407.

415.

- Pekachus*, foederati, a Rege Assyriorum *Tiglatpalsare* vincendi essent. Sic omnia coherent, & scopo Prophetae congruunt. Sensus uni propositioni non nisi unus tribui potest. Typicus sensus spectat ad rem antitypi. Mysticus vero est sub-
- Pag. 430. ordinatus literali. Neutri hic est locus. מַשְׁכָּן הַלְלוּ image adicula oracularis 2 Reg. XXI, 7, ab Autore reputatur pro *statua luna*. מַשְׁכָּן הַלְלוּ ipsi sunt *Magi*. Credibile est, antistites tripodum indicari, fixura canentes, siquidem ipsi conjuncti solent esse cum מַשְׁכָּן. Augurum historiam Autor intexit. Supplicium, quo *Esaias* obiit mortem, recenset ex Judaeorum scriptis, idque in dubium revocat, ratus, ipsum sub finem regni *Hiskia* decessisse. Mutationem mentis, quam *Menasses* in custodia induit, egregie Autor exponit. Quis fuerit ille *Abasverus*, qui *Mardocheo* annulum donavit, opinionibus factis est intricatum. *Josephi Scaligeri* sententia, qui *Abasverum* pro *Xerxe*, & *Estheram* pro *Amestri*, habet, laborat. *Petavii* ac *Bellarmini*, qui *Abasverum* in *Artaxerxe Longimano* deprehendere tentant, sententia cum aetate *Mardochei* nequit conciliari. *Darii Histaspidis* alii rationem habent, ejusque uxores *Atosjam* & *Artystonen* habent pro *Vasti* & *Esthera*. *Abasverus* enim dicitur tributum populis suis imposuisse *Esth. X, 1*. Idem de *Dario* refert *Herodotus III, 99*, pariter ac *Strabo Lib. XV pag. 850*, & *Polyanus in Apophth. Græc. pag. 9*. *Cyaxaren*, *Medo-Persam*, per *Abasverum* *Marshamus* credidit designari. *Darium Histaspidem* Autor mavult intelligere, quam Regem alium quemcunque. Ars potandi certe in eum quadrat. Divortiorum effrenatam libidinem gentibus luxui deditis Autor Pl, Rev. merito exprobravit. De annulo signatorio disseruit diserte solideque, omnemque *Esthera* libellum illustravit. Ut autem nunc demum de *Hiobo* egerit, induxit ipsum series figurarum, æri incisarum. Nil plane defert conjectura *Hermanni von der Hardt*, qui, libellum *Jobi*, credit, esse imaginem satorum lincolicorum, in exilio Babylónico toleratorum. Doctiss. *Roquefius*, *Jobum*, ejusque historiam, re vera existitisse, rationibus allatis docet. *Maimonides*, *Salmasius*, *Joannes Clericus* in *Commentario ad Jobum*, parabolam in hoc libro sese invenisse, crediderunt.

runt. Stilo poetico colloquia ipsa fuisse tractata, nemo facile diffitebitur. Quod satanas dicitur venisse in colloquium cum Deo, Angelis sanctis immissus, id Auctor in parabolarum loco deputat. Haustum id videtur ex genio Regis humani, in cujus conspectu versantur ministri. Indolenti ventorum, ac reliqua fati durioris momenta, pariter parabolice descripta existimat. Colloquia amicorum ipsa esse dilatacionibus & exaggerationibus fecunda, largitur. Quamplurimi, *Jobum* vixisse Judæis in Ægypto agentibus, credunt. Exitus Israelitarum per mare rubrum ibi fieri mentionem *XXVI, 12*, Auctor videtur inficiari. Id vero nobis videtur satis luculentum, siquidem alibi etiam Ægyptus dicitur *כנען* in *Psalms* & apud *Prophetas*. Pars infima Ægypti adhuc vocatur *Ribb* seu *Errif*. De autore, & tempore conscriptionis, pleraque sunt incerta, variisque opinionibus impedita, non minus, quam de patria *Jobi*, atque genere ejusdem. Theologiam *Jobi* Auctor egregie exponit. Lepra eum fuisse infectum, negat. Uxorem ejus providentiæ divinæ fuisse inimicam, addit. In Trishagio dogma trinitatis ex ter repetita voce *sanctus* deducere recusat. Seditiosi ac perduelles fuerunt insepulti projecti. Exemplis id comprobat Auctor, qui postea excidium Hierosolymæ illustrat, a *Nebucadnezare* profectum, ac *Ezechielis* Prophetæ indolem ac vaticinia perlustrat. Vocem *לשמן* tentat exponere pag. 275, atque *Sam. Bochart* assentit, qui *aurichalcum* credidit designari. *Pythagoram* existisse *Ezechielis* discipulum, cum *Calmeto* inficiatur. De Cherubinis copiose disputat, ac de quatuor rotis intra rotam unam obviis sententias probabiliores affert. Si singula visionis momenta expendamus, pronuntiandum videtur, *Ezechieli* sese obtulisse filium Dei, qui Israelem per deserta duxerat, super operculo arcæ fœderis in throno inter Cherubinos fulgentes, denuo deducentem suos exules ex Babylonia. Cherubini fuerunt columnæ quatuor, circa operculum illud seu thronum collocatæ in formam curru quadrati supra contexti. Columnæ in pedes desiere, supra versus thronum in faciem humanam, & circum eam in effigiem leonis, bovis, ac aquilæ. Erant columnis suæ manus ac brachia,

Pag. 86.

87.

90.

93.

103.

125.

170.

270.

chia, quibus superne poterant conjungi. Alia vero, seu extrema, inde propendens, thronum desuper texere. Gentes extere hunc morem fuerunt imitatae, & ejusmodi currum quatuor postum, supra contextum, & instar ediculae clausum, vocarunt ארשן; Ebraei vero appellarunt מרכב & פתח. Si formam Judaeorum, per deserta Arabiae in castris commoratorum, nobis ob oculos posuerimus; facile animadvertemus, quid sit magna illa rota, in qua fuerunt aliae quatuor rotae. Laquear coruleum instar caeli fuisse in templo olim supra thronum, norunt omnes. Animantia quatuor, ab *Ezechiele* visa, existisse in vexillis Israelitarum primariis, negat Autor. Deum Epicureorum cum Stoicorum notione de natura Dei comparat.

- Pag. 313. Epicuraeorum objectiones, praescientiae ac providentiae Dei oppositas, solide enodat. Rotas, *Ezechiele* visas, esse symbola vicissitudinum, in terris agitari solitarum, idem sentit. Ne-
 321. cessitatem inevitabilem rebus inesse, rationibus allatis negat.
 324. At sat biberunt prata. Rivos esse claudendos, existimamus. In hoc vireto & campo floribus obsito Lectores ipsos lubentes diligentiam suam collocaturos esse, praevidemus.

COMMENTATIONUM HISTORICARUM
 & Criticarum JO. DAN. SCHOEPFLINI,
 Consil. & Historiographi Gall. Reg. Acad. Inscr. &
 Societ. Angl. Sodal. Hist. & Eloqu. in Universit.
 Argens. Professoris, Recensio continuata
 & finita.

Conf. *Novae Aet. Erud.* A. 1742 Mens. Sept. P. I pag. 485 seq.

Dedimus aliquam elegantissimarum Commentationum Cel. *Schoepflini* nuper admodum, ideam, sed, quia prolixum nimis videbatur, singulas, pro eo ac decet, accurate recensere, intra priorum duarum, de *Romanorum Apotheosi*, & de *extincto restauratoque Occidentali Imperio*, contenta labor noster substituerat. Cum vero supersint aliquot, non minore cura & accurate, quam primae illae, elaboratae, (anne vero *Schoepflini* essent, nisi

nisi essent & elegantissima?) pergimus ad reliquas, singularum
 argumenta pro eo, ac merentur, exhibituri. Quae sequitur *de*
Romanorum auspiciis, historica Dissertatio est, in *Capita V* dis-
 tributa. Primo *de auspiciis in genere* differitur, ubi, quia
 divinationis genus sunt, & de divinatione quaedam, ex tacito
 omnium, quotquot sunt, hominum & intestino motu, noscen-
 di ea, quae latent, derivata, exponuntur. Duo constituun-
 tur divinandi genera, *naturale* alterum, quod animus ex divi-
 nitate haurit, cui tamen alium *Aristoteles* significatum tribuit;
 alterum *artificiale*, quod conjectura partim, partim longa re-
 rum observatione, conficitur. Huc illa ex avibus divinatio,
 auspicium, sive augurium, referenda; licet aliquam inter
 augures & aruspices differentiam *Servius* observavit, cum, *au-*
spicia, inquit, *omnium rerum sunt, auguria certarum*. Ci-
 tantur, qui eam in rem posteritati aliquid reliquerunt, *Theo*,
Aegyptius, *Cicero*, *Julius Caesar*, temporum injuria deper-
 diti. Causam divinationis istius inde eo *Cel.* Autor repetit,
 quod, cum nihil sine Numine agendum noverint, per Deos au-
 tem aves moveri crederent, siquidem propius ad caelum ac-
 cedere viderentur, Deorum sedem; augurato omnia, inauspica-
 to nihil, neque publici, neque privati, operis, occipere sustine-
 rint. Decretam ergo subinde in eos, qui neglexerant au-
 spicia, poenam legas; in *P. Claudium*, qui pullos, vorare
 cum nolent, projecit in mare, addito, dum esse nolint, bi-
 bant; in *L. Junium Brutum*, & in alios, idem ob facinoras
 animadversum, *Valer. Maximus* & *Cicero* testantur. Nuptiis au-
 gures adhibiti, adhibiti creandis magistratibus, unde & illa
 politica vocis significatio, *sub illius auspiciis res geri*, deducenda.
 Exculta vero in primis auguralis haec disciplina ab Etru-
 scis, ad quos a Graecis, qui illam a Chaldaeis acceperant, per-
 venit. Quae de autore, *Care* quodam, unde dicta *Caria* regio,
 scribuntur, ex *Plinii* quidem *Historia naturali* desumpta sunt,
 sed ipsi quoque Autori, ut nobis quidem videtur, fabulam
 videntur redolere. *Secundum Caput de avibus augurali-*
bus in genere exponit. Desumpta vero auguria ex avium vel
 volatu, vel cantu, vel pastu; unde *præpotes*, *oscines*, *pulli*,
 dice-

dicebantur; afferuntur ejusvis generis quædam nomina, ut præpetum, aquila, vultur, immussulus, &c. oscinum vero, noctua, cornix, corvus, &c. Aves porro vel *felices*, vel *infelices*, erant, utrisque varis synonyma, de quibus passim *Festus*. Alteras vero inprimis dixere augures, infelices aves, ut abstinerent boni ominis causa ab infelicibus nominibus. Quid, si felices de masculino, de fœminino genere infelices, cum *Lucretio* ad *Thebaidos* III credamus? cum adhuc omnino videatur, nostris temporibus, aliquid istius ominis, quod ad posterius, relictum. Pergit demum Autor ad aves *dextras & laevas*, &, posteaquam Scriptorum diffidia composuisset, ita decernit, ut dicat: Felix omen a Græcis *δεξιόν*, a Romanis sinistrum, dicebatur, ut adeoque Poetæ Latini, cum interdum inausa per sinistra efferunt, more Græco loqui videantur. Quæ de pullis commemorantur, quibus pultes objecta, huc fere redeant, quod optimum augurii genus fuerit tripudium solistimum, nihilo tamen minus a *Cicerone* lepide traductum de *Divinat. Lib. II Cap. 34. Capite tertio aves augurales in specie* recensentur, alphabetico ordine, ita tamen, ut plerumque singularia quædam in singulis, an felices, an infelices, fuerint, ostendantur. Ita de *aquila*, quod plerumque omen viris illustribus; de *columba*, quod augurium felix quidem, sed non nisi Regibus, dederit; de *gallis gallinaceis*, quod ea avis vidua silet, ut *Cicero* loquitur, si vero vicerit, cantus edit, observatur; unde cantus, ante pugnas, gallorum Bœotiiis auguribus omen victoriæ. Refert vero *Cel. Autor κατὰ χερσικῶς* ex aliis quoque animantibus, immo & ex aliis vel accidentibus rebus, petita auspicia, quæ pedestria vocabantur. Et horum animantium catalogum exhibitum eodem ordine videmus. Ita canis, lupa, vulpes, secundum *Horatium*, jumenta, pisces; inter res fortuito accidentes fulgur, tonitru, fulmina, referuntur. Sed & alia meteora, a divinatoribus observari solita, afferuntur, ut *ignis lambens*, quod bonum omen *Servio Tulio* testatur secundum *Livius*. Ex *acuminibus* quoque signorum militarium, si plus solito splenderent, observata auguria, *Cicero* meminit. Sic etiam triste omen, ubi quis *ante vel in re agenda* proci-

proccideret; quo pertinet *caducum* illud *Festi auspicium*, si virga, sive commentaculum, e manu flaminis excidisset; sic *offensio pedis Antigono* ante prælium, *Plutarcho* referente, infelix omen. Sed pertinent hæc ad vastam illam de ominibus materiam, quam Auctor non nisi parcius in fine *Capitis* delibavit. *Caput quartum* Augures jam ipsos, a *Romulo*, *Plutarchi* & *Dionysii Halicarnassensis* testimonio, constitutos, primum exhibet; ubi de eorum vestibus, de receptione in collegium, de numero, de interitu *Constantii Augusti* temporibus, varia leguntur. Ad-dita augurum summa autoritas & dignitas tam apud Romanos, quam apud Græcos & barbaros; subjuncta tandem officia, de quibus *Cicero de Legibus Lib. III* retulit. Huc vero redeunt fere. In auguraculo, quæ specula erat sublimior, constitutus augur, lituo templum definiebat, ubi, peractis precibus, avium gestus cantusve observabat, atque de visis nuntiabat; obnuntiatio enim, quæ de auspicii conditione decernebat, penes Magistratus reliquos erat. *Caput deinde ultimum de vocibus* solennibus atque formulis *augurum* exponit. Hic ergo de oscinis, de templo, de effatis, legas; videas exponi dictiones illas: aves consulere, de coelo servare, aves addicere, silentio surgere, vitium & calamitas, (unde vitio creati magistratus,) alio die, reliqua. Totam Dissertationem *Accii & Ennii* versus, quibus tota auguralis disciplina sugillatur, finiunt. Excipit eam historica Dissertatio, qua *Alemannica Antiquitates* traduntur, *duobus* interstructa *Capitibus*. Prius circa *originem, situm, & mores Alemannorum* designandos versatur, ad quæ Auctor ante quam pedem proferat, exponit, quibus ad Commentationem hanc auctoramentis fuerit impulsus. Nempe dignum reputavit, populi, qui Francicæ genti tot decora attulit, res atque fata ex ipsis solidioribus veterum scriptorum documentis perstringere. Ita demum fines Alemanniæ veteris exponit, Rhenum, Danubium, & Mœnum, flumina; hosque mutatos subinde, & Alemannos nunc ad amplius, nunc ad strictius, terrarum spatium redactos, recenset. De ipso gentis nomine, qui ex *Viterbiano* illo impostore sapiunt, male sapiunt; quis enim ad *Deucalionis* diluvii usque tempora Alemannos a Tuisconum

Iconum Rege, *Hercule Alemanno*, dictos, referat? cum *Agathias Scholasticus*, *Justiniani* Imperatoris temporibus, Alemannorum nomen, rectiore multo conjectura, a populis, ex omni gente convenientibus, derivavit. Prima certe Alemannorum mentio, cum sileant *Strabo*, *Cæsar*, *Plinius*, *Tacitus*, circa tertii post Christum natum Seculi primordia reperitur, & quidem imperante Romanis *Bassiano Caracalla*. Ita *Spartianus*, ita *Sextus Aurelius Victor*, cum, victos a *Bassiano* ad *Mœnum Alemannos*, commemorant. Multo ergo posterior Germaniæ voce vox Alemanniæ. Populus ipse novus quidam in partes illas advena credendus est, non vero, quod multi volunt, vel vicini in unum coalescentes populi, vel veteres illius regionis incolæ, novo Alemannorum nomine insigniti. Nulla ex his cum *Agathias* testimonio sententia convenit. Exordia profecto Alemanniæ illis temporibus debentur, cum *Maroboduus* vastam illam *Marcomannorum* gentem in *Bojohemum* deduxit; in quæ inter *Rhenum Danubiumque* deserta loca mox, teste *Tacito*, novi incolæ successerunt. Levissimi quique Gallorum, & inopia audaces, dubiæ possessionis solum occuparunt. Accessere ad hos *Rhetiæ*, *Pannoniæ*, *Germaniæque* gentes, ita ut demum in unum coalescens populus, Alemannorum regno dederit originem. Tertio jam Seculo, apud *Gregorium Thuronensem*, *Chrocæ*, Alemannorum Regis, fit mentio, immo plures illi, sub *Juliano Cæsare* commemorati, sunt indicio, non uni capiti gentem illam fuisse subjectam. Refert post hæc *Cæsar*. Auctor de succedendi apud Alemannos in principatu jure; de Regum potestate nimium quantum limitata; de splendore nihilo minus insigni, cum ducentis nonnunquam Comitibus stipatos *Ammianus Marcellinus* doceat. Inde de Alemannia subdivisa in pagos varios differit, e quibus *Lentienfes* potissimum & *Butinobantum* pagus contra *Magontiacum* scriptoribus memorantur. Exortas successu temporis civitates *Anonymus Ravennatensis Lib. IV §. 26* copiose recenset. Quæ de virtute Alemannorum bellica exponuntur, evictum dant, reliquis Germaniæ populis neque exercituum numero, neque militum virtute,

virtute, quidquam cessisse Alemannos. Hospitalitatis elogio imprimis condecorat eos *Salvianus*. Religio certe gentilis fuit. Ita arborum, collium, saltuum, cultus *Agathie* memoratur, quod redolet omnino lucos illos, altaque Germanorum nemora. De *Hercule Alemanno* recentior effinxit ætas; neque *Krutzmann* ille Argentinensium, Alemannici Germanicive idoli speciem magis, quam Romani Græcique, exhibet. Ceterum, suo usos jure, Autor affirmat, & hoc ipsum illud fuisse, contendit, quod postea, Alemannia a Francis subacta, *Theodoricus* colligi, & in scripturam redigi, *Childebertus* emendari, *Chlotarius* perfici, *Dagobertus* denique renovari, curavit. Lingua Alemannis cum Germanis eadem, quod varia, quæ supersunt adhuc, antiquitatis Alemannicæ fragmenta, a *Goldasto*, *Frehero*, aliisque producta, satis testantur. Capite altero de rebus Alemannorum gestis usque ad exstinctam eorundem Rempublicam describitur, & quidem secundum Romanorum Imperatorum series. *Antoninus Caracalla*, Alemannici quoque nomen sibi adscripsit, quod gentem eam prope Moenum amnem, *Aurelio Victore* teste, devicerat. *Alexandro Severo* imperante, Alemanni Romanorum fines adorti sunt, tanta virtutis suæ fama, ut Imperator, licet cum omni apparatu bellico advenisset, missis ad eos oratoribus, pacem mercari constituerit; quam Romani nominis maculam ut elueret obscuris vir initiis, sed armis potens, *Maximinus*, *Alexandrum* obruncari, sibi que deferri imperium, fecit. Quo facto, devastata primum Alemannorum regione, ita vires eorum, ingenti clade, maxima fortitudine perpetrata, attriverat, ut quietem jam bello præferre haberent necessum. Redierunt tamen imperante *Galieno*, Cannas pensaturi, & Galliam, mox ipsam Italiam, ingressi, magnam undique stragem ediderunt. Neque, interempto Rege *Chroco*, ad pacifica redierunt consilia, sed bellum & in *Claudium* derivarunt, qui ad lacum Benacum (haud procul Verona est, ad Athesin,) ingentem eorum multitudinem fudit, atque ita tota hostem Italia ejecit. Sed adfuerunt iterum *Aureliani* temporibus, Marcomannis, qui *Antonini Philosophi* recordabantur adhuc, comitati. Tum vero

grassatos in ipsa Romani imperii viscera, scriptores commemorant; ita quidem, ut ad Placentiam victores, diem fere imperio postremum ostenderent, nisi, revocato ad fortitudinem animo, *Aurelianus*, in extremis Istriæ partibus hostes imperii prælio adortus iterum, multa eorum milia, quod refert *Zosimus*, delevisset. Secutæ dein, *Probo* Imperatore, infinitæ Germanorum Alemannorumque, novas in Gallia sedes quaerentium, clades, quæ, Alemannorum vires cum nimium quantum prosternerent, proferebant Romæ in hostium terris dominationem. Non eadem Alemannorum sub *Caro*, *Carino*, & *Numeriano*, infelicitas. Irrupere tum in Hispaniam non minus, quam, attritis Galliis, in Italiam; neque, nisi a *Maximiano Herculeo* vinci poterant, & opibus ita exhauriri, ut recederent. Triumphare demum continuis de Alemannis victoriis *Constantinus Chlorus* & *Constantinus M.*, qui captos illorum & sociorum Reges, magnificum spectaculum editurus, belluis objecit. Ita & reliqui Cæsares, victores, *Julianus* inprimis, qui in Argenteratensium campis tanta Alemannos clade affecit, ut, quemadmodum Auctor loquitur, *Simoentis olim ad Trojam instar, correpta tot heroum scuta, galeasque & sortia corpora se jam volvere, Rhenus miraretur.* Conjiciunt hic aliqui, *Aufonii* carmine induci, Argenteratum eo tempore ex vico per *Julianum* in oppidi formam fuisse redactum. Data in menses decem Alemannis pax, diuturna certe non fuit. Persico enim bello occupatis Romanis, turbas dederunt iterum, vastarunt Rhætiam *Juthungi*, a *Barbatione* suppressi. Recruduerunt per vices Romanorum cum Alemannis bella, neque tamen unquam sine laurea *Julianum* dimisere. Quod *Valentinianus* bellum inquietæ genti intulit, adeo felix erat, ut ad componendas Illyricæ turbas, pacata republica, securus transiret. Novo Imperatore *Gratiano*, novi quidem motus excitati; sed veterere Romanorum & experta toties fortitudine sopiti. Ad Argenterariam enim concursum cum hostibus, vix duo Alemannorum millia cladem evaserunt. Rediit ad arma, imperante *Theodosio Magno*, Alemannia, in avias ab Imperatore solitudines compulsæ, quod *Pagatus* loquitur. *Honorio* certe supplex adfuit ferox illa,

illa, & orandi nescia, Alemannorum gens, si sua *Claudiano* fides. Tandem sub infelici illo *Valentiniano III*, plerisque gentibus interitum occidentali Romanorum imperio minitantibus, Alemanni, grassantem undique *Attilam* secuti, quicquid Rheno contiguum, deprædabantur, immo magnam Galliarum partem, tanto sanguine partam Romanis, occuparunt, nec quidquam *Majoriani* Romæ imperium extimescentes. Domiti demum a Francorum Regibus Alemanni, *Chlodoveo* inprimis dominante, qui, confertis ad Tolbiacum armis, Alemannos, invocato Christi nomine, ut notum est in vulgus, pæne delevit. Ita tota demum fere Alemannia Francici juris facta. Pars populi sub Ostro-Gothorum in Italia tutelam concessit; pars, & ea quidem maxima, *Chlodoveo* dedita, Francorum Regibus parere cœpit. Et ab eodem tempore Alemannia per Duces, a Francis constitutos, regebatur, unde illud *Alemannie Ducatus* nomen exortum. Sequitur Dissertatio historica, *de Burgundia Cis- & Trans-Jurana. Caput Primum Burgundiam sistit sub suis Regibus*. Incipit Celeb. Autor a Burgundionibus, imperante Romanis *Probo*, versus Rhenum profectis, atque ostendit demum, quo modo, progredientibus in Helvetiam Rhatiamque Alemannis, in horum regiones successerint, fabrilem præcipue artem exercentes; donec, relicta Germania, ruptoque Romanorum limite, Rheno, illam Galliæ partem, concedente forsan Imperatore *Honorio*, cui vis atque potentia gentis formidabilis videbatur, occupaverunt, quæ *Germania prima* vel *superioris* nomine, *Augusti* jam temporibus, appellari cœpit. Facta hæc sub Seculi V primordia. Meminit tum in *Photii Bibliotheca Olympiodorus, Gundicarii*, Burgundionum Regis, quæ *Belgicam primam* armis petiit, ab *Aetio* victus, & ab Hunnis ita cum gente sua prostratus, ut cum universa fere stirpe interiret. Ad hæc tempora *Socrates Scholasticus* Burgundionum ad Christianorum sacra accessionem, demittit; quam *Orosius* altius repetit, cum de Burgundionum conversione, *providentia*, inquit, *Dei omnes Christiani modo facti, catholica fide, nostrisque clericis, quibus obedirent, receptis, blande,*
man-

mansuete, innocenterque, vivunt, non quasi cum subiectis Gallis, sed vere cum fratribus Christianis. Rem ergo quasi nuper gestam narrat scriptor. Inserta hic quædam sunt a Cel. Autore de corporis habitu Burgundionum, eorumque reliqua indole, ubi illud inprimis *Sidonii Apollinaris* attentionem meretur, cum, gigantea forma, adhæc esculentos, fuisse, comamque acido infudisse buryro, tradidit. Hinc de promotis Burgundionum terris in interiores usque Galliarum regiones, Romanis nil quidquam impediens, differitur. Imo ex *Jornande*, fœderatam Romanis Burgundiam, conjicias. Secuti Reges *Gundiucus & Hilpericus*, fratres, cum *Hadriano Valesio*, appellantur. Hi illi sunt, qui adversus *Attilam Actio* tulerant auxilium; qui Visigothorum Regi *Theodorico*, adversus Suevos bellaturo, adfuerunt. Quatuor demum *Gundiuci* filii, *Gundobadus*, *Godegiselus*, *Chilpericus*, *Godemarus*, successerunt. *Chilperici* sibi, *Crotechildem*, *Chlodoveus* matrimonio sibi junxerat, & id quidem aliquo, ut nonnulli scriptores tradunt, dolo usus. Oppressi paulo post *Chilpericus & Godemarus*, duobus fratribus reliquerunt imperium. Sed horum dissidiis, fraude inprimis *Godegiseli*, eo tandem regni Burgundiarum res devenerant, ut *Chlodoveus*, Burgundicis spoliis onustus, facto tributario *Gundobado*, reverteret in Franciam. *Gundobadus*, receptis viribus, & tertium fratrem *Godegiselum* Viennæ interimit, solus ut regno potiretur. Tulit ergo Burgundionibus suis leges, quæ sub *legum Gundobadensum* adhuc notæ sunt nomine, mites, quamquam a ferocissimo Principe. Mortuo *Sigismundus* successit, neque, ut ante factum, in fratres duos regnum divisum. Patriciam illo tempore dignitatem *Anastasius*, Græcorum Imperator, novo huic Burgundionum Regi concessit. Bellum, quod *Chlodovæi* tres filii *Sigismundo* intulerunt, atrocissimum omnino, male Burgundionibus cessit, variis latebris perquisitus Rex, tandem *Chlodomerio* victus traditus. Occupavit regnum *Godomarus* frater, victus iterum a Francis, & magna regni pars in horum potestatem transmissa. Interiit tamen eo prælio *Chlodomerius*, neque nisi decennio post, fugato prorsus *Godomaro*, regnum ejus inter Francorum Reges divisum fuit. Anno æræ Christianæ

Christianæ 534 memorabilis hæc everſi Burgundiæ regni pe-
 riodus accidiffe legitur. *Caput ſecundum* ergo jam *de Burgundia*
 diſſerit *ſub Meroveadis*. Diu omnino diſtincta a Francico regno
 Burgundia tenebatur. Ita *Chlotarius, Guntchramnus, Childe-*
bertus, Theodericus, Sigebertus, Chlotarius II, Dagobertus,
Chlodoveus, & reliqui Meroveadum, ſeparatum a Francico im-
 perio imperium Burgundiacum occuparunt. De quolibet
 iſtorum Autor Cel. quæ vel proſpere, vel infeliciter perpetrarunt,
 addita nunquam non cœvorum fide, expoſuit. Solus tan-
 dem *Lipinus* omnium Francorum, totiusque Burgundiæ, po-
 titus eſt. Jamque adeo *Capite tertio* nova *Burgundia periodus,*
ſub Carolidis, exoritur. Horum geſta per Regum gentis
 iſtius ſeriem accurate Autor deducta exhibet, ita, ut & diſſidio-
 rum, ſucceſſionis cauſa excitatorum, copioſam mentionem inji-
 ciat, uſque dum ad *Boſnem* delabatur, ex Viennensis provin-
 ciæ præſide Regem, ſed uſurpatorem. Hæc illa ſunt regni
 provinciæ, quod, dum Burgundicum dicitur, Cis-Juranum in-
 telligendum eſt, primordia. Sequitur Trans-Juranæ Burgun-
 diæ, quæ novennio poſt æque Regem accepit, *Rudolphum, Hu-*
gonis, Abbatis, nepotem, facies, breviter quidem, ſed eleganter &
 accurate, conſignata. *De Regno Navarre Diatriba,* originem
 ejus, *fata,* & univerſam ſucceſſionem, complectitur. *Capite pri-*
mo uſque ad *Navarre ſub Joanne Albretano diſtractionem*
 hiftoriæ ſilum perducitur. Hic ergo de vocis primum, quam
 ab Hiſpanico *Nava,* plana campi area, ſilvis ac dumetis
 cincta, derivat, origine; de ſitu poſtea, & antiquiſſimis fa-
 tis; inde de regni origine, afferri multa videas: cœvum enim
 Legionis regno, quod Auſturum primo, dein a ſede regia, *Ove-*
to, Ovetanum, dictum fuit, plerique faciunt ſcriptores. Pri-
 mus *Enneco* Ariſta Rex ponitur, & epochæ hujus originis con-
 troverſia diſcutitur. Sequitur Regum ſeries, ubi ſtirpes mu-
 tatae ſæpius reperiuntur, uſque dum ad *Franciſcum Phabum* ve-
 gnum devolveretur, qui id ſorori ſuæ, *Catharine;* immatura
 morte abreptus, reliquit. Hæc *Joanni, Alani* filio, illuſtriſſi-
 ma per Aquitaniam Albretanorum gente, data in matrimonium,
 marito in dotem Navarræ Regnum attulit. Tum vero nova

ab Hispanis, florentissimo regno, periodus inducta, & quorū suis adhuc parebat Regibus, Hispanico sceptro subjectum fuit. *Caput secundum* hanc regni Navarræ destructionem sub Albretano Joanne, eorumque temporum statum, demonstrat. Multo hæc ampliora sunt, quam ut exhiberi hic possint. Res Albretani, Anglorum Hispanorumque invasione facta, eo perductæ sunt, ut salutem in fuga quæreret, quem conjux memorandis verbis protēcuta: *Tu vero regnum relinquis, quod nunquam recuperabis, solumque tibi in posterum remanebit Joannis Albretani nomen.* Tentaverat omnino Ludovicus, eripere Navarram Hispanis, iustoque possessori reddere, sed frustra omnia. Albani Ducis virtute servata Hispania regio. Refutat *Capite tertio* Cel. Autor distractionis istius pretextum, atque sex illa argumenta, quibus juris in Navarram titulos Ferdinandus traebatur, ita diluit, ut evidenter adversus Antonium Nebriffensem, qui duos de bello Navarræ Libros conscripsit, demonstrat, summa injuria usum Principem, cum terras Albretani occuparet. Negatus transitus primum argumentum est, iusta alioquin belli causâ, si innoxius & securitati, eum permittentis, consulatur. Alterum, quod vetera in Navarræ regnum Hispaniæ jura vindicavit Ferdinandus, concidit, posteaquam Antonii & Mariæ de donatione fabulas Cel. Autor exposuit. Reliqua non addimus, nisi forte illud, quod a Pontificum, adversus Joannem Schiltanicum, legibus petatum est. Ridentur hæc merito nostris temporibus, posteaquam ad reprimendos istiusmodi Paparum conatus, Galliarum Rex Carolus nonus, nec non magnus ille Henricus, dederunt exemplum. Neque certe Diploma donationis papalis, Ferdinando factæ, produci potest, cum vel de solo tempore concessionis, quotquot sunt, aliter sentiant. *Quarto Capite facta & successio regni Navarræ, ad nostra usque tempora, continentur.* Mortuo Ferdinando, Carolus successerat, quæ ipsa catastrophe opportunam nactus occasionem Albretanus, recuperandæ Navarræ consilium cepit, sed sine successu. Paulo post mortuus, filio Henrico II nihil præter insigne in avitum imperium jus transtulit. Legationes sæpius repetitæ, improprie Noviodunensis ille conventus, tantum abest, ut profuerit quid.

quidquam, ut perpetuam Navarrae cum Hispania conjunctionem accelerarint. Bellum inde exortum; occupata Navarra omnis, & salva omnino Henrico victori mantura videbatur, nisi novi regni occupandi ardore flagrans Albretanus, Hispaniam ipsam invasisset. Recuperata ab Hispano Navarra, eadem, qua prius amissa erat, velocitate. Adeo illud verum est Taciti: *Festinationem multos etiam bonos pessum dedisse, qui, speretis, quae tarda cum securitate, praematura vel cum exitio properant.* Neque ullis consiliis & machinationibus eo perduci res poterat, ut sive a *Carolo*, sive a *Philippo*, filio, regnum illud redderetur Albretanis. Erat Henrico ex *Margartha* Vallesia, *Francoisci I*, Regis, sorore, filia, *Joanna* Albretana, haeres regni unica; haec *Antonio*, ex illustri Borboniorum familia oriundo, data in matrimonium, in quem Navarrae Regis titulum & jura *Henricus*, vivis excedens, transmisit. Sed dolis ille elusus, consecutus est nihil. Obtinuit tandem filius *Antonii*, *Henricus*, cum Galliae Regis titulis, quos, extincta Valesiorum familia, adeptus est, & Navarrae recuperandae occasionem. Recuperavit regnum, & pace cum Hispano Vervini sancita, cum Gallia aeterno foedere conjunxit; ita, ut per *Ludovicum* dein *XIII* & *XIV* ad nostra usque tempora, *Ludovico XV* pacata regni Navarrae partis possessio relinqueretur. Addita est Commentationi Tabula genealogica, totam Navarrae regni historiam & successionem illustrans. Sequitur *Commentatio historica, de sacris Galliae Regum in Orientem expeditionibus.* Capite primo, post aliquam rerum Orientis, septimo post Christum natum Seculo, recensionem, bellorum occasionem, inde a *Petri Eremita* somnio, & *Pauli II*, Pontificis Romani, ad Principes hortatione, deducit *Cel. Autor*; atque demum ad *Philippi I* in Orientem profectioem, A. 1096 institutam, delabitur. Omnis hic expeditio, copiose descripta, conditumque A. 1099 novum regnum Hierosolymitanum, Rege *Godofredo Bullione* pronuntiato, legi possunt, quae non repetimus. Capite secundo *Ludovici VII*, dicti *Junioris*, in Orientem iteratum A. 1147 iter exponitur, acceptae & illatae barbaris clades, Damasci obsidio infelix, & quae sunt prospera

vel adversa, illius expeditionis fata, Saladini tandem A. 1187 de *Guidone*, Rege Hierosolymitano, reportata victoria, referuntur. Exstinctum eo tempore, quod duodenonaginta annos duraverat, Christianorum in Palaestina regnum, barbarorum potentia magnum adjecit incrementum. *Caput tertium Philippi Augusti* tertiam in terram sanctam expeditionem illustrat. Quae fuerint itineris, tempestatum, expugnationis in Syria Ptolemaidis, rationes, quae *Philippi* Regis cum *Richardo* Anglico dissidia, differitur. Videbantur ista omina infelicis tam molesti itineris successus. Reversus in patriam *Philippus*, tanto conatu nihil egit, neque, licet altera, duce *Balduino*, Flandrarum Comite, susciperetur profectio, quidquam effectum, nisi quod, Byzantio oppugnato, rebus infectis, rediretur. Sequuntur *Capite quarto Ludovici IX*, cognomento *Sancti*, inde ab A. 1248 in terram sanctam destinationes, felices progressus, subsecuta pestis, *Ludovicus* captus, Damiatra ab ejus uxore expugnata, maritus liberatus, reditus tandem ob domesticas turbas, reliqua; quae ita exponuntur, ut optimorum simul scriptorum testimoniis confirmantur. Nova paulo post expeditio ab Europaeis decreta, expugnata Carthago, Tunetum dein petita, regii interitus causa existit. Re igitur iterum infecta, redeunt ad sua Galli, neque de attentanda iterum Palaestina unquam cogitarunt. Exprimit hic loci suam de Passagiis Cel. Autor sententiam, ita quidem, ut nec simpliciter approbet, nec tamen omnino reprehendat. Merentur legi, quae hanc in rem proferuntur, imprimis cum & de gentilitiarum tesserarum origine, ad sacras has expeditiones a doctissimis viris relata, addita nonnulla reperiamus. Excipiunt Dissertationem hanc *illustres ex Francica historia controversiae*. Circa *Pharamundum* imprimis versantur, quae hic Autor tradidit. Nempe disputatur, an primus in Gallia stabilem posuerit pedem *Pharamundus*. Negat id, ob coevorum silentium, Autor, licet, Callicas urbes aliquot occupavisse eum, largiatur. Refelluntur Autores contrarii; Gesta Francorum, quod tribus Saeculis posteriora narrant, ignorantiaque auctoris palam est, eluduntur; *Prosper Tiro* interpolatus, aliquot exemplis, docetur; immo,


non

non nisi *Clodionem* primum stabilem, in Gallia moram duxisse, scriptorum gravissimorum testimonio evincitur. Annexa quædam de Carolidarum stemmate, a Merovingis perperam deducto, reperimus. Tota illa de *Blibilde*, *Clotharii I* filia, traditio, non dubia modo & incerta, sed supposititia & falsa, demonstratur. Quæ de *Brunichilde*, *Siegeberti*, Austrasiorum Regis, uxore, afferuntur, eo spectant, ut ostendatur, pessime agere, qui pessimæ mulieris defendant innocentiam. Inter *illustres ex Chlodovæi Magni historia controversias* occurrit primum pater *Childericus de throno dejectus*, & amores cum *Basina*, Regina Thuringiæ, falsa. De loco pugne cum *Alemannis* ita sentit *Cel. Autor*, ut neque *Argentoratum* credat, neque, quod apud *Gregorium Turonensem* dicitur, *Tolbiacum*, sed *Tulliacum*, cujus expressam *Alcuinus* in vita *S. Vedasti* mentionem fecit. De *ampulla Rhemensi* quid sentiat, facile, cum silentium *Gregorii Turonensis*, *Nicetii Trevirensis*, *Azici Viennensis*, & ipsius denique *S. Remigii*, (cujus duplex producit testamentum,) recentet, apparet. *Hincmarus* demum *Rhemensis* nono Seculo miraculum protulit. *Auriflammam*, vexillum aureis flammis insignitum, de cælo missum *Chlodovæo*, nonnulli tradiderunt; sed silent præci annales. Par *scuti liliati*, ab angelo cælitus exhibiti, ratio est, unde aliqui insignium Gallicorum derivant originem. Notatus *Massonius*, qui in *Annalibus*, lilia Franciæ Regibus a regno statim condito placuisse, docuit. Quod ad clamorem bellicum, *Montjoye saint Denys*, a Galliæ Regibus in præliis olim utarpatum, attinet, nihil scriptores, qui *Ludovici Crassi* regnum præcesserunt, de illo usquam commemorant, utque adeo & hæc ad posteriora tempora referenda sint. *Titulus Regis Christianissimi*, & *Primogeniti Ecclesiæ*, tantum abest, ut a *Chlodovæi* temporibus deduci debeat, quasi omnibus Regibus jam tum perpetuus, ut multo recentior videatur. Neque *aurea illa corona*, ab *Hormisda* missa *Chlodovæo*, aliquo fundamento nititur. Quæ sunt *Dissertationis* reliqua, partim controversia quædam *Argentina* continent, partim de vita, moribus, ingenio, morte *Chlodovæi*, varia. *Illustres ex Britannica historia controversiæ primo Capite* circa *Portum Iccium* versantur, quem *Autor* ad


locum Wiclan situm, in lictore Gallico quærendum contendit. Demonstratur *Capite altero*, *Constantinum M. Britannum non fuisse*, contra quam *Nicephorus Callistus*, & cum eo plerique, comminiscuntur. De *Scoto-Hibernia* agit *tertium Caput*, ubi simul de *Scoto-Hibernis*, qui hodie *Hiberni* dicuntur, de eorum antiquitate, de *Milesiorum* in eam regionem adventu, de *Jacobs-Stone*, fatali regno illi lapide vocali, deque *Hengestone*, in campis *Salisburiensibus*, accurate disseritur. *Caput quartum* exhibet *Guilielmi Conquestoris in Angliam jura*; quæ non hæreditaria illi, sed ex promisso *Eduardi*, & ipsius *Haraldi*, qui promisso non stetit, deducenda veniant. Jus adoptivum vel quasi, mortuo hærede legitimo, *Conquestori* contigisse, Auctor pronuntiat; simul vero & asserit, non juste factum, quod in eum *Eduardus* regnum transtulerit. Disputatur de *ultimo Dissertationis Capite*, cum aliquod *Eduardo III* in *Galliam jus fuerit*. Notum est, accidisse hanc de regno controversiam, cum *Henricus Valesius* paterno jure *Philippo Pulchro* daretur successor, *Eduardus* autem, qui jus propius omnino, sed per matrem, urgebat, *Salica lege* excluderetur. Diversæ hinc *Salicæ legis* asseruntur explicationes; ostenditur rationibus & exemplis, male contendisse *Eduardum*, foeminas lege *Salica*, non ex foemina natos, excludi; occurritur etiam *Leibnitiano* dubio, addito in fine cognationis *Philippi Audacis* schemate concinno. Sequuntur *illustres ex Hispanica historia controversia*; ubi fabulosa primordia, *Hispani* sub *Carthaginensibus Celtiberi*, multa adhuc de *Hispanorum* genio, & moribus, afferuntur, tangitur illa de *Imperatoris titulo* controversia, de *Gallorum* in *Castiliam*, *Hispanorum* in occupatam *Americam*, juribus, instituitur disceptatio. Inde universalis *Monarchiæ*, *Catholicæ Majestatis* axiomatis, *Hispanorum præ Gallis prærogativæ*, juris in *Mediolanum* & *Neapolim*, fit mentio. Tandem *magnifica illa Arrogonensium jura* exponuntur, illustratur mors *Caroli* tragica, & mota illa de *Lusitanica successione* accuratè examinatur. Finem *Dissertationi Emanuelis*, *Regis Portugalliæ*, schema genealogicum imponit. Quæ *Dubiorum historicorum* nomine inscripta est *Dissertatio*, ad imperii *Assyriaci*

riaci vetustatem, *Semiramidem & Sardanapalum, Arbacem, Xenophontis & Herodoti* auctoritatem, dominationem Magorum, *Aeneæ* in Italiam adventum, trecentos *Fabios, Archimedis* tandem specula caustica, spectat, quibus vir ille insignis Romanorum naves, Syracusam obsidentes, exussisse dicitur. Rem inter fabulas Cel. Autor retulit. Proximum inde locum *Excerpta ex Dissertatione, sub Praesidio Iseliano habita*, occupant. Tergestina est lapis, cum inscriptione: IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUGUSTO. PONTIF. MAXIM. RIBOTES. IXXXII. C. XXIII. P. P. SACRV. quem illustrare Autor aggressus est. Verba singula inscriptionis, quam *Irenæus della Croce* in Tergestina Historia protulit, exponuntur. Disceptatur imprimis de voce *Ribotes*; quam corruptam, corruptit magis adhuc *Croceus*, cum, sacerdotium aliquod minimi ordinis ea denotari, credidit, a Græco *ῥιβός* derivandum. Demonstrat Cel. Autor, nil aliud voce illa, temporum malignitate truncata, indicari, quam tribunitiam *Augusti* potestatem, quod additi imprimis anni confirmant, de quibus passim veteris historiae scriptores. Accedunt quædam de Augustis, veteris Reipublice dignitates ambientibus, quæ & dignitatum, & Imperatorum, exemplis confirmantur. *Dissertatio historica, qua sistitur Chronologia Romanorum Syriae Praefectorum, Pontificum Judæorum, atque Judææ Proconsulum*, uno quasi conspectu exhibet, quæ hanc in rem *Tacitus, Dio, Appianus*, reliquique veteris historiae scriptores, memoriam passim prodiderunt. Incipit Cel. Autor ab A. U. C. 693, ante J. C. 63, quo *Cn. Pompeius* Syriam & Judæam Romanorum imperio addidit, atque ita, in recensione virorum illorum, quorum omnium facta illustria, cum Syriae & Judææ satis, referuntur, pergit ad annum usque U. C. 825, Æræ Chr. 72, quo, *Vespasiani* Imperatoris auspiciis, terminatum bellum Judaicum, pacata Syria, recreata igitur undique Roma, dici potest. Hic & *Josephus* historiae suæ finem imposuit. Sequuntur aliqua in librum diurnum observationes, quibus exempla ejus MSta designantur. Inde variantes lectiones *Garneriana & Holsteniana*, adjectiones editioni Romanæ factæ, e. g. ad diversos Episcopos Epistola, petitio

dedica-



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1742

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 K 4⁰

dedicationis Basilicæ, & alia, locum invenerunt. Appendicis loco annexa adhuc quædam, sunt, ut: *de Vicariatu Lombardiæ formula*, quam ex Codice Epistolarum *Petri de Vineis*, qui in Vaticana Bibliotheca asservatur, eruit Cel. Autor. Observeat vero, in reliquis Codicibus, quorum & Romæ & Vindobonæ plures existant, frustra se fragmentum istud quævisisse. Sequitur *Ferri consecratio, & benedictio aque ferventis, ad examinandum judicium*, descripta ex MSto Seculi IX Codice, in Bibliotheca insignis Abbatix *Divi Emmerani*, quæ Ratisbonæ est, asservato. Reliquas voluminis paginas *Formula pacis inter Fridericum Barbarossam & Alexandrum III*, desumpta ex Codice MSto Canonico Regularium Abbatix *Clauastro-Neoburgensis* in Austria inferiore; *Innocentii Bulla dispensationis inter Carolum VIII, Regem Franciæ, & Annam, Ducissam Britannicæ, data A. 1491*, nec non *Recensio actorum Concilii Basileensis*, quæ Lutetiæ partim, partim Basileæ, reperiuntur, occupant. Ultimum omnium, *Programma est, quo typographia, A. 1440 inventa, festum seculare indictum, Argentorati, 1740 Idib. Octobris*. Brevis historix typographicæ delineatio est, ita concinnata, ut, remoto *Costeri* humanæ salvationis speculo, *Guttenbergio* demum, cui & *Gensfleischii* nomen erat, artis inventæ gloria adscribatur. Varia hic de *Guttenbergio*, ex libro Ecclesiæ Thomanæ, & curiæ Argentinensis scriniis, incognita adhuc, saltem non credita, deprompta legas; eoque revocata omnia, ut restituantur civitati natali suæ Mogunticæ *Guttenbergius*, laus vero inventæ artis Argentinæ reipublicæ vindicetur. Index totius Operis ita comparatus est, ut facile quis omnem totius voluminis *ὀμοιοποιῶν*, præcipuaque momenta, possit exquirere, atque ita vel inde de argumentorum selectu judicare. Atque hic ille est *Schæpfstianarum* Dissertationum conspectus, quem eo tibi liberalius exhibuimus, Lector benevole, quo majorem te inde voluptatem percepturum, non speramus modo, sed etiam confidimus. Gratulamur Cel. Autori tam insignia in Rempublicam literariam merita, neque dubitamus, quin superadditurus sit aliquando illustre illud Alsatice historix corpus, in quo elaborando, multo jam tempore, pertinaci industria versari eum, non uno

uno documento cognovimus. Quod ut fieri quantocumque possit, valetudinem ei prosperam, & exoptata omnia, ex animo precamur.

Johann David Köhler, P. P. im Jahr 1730 wöchentlich
herausgegebener Historischer Münzbelustigung
anderer Theil, 2c.

id est,

JOANNIS DAVIDIS KOELERI A. MDCCXXX
singulis hebdomadibus editarum historicarum ex Numismatibus Amœnitatum Pars secunda, in qua varii memorabiles ac rari Joachimici, Ducati, ac Numi majores, mnemonici, ac alii singulares, aurei argenteique Numi variæ ætatis novem & quinquaginta, accurate in æs incisi, descripti, & ex Historia fuse satis illustrati, apparent, una cum Præfatione de delineatione collectionis Thalerorum plenioris.

Noribergæ, typis viduæ Christophori Weigelii, senioris
Chalcographi, 1731, 4.

Alph. 2 plag. 14.

De Thaleris debite pro Numophylacio colligendis in Præfatione doctissime a Cel. Autore actum est. Per *Thalcrum* intelligimus numum argenteum, qui unciam seu duos lothones æquat. Primos Thaleros ferri jussit *Sigismundus*, Archidux Austriae, cognomento Tirolensis, Seculo XV exeunte. Medio Seculo XVI mos cudendi Thaleros cœpit admodum vigere. Thalerus initio pretium æquabat floreni aurei Rhenani, ac ideo vocabatur *Goldguldengrosche*, item ob crassitiem & pondus *dicker Silbergrösche*. Domini *de Schlick* ex ditissimis argentifodinis in valle Joachimi (*Joachimsthal*) copiam Thalerorum magnam curarunt ferundam. Ab hoc loco vocabantur primum *Joachimsthaler*, ac deinde per compendium *Thaler*, quasi *Vallenses*. Abiit Thalerus imperialis paulo post in formam & amissim reliquorum pecuniarum generum. Initio Thaleri octo æquabant marcam 15 lothorum.

Bbb b

thonum.

thonum. A. 1536 detrahebantur eis octo argenti purissimâ grana, ut æquarent Thaleri octo lothones 14 ac octo grana. A. 1546 denuo demebantur duo grana. Successu temporis mens lucri cupida pretium ac molem Thaleri ita jactavit, ut malo illi vix finito bello tricennali potuerit succurri. Dividi possunt Thaleri in domesticos & extraneos, & illi rursus in Imperatorios, Electorales, Principales, Comitumque & Baronum proprios, ac urbium. Divisiones reliquæ, hinc formandæ, per se se parent. Thaleri Abbatum dantur, sed non omnium. Auctor centet, percussos esse eos ab Abbatibus Corbejensi, Elwangenensi, Fuldensi, S. Luderi & Murbacensi, Campidunensi ac Stableni. Ab Abbatissis Essendiensi, Thornensi, ac Quedlinburgensi, excusos esse Thaleros, adjungit. Ganerbio- rum castelli Friedbergæ extant quoque Thaleri. Urbium Thaleri dividuntur in Thaleros urbium imperialium, numi cuden- di privilegio donatarum, & Helveticarum. Exotici Thaleri re- ferri possunt ad classes 14, Danicos, Anglicos, Gallicos, Hol- landicos, Italicos, Moscoviticos, Polonicos, Portugalicos, Borussicos, Scoticos, Suecicos, Hispanicos, Turcicos, & Ungaricos. Ut unicum cujusque speciei seu classis Thalerum possideas, numerus excurrit jam ad 250. Respiciendum ve- ro est in Thaleris colligendis ad ipsorum raritatem, pretium internum, & pulchritudinem. Notas raritatis suppeditat Au- tor. De pretio interno judicandum est ex libris numismaticis, *Münzbüchern*, quales ediderunt *Joachimus Laur* Hamburgi A. 1568, 4, *Wolff Stürmer* Lipsiæ A. 1572 & 1583, 4, *Adamus Berg* A. 1597 Monachii, fol. & *Jürge* (Georgius) *Wolders* Hamburgi A. 1631, 4. Thaleros, *Sigismundi*, Archiducis, Tha- leris antiquitate superiores, nemo adhuc produxit. *Maxi- miliani I* Imperatoris Thaleri rediguntur in octo species, de re- liquo rari, quos Cel. Auctor recentet. A *Carolo V* nullus duo- rum lothonum Thalerus est obvius. De Thaleris *Ferdinandi I* adjicit nonnulla Auctor. Inter Electores Moguntinos *Daniel Brendel de Homburg*, moderatus rem publicam & sacram ab A. 1555 usque ad A. 1582, fuit primus, qui Thaleros jussit feriri. De Moguntinis, Trevirensibus, Colonienfibus, & Pa- latinis

Latinis Rhenanis Electoralibus, idem differit ordine chronologico, ac ea, quæ addi poterant, rejicit ad Præfationem, *Parti tertiæ præfendam*. Quibus præmissis, nos ad Opus ipsum enarrandum accingimus. Non permittit spatii angustia, ut simus longi. Dabimus seriem Numorum, quos Autor exhibuit æri incisos, ac historice descriptos, nonnullos etiam, qui nobis visi fuerint rariores, in Tabula, huic *Mensæ* adjecta, repetemus, & cum Lectore nostro communicabimus. Ceterum, qui rem numismaticam cordi habent, libros Cel. Autoris hosce non possunt non sibi comparare. Numi, quos ipse percensuit, sunt sequentes: 1) *Ferdinandi*, primi Regis Romanorum, ad a. 1532; 2) Noribergensis Reipublicæ, ad a. 1580; 3) Ducis *Wilhelmi Ernesti* Saxo-Vinariensis, ad a. 1717; 4) Electoris Palatini, *Caroli Ludovici*, in *Ludovicam*, Palatinam Raugraviam, Baronissam *a Degenfeld*, ad a. 1677; 5) Reipublice Genevensis Thalerus, ad a. 1630. Additur catalogus rariorum Thalerorum, integrorum, dimidiorum, & quadripartitorum. 6) Numus duorum Smalcaldicorum fœderatorum, *Joannis Friderici & Philippi*, Landgravii, ad a. 1535; 7) Numus in Marechalum Gallie, *Joannem Jacobum*, ex gente Milanensi *Trivultiorum*, ob victoriam, bis de Duce *Ludovico Sfortia* reportatam, ad a. 1500; 8) Numi duo singulares Regis *Ferdinandi I*, ad a. 1558; 9) Numus Vicariatus Palatini *Joannis II*, Comititis Palatini ad Rhenum Bipontini, ad a. 1612; 10) primus Thalerus Vicariatus Electoris Saxonie *Joannis Georgii I*, ad a. 1612; 11) Thalerus *Rudolphi II*, Imperatoris, ac Archiducum Austriae, ad a. 1612; 12) Thalerus Electoralis Palatini Vicariatus, ad a. 1657; 13) Thalerus Electoralis Bavarici Vicariatus, ad a. 1657; 14) Thalerus Saxonici Vicariatus Electoralis, ad a. 1657; 15) Thalerus postremi Comititis principalis Hennebergie, *Georgii Ernesti*, cum perigraphæ in postica: *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum*, ad a. 1564; 16) Thalerus *Joachimi II*, Electoris Brandenburgici, ad a. 1543; 17) Thalerus *Joannis Georgii*, El. Brandenb. ad a. 1576; 18) Thalerus *Joachimi Friderici*, El. Brandenb. ad a. 1605; 19) Ducatus rarus *Cononis de Falckenstein*, Archiepiscopi & Electoris Trevirensis, ad a. 1362; 20) Thalerus *Caroli Caspari de Leyen*,

TAB. V
Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3:

- Leyen*, Archiep. & Elect. Trevirensis, geminus, ex argentifodina Villmariensi, ad a. 1657; 21) Thalerus, argentifodinae præmium, *Friderici Utrici*, Ducis Brunsvico Luneburg. ad a. 1634; 22) Thalerus ejusdem generis *Josipbi Wilhelmi Ernesti*, Principis Furstenbergici, ad a. 1729; 23) Thalerus Ducis Saxo-Vinariensis, *Friderici Wilhelmi*, ac Administratoris Electoratus Saxoniae, ad a. 1594; 24) Numus majoris moduli, jussu *Friderici Utrici*, Ducis Brunsv. Luneb. a. 1617 cusus; 25) Numus major sepulchralis in honorem *Christiani*, postulati Episcopi Halberstadiensis, Ducis Brunsvico-Luneb. ad a. 1626; 26) Numus major Pontificis Romani, *Pauli II*, ad a. 1464; 27) Fig. 4. Grossus rarus Regis *Ludovici Magni* Hungariae ad a. 1351; 28) Fig. 5. Numus rarissimus Episcopi Tergestis, *Conradi*, ad a. 1232; 29) Thalerus infelicis Marchionis Brandeburgici, Administratoris Archiepiscopatus Magdeburgici & Episcopatus Halberstadiensis postulati, ad a. 1623; 30) duo antiqui Grossi Bohemici. In primi antica sinitur corona regalis, ac duobus orbibus inscripta perigraphæ: KAROLUS PRIMUS † DEI GRATIA. REX. BOEMIE. In posticæ medio spectatur leo coronatus Bohemicus, addita perigraphæ: GROSSI PRAGENSES. In secundi antica apparet eandem corona, ac circa eam perigraphæ gemina: WLADISLAUS ET LUDOVICUS REGES BOEMIE. In postica exhibetur imago S. *Wenceslai*, Bohemorum patroni tutelaris, dextra vexillum tenentis. Additur ab Autore egrægia de Grossis commentatio. 31) Pulcher & rarus Thalerus Geldricus Regis Hisp. *Philippi II*; 32) Numus in pacem Americensem, *Carolus V* inter & *Franciscum I* a. 1530 lanciatam, percussus; 33) Numus Electoris *Friderici Sapientis* Saxoniae pretiosissimus, in cujus collari leguntur verba: HIS MARIA; 34) Numus majoris moduli, ad a. 1527 & Poloniae Regem *Sigismundum I* referendus. Capilli ad morem mulierum sunt convoluti. 35) Thalerus rarus mnemonicus Argentorati, in memoriam tæderis, a. 1588 ab hac urbe cum Tiguro & Berna facti; 36) moduli majoris Numus in pium & beatum fratrem Unterwaldensem *Nicolaum*, percussus, qui a. 1417 natus fuerat, defunctus vero a. 1488; 37) Numus *Caroli II*, Ducis




Fig. IV.




Fig. I.




Fig. V.




Fig. II.




Fig. VI.




Fig. III.



Fig. VII.

MENSIS SEPTEMBRIS A. MDCCXLII. P. II. 565

Ducis Monasterioberg. & Oelf. ad a. 1617; 38) Bracteatus aureus urbis Bernæ. Principum vel Ordinum Imperii nullus ante annum 1356 licentia gaudebat percutiendi ex auro numos. Quare bracteatus hic, qui ursum præfert, cui insidet aquila, ante Seculum XIV non fuit factus. 39) Numisma sepulchrale, memoriz *Sigismundi Sigfridi*, Comitis primi Promnicensis, dicatum, ad a. 1654; 40) Numus recentior, in *Attilam*, Hunnorum Regem, & Aquilejæ expugnationem, effictus. *Attila* Viram, a *Juvenco* concinnatam, quam *Sidonius Apollinaris* laudat *Lib. IX Ep. 14*, Autor ostendit esse longe rarissimam, sua hic mutuatus ex *J. A. Fabricii Bibliotheca Latina*. 41) Numisma jubilæum, *Placido*, Abbatii Cœnobii Mury, & primo Principi Imperii, proprium, ad a. 1720; 42) Schillingus Anglicus Regis *Caroli I* ad a. 1642, in cujus postica ex *Num. X, 35*, & *Pf. LXI III, 2*, legitur perigraphæ: *Exsurgat Deus, dissipentur inimici*. In medio infra tria lilia adduntur hæc: *Religionis Protestantium, legis Anglicæ, libertatis, Parliamenti*. Verba ita sunt abbreviata: RELIG. PROT. LEGI. ANGL. LIBER. PAR. Quare *Schlegelius* ea ita explevit: *Religioni Protestantium legibus Angliæ libertas paratur*, quod sane est obsecrum. 43) Numus, a *J. Schmelzingio* in patrem Quietistarum, ad perpetuos carceres damnatum, *Michaellem Molinum*, factus; 44) Numus major Regis Suecorum, *Friderici*, ac Reginae, *Ulricæ Eleonore*, præstantissimus sane, tantique personis dignus; 45) Numus sepulchralis, a. 1661 memoriz *Georgii II*, Landgraviæ Hassô-Darmstadii, factus; 46) Numus majoris moduli, a. 1539 in *Isabellam*, *Caroli V* uxorem, percussus, in cujus postica apparent tres Gratiæ; 47) Thalerus, Salisburgensi Jubilæo a. 1682 dicatus, in cujus antica exhibentur quinque Sancti, dextris palmam gestantes. In postica additur Archiepiscopatum undecimo jam Seculo florere. 48) Thalerus rarior Magistri Ordinis *S. Mariæ Teutonice*, *Johannis Eustachii*, ad a. 1625; 49) Thalerus emblematicus *Wolfgangi Julii*, Comitis Hohenloensis ac Gleichenensis, ad a. 1607; 50) Numus mnemonicus, a. 1669 ex auro & argento factus, coronationi Regis Poloniarum *Mi-*

TAB. V
Fig. 7.

chaelis index; 51) Numisma majus, memoriz *Jacobi Wilhelmi de Imhoff* sacratum; 52) Thalerus *Joannis Philippi* Cardinalis *de Lamberg*, & Episcopi *Passaviensis*, ad a. 1712. In Supplementis adjectis repræsentantur primo Numisma Judaicum, in *Albertum*, secundum Imperatorem, & ejus uxorem, *Elisabetham*, excogitatum; deinde numus mnemonicus in Electorem Saxoniz, *Fridericum Sapientem*, cum literis IHS in pectore, ad a. 1532. Adduntur de bracteatis duæ accessiones, quibus docetur, hos non existisse mnemonicos, nec soli Germaniz proprios. Subjunguntur tandem emendationes nonnullæ, & annotationes uberiores. Index, Operis clausula, addit coronidem, numerumque apparatus pulcherrimorum claudit. De ceteris, quæ secuta sunt hoc secundum, *Amænitatum Numismaticarum Voluminibus* proxime dicemus.

Die Tulpe zum Ruhm ihres Schöpfers, &c.

hoc est,

TULIPA, IN CONDITORIS SUI GLORIAM. Liberaliorumque animorum oblectamentum, descripta ab Autore Meditationum, quæ ad regnum florum pertinent.

Dresdæ & Lipsiæ, apud Georg. Conr. Waltherum, 1741, 8. Plag. 12.

Multum omnino debemus Illustri Autori, quod fidem, quam non ita pridem in elegantissima florum expositione publice obstrinxit, tam prompte nunc liberet, atque, singulares etiam flores non minus pulchre & ornate, quam de iis universim egit, laudaturus, Tulipæ, propter ejus præstantiam, primas decernat, ab ejusque elogio exordiat. Quod etiam per eas tractationis dictionisque veteres cumprimis commendabile redditur, quas hic repetere nullo modo licet; nos tamen id maxime agimus, ut ex brevi summa, quanquam succi & sanguinis experte, totius libelli argumentum cognosci possit. Fuerunt jam aliquot, qui ad Tulipas sigillarim describendas curam animumque suum converterunt, sed ita hac in re veritati, ut eorum

Fig. 3.

rum laboribus minime se a suo consilio illustris Autor passus fuerit absterri. Nomen Tulipæ probabiliter ex lingua Orientis est, quoniam ipse flos eo in tractu, Asia nimirum & præcipue Tartaria, in agris, montibus, pratiquæ, lætissimo proventu germinat. Primum ejus in Germania exemplum Augustæ Vindelicorum A. 1559 vidisse, & tanquam rarissimum florem delineasse, *Conradus Gesnerus* creditur. Noster tamen, fortasse prius in Germania esse visas Tulipas, quamvis non delineatas, judicat, quod vix dubium videatur, quin *Busbequius, Ferdinandi I, Imperatoris*, in aula Constantinopolitana Legatus, qui adit Asiam, & naturæ opera, plantasque illius regionis rariores, curiose diligenterque perquisivit & collegit, atque in suis etiam literis Tuliparum mentionem iniecit, easdem secum in Germaniam attulerit. Ceterum Tulipæ, extra suam quoque patriam bene & liberaliter exceptæ, apud Batavos inprimis mirificos admiratores fautoresque superiori Seculo invenerunt, ut pretio quam carissimo, imo interdum proflus incredibili, coemptæ, sigillatim vero bulbus Tulipæ, quam *Semper Augustam* vocarunt, Amstelodami A. 1632 mille florenis, sequentibus autem annis aliis in locis bis ac ter mille florenis, venditas, ac demum A. 1637, quo tempore insanus ille Tuliparum amor summum gradum attingisse videbatur, nulla proflus pecuniæ vi, quoniam duo tantum, alter Amstelodami, alter Harlemi, exsisterunt, fuerit comparandus. Quem proinde in Tulipas amorem, furori proximum, cordati quidam viri tunc acriter reprehenderunt summumque illud pretium non ita multo post perquam imminutum fuit. Ex variis Tulipa constat partibus, aliis super terram elatis, ut petalis, pistillo seu ovario, staminibus, spicibus, caule, eoque foliis, aliis sub terra reconditis, ut bulbo, radice, & propaginibus, tum majoribus, tum minoribus, quæ hic copiosius exponuntur. Calice autem non opus habent. Quanquam varietates Tuliparum distributiones; Noster tamen in eo potissimum diversitatem reperit, quod alias vidit præcoces esse, alias serotinas, alias simplices, alias compositas, sive plenas, alias unius, alias plurium colorum, a quibus etiam nomini numero fere infinita, ut plurimum latis magnifica, acceperunt, ut ea in re maxima

Pag. 9.

13.

14.

15.

16.

17.

19.

21.

27.

30.

34.

40.

41.

42.

47.

- xima interdum vanitatis & charlatanerie significatio animadvertatur. Quod ad Tuliparum propagationem attinet, fit ea vel per propagines, vel per femina. Quodsi prior placeat modus, multa observare decet in eximendis, conservandis, deindeque terræ mandandis, bulbis, quæ cautiones hic bona fide enarrantur. Neque etiam minus ratione posterioris modi variæ commemorantur de eligendo seminandoque semine, & bulborum, hinc orientium, recto cultu forisque, præceptiones. Uter autem ex his propagandi modis utri præstet, difficile est dictu, & pro cujuslibet ingenio rectius definitur. Priorem modum illi præcipue sibi commendatum habeant, qui elegantiores species conservare, & quamprimum multiplicare cupiunt; posteriorem autem illi, qui novis potius speciebus & varietate delectantur. Terra etiam, in qua feliciter germinant Tulipæ, indicata, demum ad floris, tanquam parti principis, contemplationem venit. In illo autem ita ars, venustas, & amœnitas, copulantur, ut propterea floribus aliis quibusvis, Violis etiam, Hiacynthis, Narcissis, Tazettis, Jonquillis, Ranunculis, Anemonis, Cariophyllis, & Rosis, antecedit. Magnificientia hæc & amœnitas Tuliparum non uno modo oblectat oculos, Deumque autorem declarat. Quæ sit omnium venustissima, difficulter admodum decernitur; nigra saltem eminentiori quodam loco digna haud videtur. Ipsa autem pulchritudo ad regulas artis pictoriæ dijudicari nequit, alique aliam, ut exemplis constat, elegantissimam esse putaverunt. Quædam tamen venustatis indicia tum ex structura, tum ex coloribus, petenda sunt. Præter hæc denique ars tentavit varia, quibus Tuliparum decus auget, quæ olim inter res maxime arcanas fuerunt relata. Nunc enim colores adhuc emendare, & longe elegantiores reddere, laborat; quam in rem hic varia remedia recensentur; nunc simplices in plenas convertere, nunc odoris defectum, cujus causæ probabiles hic variæ afferuntur, compensare, & odorem flori velut obtrudere, nunc florendi tempus vel maturare, vel differre, nunc ipsum florendi actum diutius extendere, vel conservare, nunc florum elegantias & varietates in conclavibus quoque repræsentare, conatur.

natur. De valore harum regularum non nisi per experimen-
 ta judicare licet. Minimum videtur, id, quod naturæ cou-
 ditor ratione temporis, modique florendi, & aliorum mo-
 mentorum, constituit, optimum esse, nec ulla emendatione
 egere. Ceterum variis casibus hostibusque patent Tulipæ,
 ex quibus posterioribus aves cumprimis phasæ eorum bulbos
 avidissime appetere solent. Inter morbos numerantur uredo,
 vermis, & cancer. Usus Tuliparum in medicina nullus ad-
 huc liquet. Fortassis earum petala, ex hypothesi Illustris *Hoff-*
manni, propter glutinosam suam & glabram substantiam, mor-
 bis, ex acrimonia humorum natis, tanquam malva & populus
 remedium afferrent. Bulbus, saccharo conditus, instar Rad. Saly-
 rii ad excitandam venerem ex relatu Helvetii cujusdam valet.
 Ghinenses ex iis atramentum conficere traduntur, quod nulla
 re temporisve injuria deleri queat. Inter memorabilia Tuli-
 parum tria hæc etiam referuntur: primum, quod, qui dupli-
 cem plantarum sexum comminiscuntur, inprimis ad Tulipas
 provocent, quam tamen rem multis adhuc circumseptam esse
 dubiis, Noster opinatur, ad eandemque accuratius perquiren-
 dam, Illustrum *Wolffium* publice invitavit; alterum, quod *Ma-*
riottus aliique, eorum sententiam, qui, in primo semine omnes
 omnino plantas fuisse absconditas, arbitrantur, confutaturi, iti-
 dem ad Tulipas provocent; tertium, quod, quamvis caulis
 cujusvis bulbi ex hujus meditullio ac veluti corde prodeat,
 tamen, quando suo tempore bulbus e terra rursus eruitur,
 ejusdem caulis reliquiæ; si quæ superfunt, bulbo exterius, &
 hoc modo, adjacere solent, ac si e latere fuissent prognatæ,
 neque hoc situ se in florem induissent. Ipsa florum conditio,
 qualis, absoluto florendi tempore, cernitur, ut indicat, quam
 vana & fluxa sint omnia, etiam vita humana; ita illud singula-
 re est, quod a nonnullis traditur, lineamenta & flammæ in
 Tulipis tam multiplicis formæ & coloris, a quibus maximum
 ornamentum capiunt, infirmitatis in bulbo significationem da-
 re, & metuendum prorsus esse, ne, quo elegantior comitior-
 que Tulipa in hoc velut orbis theatrum veniat, eo minus re-
 deat in posterum, sed ipse bulbus cum propaginibus sensim
 sensim-

Pag. 98.

100.

101.

104.

105.

106.

107.

108.

109.

112.

115.

121.

124.

sensimque interscidat. Quæ omnia quam eleganter Illustris Auctor explicaverit, & pulcherrimis distinxerit sententiis, Poetarumque e Germanis præstantiorum luminibus, nunc haud dubie ex ipso libello Lectores harum rerum amantes & curiosi perspicere gestiant. Accessit in fine catalogus Tuliparum, quæ in horto Durlacensi ad *Caroli Requiem* (Carlsruhe) sito, A. 1740 cultæ, & ad vendendum publice fuerunt propositæ, quo 2159 species, nimirum 268 præcoces, 811 serotinæ, 204 earum, quas *Baguettes* vocant, 672 illarum, quas *Bisardes* appellant, 89 unicolores, 100 flore pleno præditæ, enumerantur.

FRANCISCI CAROLI CONRADI, JCTI
 & Antecessoris in Academia Julia, *Parergorum Libri quatuor*, in quibus *Antiquitates & Historia Juris Romani illustrantur, varia ejus Juris, aliorumque Auctorum, loca emendantur & explicantur. Accedunt in Præfatione nova curæ secundæ, & observationes reliquæ ad hos Libros.*

Helmstadii, sumtibus Christ. Frider. Weygandi, 1740, 8.

Plag. 7, cum Fig. æn. 1.

Ex merito laudavimus in Annalibus nostris politissima illa *Parerga*, quæ ante septennium divulgare cœperat reconditæ Vir doctrinæ, & præstantissimis Germanicæ JCTis annumerandus, *Franciscus Carolus Conradi*. Primus nunc eorundem *Tomus* prostat, cui præsens adjecta est opella, non tripartitum modo, Auctorum scilicet, locorum Juris illustratorum, & rerum denique, Indicem, sed varias etiam doctissimasque observationes ad *quatuor hos Libros*, exhibens. Cum enim latissimus horum studiorum sit campus, &, qui in eum se immiserunt, ingens scriptorum multitudo; Cel. Auctor, quotidiana librorum optimorum lectioni affixus, non potuit non animadvertere complura, quæ oculis ipsius, quanquam lynceis, antea non obvenerant. Hæc autem ipsa quantum selectissimis ejus argumentis lucis affundant, facile perspicient omnes.

omnes, qui tam amonam diligentissimi Viri Musam coluerunt semper, amarunt, amplexi sunt. Nos hoc optamus unice, ut *primum* hunc *Parergorum Tomum* sequantur mox plures; quod si evenerit, novis, iisque utilissimis, accessionibus locupletabitur Jctorum elegantiorum respublica, exterique in Consultissimo *Conradi* alterum resurgere *Heineccium*, prohi nunc ereptum nobis! χαίροντες χάριόν μεγάλην intelligent.

*M. JO. MARTINI CHLADENII OPU-
scula Academica, ante separatim edita, nunc vero in
unum Volumen collecta, & Præfatione Autoris, nec non
Elogio Urbani Godofredi Siberi, aucta.*

Lipsiæ, sumtibus hæredum B. Lanckisii, 1741, 8.

Alph. 1 plag. 2½.

In Præfatione Autor doctissimus, quæ judicia literatorum de se facta sint, memorat, &, primum se esse, ait, qui possessionis notionem & species, itemque occupationis & traditionis notiones, accuratione philosophica exposuerit. Illud etiam, quod in scientiis sublime est, primum se contra eos, qui de perspicuitate nimis gloriantur, demonstrasse dicit. Alibi præter collectionis industriam nihil sibi vindicat, neque officii & humanitatis laudem contemnendam esse judicat. Quorsum *Urbani Godofredi Siberi*, cognati sui, Elogium refert. Simul promittit novum, idque philosophicum, artis hermenevticæ Opus, & Introductionem in Theologiam systematicam. Cujus utriusque Operis rationem exprimit. Jam ad Opuscula ipsa enarranda veniemus. Primum est de præstantia & usu Scholiorum Grecorum, quæ exstant, in Poetas, sigillatim de emendatione ac interpretatione Poetarum. In ejus Præfatione *Henr. Stephani*, *G. F. Tryllitii*, & *Jo. Alb. Fabricii*, conata in hoc scriptorum genere prædicat. Scholiastas igitur legendos putat, propterea, quod tractent grammatica, historica, geographica, critica, antiquitates, moralia, alia, itemque quod stilo utantur claro, conciso, materiis subjectis accommodato, quod sint fere antiqui, quod sint docti, quod literis ab humanitate

appellatis ferviant, allatis emendationibus, antiquis scripturis, citatis fideliter scriptorum aliorum testimoniis & consensu, sup-
 peditatis synonymis, ejectis additamentis supervacaneis, veris
 interpunctionibus restitutis, luxatis & distractis vel etiam temere
 confociatis justo loco & ordine assignato. Ergo, artem interpre-
 tandi ex eorum operibus condisci posse, Cl. Autor putat; quam,
 cum perdifficilem reddant vocabula peregrina, vel semel occur-
 rentia, Scholia sæpe alienissimo loco sublevent, rem ipsam autem,
 si hæc difficultatem afferat, declarare sæpe etiam soleant Scho-
 liastræ. Huc fabulæ, rite perceptæ, cum multum conducant;
 eas ab istis eximie didiceris. Allegorias item penitus perspi-
 cies, picturisque, alibi atque alibi repertis, multa curatius co-
 gnosces. Fatetur tamen Autor, usquequaque multis Scholia-
 stas vitiis obnoxios esse, quæ si cum eorum virtutibus compen-
 sentur, veremur, ne major malorum, quam bonorum, ad Scho-
 liastrarum lectores redundet copia. Huic Opusculo subjunxit
 Autor doctissimus de præstantia & usu Scholiorum Græcorum
 sigillatim in Historia & re numismatica Dissertationem. Hic,
 divisa Historia in sua genera, occurrit iis, qui, a Poetis histo-
 riam expectandam esse, negant, nec proinde magis ab eorum
 interpretibus, Scholiastis. Sed, utrobique tamen nonnunquam
 historias tractari, exemplis constat. Ac, licet græca fides pro-
 verbio sit notata, fuere tamen in Græcia homines etiam gra-
 ves. Ipsa autem Scholiastarum inter se dissensio, & ab reliquis
 Historicis discessio, in medio relinquenda esse statuitur. Recte
 autem in historiis suorum temporum Scholiastæ fidem mereri
 dicuntur; nisi forte Poetarum & fabularum studium, quod
 valde est credibile, mores eorum inquinavit. In Historia li-
 teraria inventiones artium, harumque propagationes, literatorum
 ætates, & similia, Scholiastis debent, affirmatur. Sententias quo-
 que hominum sapientium & sectarum in Scholiastis cognoscimus.
 Criticæ artis exempla indidem repetuntur. Ad usum Scho-
 liastrarum in numis quod attinet, *bos, noctua, collybus, obolus*,
 quid notaverint, ostendunt Scholiastæ. Figuras, in numis ex-
 pressas, *Diana, Bellerophontis, Securis, Labyrinthi*, cet. a Scho-
 liastris explicari, novimus. Nec satis avium, quadrupe-
 dum,

dum, ceterorumque animalium, rationes in numis explicabuntur, nisi adjuvet Scholiasta. Nomina Regum aliorumque hominum, numis inscripta, Scholiastæ iridem illustrarunt. De reliquo lectores suos Auctor ad *Jo. Meursium* & *Ez. Spanhemium* allegat. De *Sublimi in scientiis* deinde agit Cl. Auctor. Illud definit esse, quod, nisi intellectis ante pluribus aliis, intelligi nequeat. Sublimitas igitur reperitur in generibus superioribus, in abstractionibus, ac per consequens etiam in judiciis, in ratiocinationibus, in demonstrationibus, quibus alia judicia, ratiocinia, demonstrationes, viam muniunt. In scientiis igitur etiam ipsis sublimè dari, conceditur. Sequitur *Theoria definitionum, exemplis potissimum mathematicis illustrata*. Fuit ea præmissa præceptionibus philosophicis. Huic succedit *Sylloge sententiarum Leibnitianarum in usum Collegii disputatorii*. Tales sunt e. g. *Justitia est charitas sapientis; jucundum est, in ipsa veterum simplicitate & sollicitudinis humani ingenii & linguarum vicissitudines observare, &c.* Insequitur *Status civilis cum spatio comparatus ad Pufendorfii Jus Nat. & Gent. Lib. I Cap. I §. 6, 7*, in qua re Auctor noster, suum philosophandi magistrum secutus, satis acute disputat, si in similitudinibus, quæ, ex veteri proverbio, dissimilitudines habent, acumen & accuratio summa teneri satis potest. Proximus libellus, qui dicitur *Elementa theoriæ possessionis atque domini*, materiam disputandi & cogitandi fortasse præbebit Auctori. Fortassis enim definitio *dominii* non omnino omnibus probabitur. Est enim secundum Autorem *jus de rei substantia & possessione disponendi*. Dubitabunt autem aliqui, dominium veneni pestilentissimi esse jus de ejus substantia & possessione disponendi ita, ut ad parvulos imprudentissimos perveniat. Ac fideicommissa dominia sunt, sed definitioni Auctoris inimica. Neque dominium remedium efficacissimorum jus esse videtur de substantia rei & possessione disponendi, nisi cautio summa & prudentia singularis adhibeatur. Jam *Carmen heroicum* videre licet, Illustrissimo *Bernhardo L. B. de Zech* consecratum, & *Ideam civilitatis ecclesiasticæ*, Illustriss. *Christ. Gottlieb de Holtzendorf* dicatam, & *Theologum ex antiquitate ecclesiastica formatum*, cum *U. G. Sibero*, Viro in *Historia ecclesiastica* veratissimo, gratularetur Auctor de Doctores

Theologi gradu, & *Consolationem Justi Christ. Thorschmidii*, Past. Anab. & *duas Epistolas ad Auditores*. Ex *Elogio Urbani Godofredi Siberi*, Viri de *Actis* nostris olim meritissimi, potiora momenta proxime repetemus.

Historische Abhandlung von gelehrten Sächsischen Fürsten, &c.
id est,

EXERCITATIO HISTORICA DE ERUDITIS
Saxoniae Principibus, Autore JOANNE
FRIDERICO JUGLERO.

Lipsiæ & Jenæ, apud Jo. Frid. Ritterum, 1740, 8.
Plag. 6.

Opusculi hujus Autor politissimus, a cujus eleganti ingenio, cultissimaque doctrina, egregia sibi quæque doctus orbis spondet, patriæ lux historiam aliquando pertractans, non sine paucos invenit Principes, qui in summo, quod occuparunt, dignitatis fastigio suavissimum cum Musis commercium habuerunt. Quos ipsos Heroes literatos cum nemo ante, quantum illi quidem innotuit, data opera descripserit; harum rerum amatoribus interservire se aliquantum posse arbitratus est, si eorum augeret numerum, qui enarrantis Principibus eruditæ studii nonnihil temporisque impenderunt. *Duabus* consilium, quod mente conceperat, *Sectionibus* executus est. *Prima* Saxonicos Imperatores, & Principes potentissimæ hujus Domus Electores, refert. Dissertit igitur de *tribus Ottonibus*; de *Henrico II*; de *Friderico Sapiente*; *Joanne Constante*; *Joanne Friderico I*; *Augusto*; *Christiano I*; *Jo. Georgio II*, ejusque filia, *Erdmutha Sophia*; (cui similes feminini generis Principes passim exhibuit,) de *Jo. Georgio IV*; de *Friderico Augusto I*; *Friderico Augusto II*, qui mississimo jam patrias terras imperio regit; denique de *Friderico Christiano*, Principe Saxonum hærede, qui, gloriosissimorum Majorum exemplo inflammatus, feliciora quotidie in studiis literarum incrementa capit, indelebile aliquando sæculi nostri decus, posteris autem miraculum, futurus. *Sectioni altera* reliquos Saxonie Principes complectitur. Locum in hac summo jure occupant *Georgius Barbatas*, ejusque filia, *Christina*;

stina; Georgius III, Princeps Anhaltinus; Jo. Fridericus II; Jo. Guilielmus, Dux Vinariensis, ejusque conjux, Dorothea Susanna; Joacimus Ernestus, Princeps Anhaltinus; Fridericus Guilielmus, Altenburgensis; Jo. Casimirus, Coburgensis; Jo. Georgius I, Anhaltino-Deßlaviensis; Joannes II, Vinariensis, & conjux ejus, Dorothea Maria; Augustus, Anhaltino-Plotzkaviensis; Ludovicus, Anhaltinus, & illius conjux, Amara Amelia, ac filia Princeps, Ludovica Amara; Joannis II filius, Fridericus; Jo. Casimirus, Christianus II, ejus filia, Ernesta Augusta, & Guilielmus Ludovicus, Anhaltini Principes; Guilielmus M. Vinariensis; Ernestus Pius; Augustus, Weissenfelsensis; Bernhardus, Jenensis; Guilielmus, Hartzgerodienensis; quatuor Ernesti Pii filii Principes, Fridericus, Albertus, Bernhardus, & Christianus; Carolus Guilielmus, Anhaltino-Servestanus; Guilielmus Ernestus, Vinariensis; Mauritius Guilielmus, Citicensis; Jo. Georgius & Jo. Guilielmus, Henacenses; Ernestus Ludovicus, Meinungensis; Jo. Guilielmus, ultimus Jenensis linea Princeps; & Fridericus Augustus, Citicensis. Omnes hos eo collocare Autor ordine studuit, quo nati fuerunt; nonnunquam tamen, si res ita exigere videretur, inde recessit. Principes Anhaltinos quin posset in Saxoniorum referre numerum, eo minus dubitavit, quo certius est & exploratius, eosdem ab Henrico I, Bernardi, Saxonie Ducis, filio, repetere originem, simulque per matrimonia complura cum Serenissimis Saxonum Principibus, & Albertina, & Ernestina, stirpis, felicissime fuisse conjunctos. Vides nunc, Lector, quam ferax celsissimorum ingeniorum Saxonia fuerit. Et sunt profecto inter hæc Principum multi, qui tam prospero successu literis navarunt operam, ut per omnem ætatem nihil egisse aliud videantur, cum tamen simul de factis eorum heroicis plurima commemorent historiarum monumenta.

APOLOGIE DES DAMES APPUYEE SUR L'HISTOIRE, &c.

id est,

APOLOGETICUS FOEMINARUM, HISTORIÆ
*superstructus, Autore illustri Fæmina de ***.*

Parisiis, impensis Didoti, 1737, 8.

Plag. 12½.

Sunt

Sunt omnino, qui seu serio, seu per jocum, fœminas ad res momenti minoris expediendas, ad tractandam lanam linuntque, ad genus vitæ vilius, natas aptasque esse, contendunt. Huic opinioni ut iretur publice obviam, multæ dudum fuerunt, reque ipsa effecerunt, doctæ elegantesque tum virgines, tum matronæ. In præsens fœminæ fuit lubitum, nisi mas quidam sub ea delitescere maluerit, ostendere, nec iudicio, nec ingenio, nec memoria, nec reliquis virtutibus, fœmineum genus inferius esse masculino. Quem in finem ex scriptoribus sacris ac profanis exempla eximiarum illustriumque fœminarum collegit, & ea stilo elegantissimo disposuit concinnavitque. Memoratu digna est illa animadversio, *Rebecam* a Deo fuisse edoctam, geminos inesse utero suo populos, natuque minorem fore majoris dominum, eam isthæc tacuisse, ac ob admonitionem divinam curas eo intendisse, ut natu minorem appreciationis paternæ redderet participem. Jocosâ vero ea est ratio, quam Autor de origine volubilitatis linguarum, & elegantia sermonis, qua effulgeat sexus fœmineus, assert, rata, viros interfuisse extruendæ turri Babel, fœminas haud aequæ. Non vacat ex Opere integro ea communicare, quæ alioqui maximam partem satis sunt comperta. Contam & deliciosam scribendi rationem calamus noster masculinus nec transfundere in Latinum, nec imitari, potest. Quare nemo mirabitur, si Lectorem ad fœminas & sapientia, & prudentia, & fortitudine, illustres ipsas remittamus. Id vero dolemus exemplis comprobatum haud esse, facultatem imaginationis inesse fœminis majorem, quam masculis virisque, eamque ob causam fœminas ad callida & ingeniosâ consilia, ad inventa politica & varia strategemata, ad superstitionem & fanaticismum, haud esse prorsus inhabiles, adeo ut, qui novos religionis modulos comminiscantur, ad anchoram sacram sexus fœminei confugiant, idque, quod rationibus ipsorum deest, suffragiis nonnunquam fœmineis supplere conentur. Illud vero spirat propemodum scriptorem virum, quod Autor perhibet, *eo quemque esse religiosiorem ac probiorem, quo magis sit philosophus, ac Ciceronem in Libris de Natura Deorum sententias amplexum esse, a cultore simulacrorum prorsus alienas.*

* * *

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris Anno MDCCXLII.

HISTOIRE DES ANCIENS TRAITÉZ, &c.

hoc est,

*HISTORIA PACTORUM ANTIQVORVM, SEU
Notitia historico-chronologica Pactorum & Fæderum,
in Autoribus Græcis ac Latinis, aliisque Antiquitarum
monumentis, obviatorum, a vetustissimis inde temporibus
usque ad Caroli M. ætatem deducta, opera & studio
Domini BARBEYKACII, Jurium Doctõris ac Pro-
fessoris in Academia Groningensi publici.*

Tomii II.

Amstelodami & Hagæ Comitum, apud Janssonio-Waesbergios,
Wetstein & Smith, & Z. Chatelanium, &c. 1739, fol. maj.

Tom. I Alph. 5 plag. 6½, Tom. II Alph. 4 plag. 12.

Majorem nominis famam pollicissimis ingenii monumen-
tis consecutus est doctissimus *Barbeyracius*, quam ut
opus ei sit laudibus nostris, quibus alias scripta
laude digna eruditi orbis civibus tolemus commendare. Præ-
sens multarum vigiliarum stupendæque Opus molestiæ decus
decori addit, in quo quippe concinnando ita veritus est Vir
industrius, ut Historicum agat & accuratum, & felicem, nec
minoris ingenii, quam judicii, Criticum sese exhibeat. Quan-
quam enim hunc præcipue finem esse voluerit laboris sui, ut
de omnibus, quantum quidem fieri potuit, antiquarum gen-
tium

D d d

sium

tium pactis, argumento a nemine adhuc pertractato, paulo uberius exponeret; in hoc tamen constituto campo, cum evolventa crebro essent & veterum & recentiorum Autorum scripta, pulcherrima simul, quasi herba irrigua, ut cum *Plauto* loquamur, quantivis pretii observationum copia succrevit, ex qua sane locorum vel intellectu difficillimorum, vel parum recte se habentium, quam plurimi lucem scenerantur clarissimam. Nos igitur jure summo historiarum & criticæ artis cultoribus, qui ad æterni Operis lectionem accedent, exoptatissimos pollicemur fructus; quod ut eo magis sibi persuadeat unusquisque, servabimus & hic morem nostrum, quædam daturi specimino, quæ nobis præ aliis vitæ sunt notatu digniora. *Tomus primus* pacta recenset, & ubique quidem ordine chronologico, quæ usque ad natum Servatorem inita inter diversos fuerunt populos; *Tomo autem altero* argumentum suum *Cel. Autor* a Christo nato usque ad *Caroli M.* ætatem eleganter persequitur. Ipsa ea pacta vani & multiplicis generis sunt, planeque nonnunquam singularia. Pertinent enim alia ad sacra, v. g. templorum curam & inspectionem, jus alyli, libertatem conscientiæ; alia arctioris amicitie vinculo populos constringunt; alia dicuntur fœdera offensiva ac defensiva, vel defensiva tantum; alia de finibus cujuslibet territorii regundis, de merciorum flore provehendo, de hospitalitate Regum & populorum, de transitu ac reditu exercituum per terras alienas, de induciis in triginta, quadraginta, quinquaginta, imo & in centum, annos faciendis, ac de rebus longe pluribus, ceterunt, quas in Præfatione commemoravit præstantissimus

Tom. I
pag. 10. *Autor*. In notissimo illo bello Thebano, quod *Eteocles* & *Polynices*, fratres, inter se gesserunt, *Creon*, qui tunc temporis *Læodamatis*, *Eteoclis* filii, loco regno præerat, permittere hostibus nolebat moruorum sepulturam. *Adrastes*, Argi Rex, qui auxilio adsuerat *Polynici*, opem *Thesei* implorabat, Atheniensium Regis, qui, missis Thebas Legatis, obtinebat pacto quodam, quod frustra postulaverat *Adrastes*, prout hoc a *Plutarcho* confirmatum, antiquis nixo testimoniis. Id quidem negati nequit, quod præter *Euripidem*, quem ipse in partes suas

Plutav-

Plutarchus vocavit, alii asserant, *Creonem* neutiquam dedisse locum *Thesæi* precibus, qui propterea bellum illi indixerit, & coegerit eum armorum vi, ut demortuorum traderet cadavera, quæ *Thesæus* deinceps in Attica sepelienda curaverit. Sed, facile has sibi obstantes conciliari posse sententias, Celeb. Autor existimat, dummodo posteris, quod pax iterum sit constituta hac quidem conditione, si concederet *Creon*, quod initio negaverat. Interim tamen, quocunque modo se res habeat, *Philocores*, quem *Plutarchus* testem adduxit, affirmasse pro certo perhibetur, primum hoc fuisse pactum de sepeliendis, qui in bello ceciderant, militibus; qua vero in re non consentientem habet ille Autor *Plutarchum*, remittentem nos ad vitam *Herculis*, jam pridem inter ejus opera desideratam, in qua, heroem hunc permisisse primum sepulturam hostium, memoraverit. Haud vulgarem profecto, notatuque propterea dignissimam, in servandis promissis Arabum fidem laudat *Herodotus*, & solennes, cum pangenda essent foedera, eorum ritus docet. Scilicet homo quidam, inter paciscentes constitutus, utriusque palmam, prope pollicem, acuto incidebat lapide, adhibitaque eam in rem de vestibus eorum parte aliqua, septem lapides, huic ritui destinatos, sanguine, inde profluente, tingebat, *Bacchum* eodem tempore & *Uranien* implorans, quæ sola erant hujus populi Numina. Quendam *Justin* locum, quem omnes Autoris hujus Editores intactum plane reliquerunt, oculo contemplatur critico Cel. *Barbeyracius*. Verba Historici hæc sunt: *Interim Pisandrus, ab Agesilao proficiscente dux patriæ velictus, ingentem classem summis viribus instruit, &c.* Quid, quæsumus, hic sibi volunt voces: *dux patriæ*? Autor noster, *Justinum* scripsisse, suspicatur, *dux maris*, pro *maris* nuzem ineptum potuisse scribam *matr*, cujus verbi cum sensus hic plane nullus fuit, peritorem paulo scribam *matr* immutasse in *patriæ*. Antiquissimis temporibus gentes foedera, cum aliis inita, in columnis inculpassent publicis, hinc inde ostendit, exemplisque probavit, elegantissimi ingenii *Barbeyracius*. Jam hoc loco refert. demolitionem columnarum ejusmodi signum fuisse evidentissimum, quod pars pacisfrens non amplius scri-

Pag. 66.

181.

238.

- Pag. 317. vare fœderis jura voluerit. Singulare prorsus, & rerum notatu dignissimarum plenum, est monumentum illud historicum de *Ptolemaeo Evergeta*, Ægypti Rege, quod, licet jam sæpius a viris doctissimis vel separatim, vel cum aliis opusculis conjunctim, sit editum, operæ tamen se facturum putavit pretium Cel. Autor, si denuo in conspectum publicum produceret. Græco sermone compositum, erectumque olim fuit in urbe quadam Æthiopiæ, cui Adula nomen. Periisset hoc sine dubio, nisi faustis auspiciis curiosò obvenisset oculo *Cosmatis*, Monachi, qui commerciorum causa ad extremos usque Indos navigaverat. Constitit dictum monumentum, eodem describente, in grandiori quadam sella, ex albo marmore, elegantis artificis manu confecta, columnisque innixa, cum inscriptione, in qua pauca tantum deleta vetustate observaverat *Cosmas*. Ipsum vero Autoris hujus, qui *Justino* imperante vixit, opus, *Topographia Christiana* titulo insignitum, anno demum hujus Seculi textu cura *Montesalconii* ex antiquo quodam Codice MSco, qui in Vaticana Bibliotheca asservatur, impressum typis fuit. Plura cum de hoc, tum de monumento ipso, disserit *Barbeyracius*, quæ sane legisse pœnitebit neminem. Nos jam convertimur ad alterum docti Operis *Tomum*,
- Tom. II ex hoc etiam ipso nonnihil in Lectorum gratiam addituri. *Ludewigius*, illustris Fridericianæ Cancellarius, eam notatur ob causam, quod in Opere ætatem laturo de *Justiniani Vita* pag. 327 affirmaverit, Imperatorem hunc fecisse pacem cum Persarum Rege in centum ac decem annos, & id quidem non ad annum 533, sed ad præcedentem potius, retulerit. Nihil profecto in scriptoribus, ab eo allatis, hac de re inveniri, Autor Celeberrimus profiteretur. Idem pactum inter *Justinianum*, & *Theodatum*, Regem Italiæ, æcurate, more suo, commemorat. Scilicet *Belisarius* totam, & id sine armis propemodum, occupaverat Siciliam. Interim, cum esset in hibernis, impendentem sibi calamitatem, fortunæque advertæ turbinem, depellere studebat *Theodatus*, adhibitis minis quamplurimis cogens *Agapetum*, Pontificem, & urbis Romæ Senatam, ut omnes intenderent ingenii nervos, ne *Justinianus*, Imperator, longius arma produ-

produceret victiciam. Imo exigebat etiam *Theodatus* a Pontifice *Agapeto*, ut ipse legationem obiret Constantinopolin; quod iter cum multos requireret sumtus, qui in promptu non erant, oppignerare debebat Pontifex arario regio vasa rebus sacris destinata. At enim oprato destituebatur successu isthoc *Agapeti* iter, & Imperator interferebat causam, se nimios jam erogasse sumtus ad exercitum conferendum. Producitur etiam, sed, ex Autoris sententia, vix cum aliquo fundamento, Epistola *Cassiodori*, ex qua vulgo colligunt, Pontificem profectum esse comite *Petro*, Rhetore Constantinopolitano, quem *Justinianus* miserat ad *Amalasonthen* atque *Theodatum*. *Procopius* ne verbo quidem iniecit mentionem legationis istius, ab *Agapeto* susceptæ, quin videtur potius, ex narratione ejusdem, *Petrus* mansisse in Italia, ex quo legati titulo fulgens eo venerat. Sed perit forte, ceu suspicatur *Cel. Barbeyracius*, isthæc historiæ pars, in qua *Procopius* de *Agapeti* legatione exposuerat. Animadvertere enim ipsi contigit in editione *Hæscheliana* pag. 172 lin. 8 stellulæ signum, quo indicare solet Editor, quæ desunt, loca. Ipsæ autem pacis conditiones, quas secreto traclavit cum *Petro*, *Justiniani* legato, *Theodatus*, hæc referuntur a *Procopio*: ut *Theodatus Justiniano* cederet omnem Siciliam; ut quotannis mitteret illi coronam auream, trecentarum librarum; ut tria millia Gothicorum militum subministraret Imperatori, si ei opus illis esset; ne *Theodatus*, sine *Justiniani* consensu, ad mortem damnaret Clericos, aut Senatores, nec eorum bona fisco addiceret; ne, si quemdam ex sibi subditis creare Patricium, aut alium ei locum in Senatu concedere, vellet, sua illi autoritate faceret, sed ante omnia Imperatoris expeteret permissionem; ut, si exhiberentur specacula, ludique & cujuscunque generis solennitates instituerentur, quibus acclamatione publica applaudere populus soleret, primus nominaretur Imperator, post autem *Theodatus*; denique ne unquam erigeretur *Theodato* statua, sive ex ære, sive ex alia materia, conflata, nisi eodem tempore, & ad dextram quidem, poneretur talis statua *Justiniano*. Quid, quatuor, durius, quid acerbius, his esse conditionibus potest? Nonne

ita ex Rege subdium fere cernis? Latius persequitur hoc, de quo paucis diximus, argumentum Præclarissimus Autor, & observationes hinc inde intermiscet, nec obvias ubique, nec indignas tanto Viro, quem totus Musarum chorus in deliciis habet, & aliquando, propter insignia in rempublicam literariam merita, consecrabit æternitati. Non sane parum ad id faciet exantlatus nunc feliciter labor, id est, Opus hoc præstantissimum, & vel ideo, quod in fronte *Barbeyracii* nomine superbit, satis commendabile.

D. Johann Jacob Rambachs, ꝛ. Gründliche und erbau-
liche Erklärung der Epistel Pauli an die Ebræer, ꝛ.

hoc est,

D. JOANNIS JACOBI RAMBACHII, S. S.
Theol. Prof. Primarii, Primi Superintendentis & Consi-
storii Giessensis Assessoris, solida, & pietatis studio ser-
viens, Epistolæ Pauli ad Hebræos declaratio, ex ejus
MSro Codice, una cum duplici Appendice, Introductio-
ne, Observationibus, ac Indicibus, edita a D. ERNE-
STO FRIDERICO NEUBAUERO, S. S.
Theol. Antiq. & Philol. S. & Oriental.

P. P. Giessensi.

Francofurti & Lipsiæ, apud Wolfg. Ludov. Spring, 1742, 4.
Alph. 4.

Nemo est, qui neget hodie, B. *Rambachium* in iis præci-
puum aliquem promereri locum, qui sanctiores literas
interpretandi studium ornarunt & amplificarunt. Quare lau-
dabilis est omnino S. Rev. *Neubaueri* opera, quam & in hac
ejus *Epistolæ Paulinæ ad Hebræos*, quondam exarata, *Declara-
tione* edenda posuit. Copiosa quidem est, quam præmisit,
Introductio, sed lectu digna, quoniam nihil in ea protulit,
quod a re proposita sejunctum videri queat. *Quinque* sunt,
Pag. 6. quæ in ea continentur, *Capita*, quorum I de *varia scripto-
rum Rambachianorum fama* exponit, II de *Commentario*,
13. *cujus*

cujus indicem dedimus, agit, ejusque brevem describit historiam. Ad *methodum* quod attinet, in eo adhibitam, hæc quidem de illa observata reperimus. B. *Rambachius* utilem elaboravit in hanc Pag. 17. Epistolam introductionem. Tum vero *Capita* omnia & *versus* ad normam *Analyseos Logicæ* ponderavit & enodavit. *Nexum* 18. & *orationis vinculum* ubivis attendit, & *sensum* legati Domini solide monstravit, immo & Sociniani identidem violati dogmatis Christiani, data occasione, diem dixit. In umbris ac 19. typis Leviticis Christum, præeunte S. *Paulo*, cum cura quæsit & invenit. Omnia vero sic exposuit, uti studium veræ juventur sanctitatis. Tot adsunt rerum testimonia, ut dubitari a 20. nemine possit, hanc Declarationem ex B. *Rambachii* ore calamoque manasse. *Cap. III* introductionem *Rambachianam* auget, 21. & de canonica hujus *Epistolæ* autoritate, de *Autore* illius, *lingua*, 25. *stilo*, *affectu Apostoli*, nec non de *sine*, *divisione*, *excellencia*, 30 seq. & *difficultate*, copiosius exponit. Commendantur præterea necessaria *interpretationis auxilia*, recitantur varii *interpretes* & *versiones*, neque omittuntur alia, illuc pertinentia. In *Cap.* 68. *IV* ex *duobus subjunctis libellis* prior, qui de *privata communi-
one* agit, consideratur, & B. *Rambachius*, qui huic certis de *causis* minime favit, adversus ignotum hominem defenditur. Postremo in *Capite V* alter, qui adjunctus est, libellus addu- 91. citur, ejusque ratio breviter redditur. Usus erat D. *Rambachius* hac locutione: *Christus mortem spiritualem gustavit*. Hanc Vir quidam doctus, tanquam sanæ doctrinæ haud con-
sentaneam, rejecerat. Sed amicus quidam B. *Rambachii* cau-
sam ejus egit. Libellus igitur hic alter *vindicias* ipsas comple-
ctitur. Sub finem S. R. *Neubauerus* pollicetur, se in poste- 99. rum B. *Rambachii* *Declarationem Matthæi & Marci*, *septem
Epistolarum Apocalypticarum*, *Astorum Apostolicorum*, immo
& *Collegium* ejus *Theicum*, publicæ luci expositurum esse. Nos
certissimi sumus, multum commodi ex his *Rambachianis* ia-
genii monumentis, quæ manu sua exarata reliquit, in sanctio-
rem Servatoris civitatem redundaturum. Ut sunt homines, qui
post mortem adhuc peccant; ita *Rambachius* in eorum nume-
ro, qui post fata bene agere pergunt, jure meritoque habe-
tur.

tur. Nostra nos opinio minime faller. Perlegimus enim bonam hujus Declarationis partem, atque non verba tantum, sed etiam dogmata Christiana, hic enodata esse, insigni cum voluptate observavimus. Dictio ejus & tota tractandi ratio facilis & concinna est, atque ita univérse comparata, ut sanctioris sapientiæ cultoribus satis pro dignitate commendari nequeat. Optamus ex animo, ut S. R. Editor ad cogitata tua perficienda secunda utatur valetudine, eundemque, ut reliquos libros, quos formis describendos curabit, *Rambuchianos* utilissimis suis & observationibus & indicibus etiam locupletet, publico nomine cohortamur.

TARAPHÆ MOALLAKAH, CUM SCHOLIIS Nabas, e MStis Bibliothecæ Leidensis, Arabice edit, vertit, illustravit, JO. JACOBUS REISKE.

Lugduni Batavorum, apud Jo. Luzac, 1742, 4.

Alph. 1.

Laudem omnino meretur eruditus Autor, quod septem veterum Carminum Arabicorum, adeo celebrium, & in Caaba, seu templo Meccano, suspenforum, specimen luci publicæ exponere voluerit. Ex eo enim tam Poesis Arabum antiqua, quam varii eorum ritus ac mores, cognosci possunt. In Præfatione primum de textus editione agit, simul & de scholiis, & variis variorum Commentariis in Moallakâ; dein nonnulla monet de versione sua, & quid potissimum in Notis fuerit sectatus, innuit. Sequitur hinc Dissertatio de nominibus & ætate Moallakâ, denique sex Poetarum vitæ strictim perconsentur, totidemque Carminum argumenta, & fata *Taraphæ*, ægmen claudunt. Carmen igitur, quod edidit, *Taraphæ*, & scholia, & omnia
 Pag. 6. 7 alia, quæ in Notis affert, desumpta esse ait Cl. *Reiskius* ex Codicibus
 seq. MStis Bibliothecæ Leidensis, iis præcipue, qui sunt ex legato
Warneri, ac dein agit de scholiis *Tebrizii*, *Nabasi*, *Ibn Hes-*
 11 seq. *ham*, & quibusdam aliis. In versione ac Notis id dedit ope-
 ram, ut sensum Autoris & phrasum poeticarum indolem, ar-
 gutiam

gutam ac leporem clara luce perfunderet, ac Cel. *Schultensii* benevolentiam, qua folia adhuc de prelo madida lustraverit, & sicubi forte impigisset in versione, correxerit, summis laudibus effert. Historiam Moallakâ pertexens, primo, ait, *suspensa* vocata esse, seu *المعلقة*, quod ad portam Caabæ, seu templi Meccani, suspenderentur, *الذهبان aurea*, quod literis aureis scripta essent, & *السبع الطوال septem longa*, quod ultra consuetum longa essent. Attamen de earum antiquitate non nimis magnifice sentit, & Chronologiam Arabum ante *Mohammedem* confusam esse, observat. Ordo vero illorum Poematum sequens est. Scilicet *prima* Moallakah est *Amwalkeisi, Kendita*, quam op miram venustatem laudat. In ea Autor inconstantiam amicarum suarum perstringit, sed formam commendat, voluptatum gustus, quos cum iis hauserit, prædicat, ferarum venationem, atque epulas, ex iis paratas, describit. Subjungitur his breve excerptum ex Autore, quo formæ amicarum & equorum Poetæ singulares comparationes annotat. *Secundam* Moallakah scripsit *Tarapha*, de quo ultimo loco agit. *Tertius* ordine est *Zobeir*, qui in hac Moallakah nonnullorum virtutes & beneficia in Arabes laudat, calamitates belli enumerat, ac funestas clades, quibus per 40 annos fuerant attriti, gentemque ferocem mansuetæ mentis amore imbuit, injurias esse ferendas, Deum esse earum vindicem, & alia salutaria monita cumulat. *Quartæ* Moallakah Autor est *Labid Ben Rabia*, alias *Abu Okeil* dictus. Carminis argumentum leve est. Exprobrat enim fastum amariæ suæ & fugam, cui parem iram & vindictam minatur. Dives esse contendit, & confusus camelo suo, insignem ejus celeritatem laudat, tribum suam & virtutes ejus suasque prædicat. *Quintæ* Autor est *Antara, Ben Sheddad*, cognomine *Abu Giel*, in qua, ut in *sexta* Moallakah, autore *Amru Ben Keltzum* scripta, homo loquitur sui opinione inflatus, ac tota meris, ut ait, thraonialis plena est. *Septima* vero, quæ est ab *Haretz Ben Heltza*, Autore suo, ceu sene, digna, gravis, rerum eventu magis, quam verbis, rem suam defendens. Est enim fere tota historica, cujus argumentum ex Præfatione Scholiastis *Tebvizii* adjicitur. Ultimo loco *Taraphæ* vitam & infelicia fata enarrat.

Pag. 15
seq.

19 seq.

24. seq.

26.

29.

35 seq.

38 seq.

Hunc criticum habuisse ait ingenium, aut potius hypercriticum, quod juvenis adhuc, at suo damno, prodiderit. Argumentum hujus Moallakah est, quod amasix suæ & camelorum præstantiam variis comparationibus hyperbolicis describat, & similitates cum affinis suis, imprimis *Maleko*, qui stulti juvenis mores juste correxerat. Huic Tabulam Genealogicam, pro Moallakat ex variis monumentis concinnatam, adjungit Sequitur nunc Carmen *Taraphe* ipsum cum Scholiis *Ibn Nakas*, Grammatici, quorum pars Latine versa est a pag. 3 usque ad

Pag. 39. pag. 9. Ex Notis quædam excerpemus. Observat, a describenda amasix suæ pulchritudine Carmen hoc auspiciari Poetam, quod apud Arabes valde usitatum sit, quia eorum Poetæ amores fœminarum appetebant. De veterum Poetarum Arabicorum & recentiorum differentia pag. 44, & pag. 110 de nominibus fœminarum Arabicarum, speciatim *dorcadis*, disserit; ibid. & pag. 51 vocem Arabicam *اطلال* illustrat, pag. 44 & 45, ubi & de sitio, apud fœminas ulu & glasti *زوم* dicti, pag. 51 de voce *عولى*, genere quodam vecturæ per aquam, item de *ذبيلم* ludo quodam puerili, pag. 52 de voce *أحوي* oculorum & labiorum nigredine, fœminis Arabicis *akunata*, pag. 54 seq. de veterum Arabum itineribus & excursionibus in remota loca, pag. 59 de camelarum præstantia præ maribus, pag. 68 vocem Hebraicam *חשף* cum Arabica *حشف* confert, *Mohammedem* idiotam fuisse, licet ipse dicat, difficulter se concipere posse, ait, pag. 78 desertum glabrum seu vacuum omnibus herbis, cum speculo comparatum, pag. 80, & quasdam comparationes alias, passim miratur, ceu non adeo aptas, pag. 82 de struthiocamelo, & ejus velocitate, quædam habet, pag. 84 equi descriptio est singularis poetica, per varias comparationes. in quibus vivacis ingenii & calidioris phantasix vestigia insunt, pag. 94 & 95, quid sit habitatio in *تلع* seu exelsis locis, ubi ignem late conspicuum alebant, ut viatores invitarent, exponit, pag. 120 de bubone ex hominis mortui cerebro aut medulla spinali nato secundum Arabes, & occisi ultore, &c. Hæc quidem ex Notis, frequenti Scriptorum Arabicorum allegatione refertis, adducere volumus, & cum ipsi Autori erudito, qui difficili oppido labore defunctus

Quis est in hujus Poematis versione, Notis illustrata, displicuerit in nonnullis ejus editio, ut in Præfatione fatetur, *pag. 14 & pag. 31* novum ad Historiam vel Literaturam Arabicam pertinens, utilius scriptum ibidem promittit, quod avide expectamus.

HET VORBEELD VAN VERDRAAGZAAM HEID ON-
der de goddelyke bezoeken verdoond in de Uitleg-
ging en Verklaaring van het Boek Jobs, &c.

id est,


IMAGO PATIENTIÆ, DIVINIS AFFLICTIONIBUS
probatae, representata in expositione Libri Jobi
per **GUILIELMUM DEURHOFF**. Pars prima,
complectens Capita priora septem.


Amstelodami, apud Christianum Petersten, 1741, 4.

Alph. 4.

De *Deurhoffii*, *Jobi* alterius, qui Operi huic immortalis fuit
liber, *Jobi* interpretis, nondum penitus in lucem videretur
prodiisse. Præter *Partem primam* apparuit nobis nihil, nisi
35 plagularum *Partis secundæ* complexus. Videntur nitor O-
peris, splendor virtutis *Jobi*, diligentia Commentatoris, ac egre-
gie ad Deum concelebrandum, virtutemque excolendam, ex-
hortationes, ab eodem ubique suppeditatæ, omnino esse di-
gnæ, ut Opus integrum emittatur. Cœpit *Deurhoffius* A. 1708
orationibus sacris, e suggestu recitatis, certe earum in modum,
librum *Jobi* illustrare, exponere, & in usus pios convertere.
Anno jam 1717 sinivit institutum expositionibus 394. Optan-
dum fuisset, ut ipse interpretis ultimam manum Commentario
huic admovisset. Nihil tamen secius Editor nihil eorum
omisit, quæ ad expositiones singulas curate exhibendas facere
queunt. Consuluit enim operam eorum, qui sermones, a
Deurhoffio ex suggestu prolatos, literis olim exceperunt, ac,
collatis inter se recitationibus, in ordinem redegerunt, ab
Auctore observatum. Estimularunt Editorem, ut Opus evul-
garet.

garet, viri optimi, veritatis pietatisque studiosi. Exsisterunt vero haud ita pridem homines, qui, quo fato & impulsu nescimus, in scriptis hisce *Deurbossianis Spinozismum ac Socinianismum*, monstra profecto mutuis doctrinis sibi opposita, dominari, dictitarent. Significat hæc *Jo. van den Velde* in Præfatione. Si quid nobis divinando licet assequi, objectata illa *Spinozismi & Socinianismi* larva ex rationibus plane externis enata fuit, siquidem in *Commentarii Parte prima, & 35 plagulis secundæ Partis*, ne hilum quidem deprehendimus, ex quo suspicionem ejusmodi concipere liceat. Librum *Jobi* omnem Autor eloquentissimus, nec a Philosophia, præcipue *Cartesiana*, imparatus, distribuit in *Sectiones tres generales*, quarum *prima Jobi fata offert Cap. I & II; secunda* exhibet dialogos seu colloquia *Cap. III-XLII v. 6; tertia* representat exitum calamitatis amœnum *Cap. XLII v. 7-17. Sectiones generales* deinde in *divisiones* speciales distribuit, sollicitæque has ob oculos lectoris posuit. Symbolum nefariorum hominum putat esse belluam Behemoth, diaboli autem Leviathanum. Librum conscientie existimat illuminari per Christum ob *Jo. I, 9, 2 Cor. II, 6*. Causam sempiternam rerum ostendit esse Deum. Perfectam rerum Deique notitiam putat beatorum esse in regno gloriæ commercium stabile ac perpetuum. *Jobi* gesta & librum esse referenda inter parabolas, negat, ratus omnino, exponi indidem veram rei factæ gestæque commemorationem. Patriam *Jobi* haud definit. *Ætatem* ejus, ad 200 fere annos prorogatum, indicium esse credit temporis, *Mosè* antiquioris, quo *Jobus*, fortassis ex *Nachore*, vel *Abrahami* uxore, *Ketura*, natus, floruerit. Sententiam suam ita tandem figit, ut, *Jobum* vixisse circiter *Abrahami* ætatem, atque e nepotis *Semide*, *Urzi*, posteris progenitum fuisse, decernat. Adjungit idem, piis in hac vita res non semper ad vorum sententiamque fluere, sed latis tristia misceri. A Deo dependere universa, quæ præter eum existunt, eumque timore sancto esse prosequendum, solide docet. Divitias ita esse adhibendas, ne stabilibus divites excidant cælestibusque bonis, pie monet. Beatitudinem parentum illustrari in vita æterna ex beatitudine piorum liberorum,

rum, qui ipsis tandem aggregantur, suspicatur. *Jobi* opulentiam perspicue recenset. Filios *Jobi* natalitios suos dies conviviis celebrasse, conjectat ex *Gen. XL, 20*, & *Matth. XIV, 6*, monens, dici *natalem*  cuiusque *Job. III, 1*. Incidimus hic in diem, quam Christus vocat *diem suam Jo. VIII, 56*, & quam *Abrahamus* vidit lætus, eamque Christi natalem fuisse, credimus. Ebræos ex ritibus Ægyptiorum suscepisse cultus divini partes, negat Autor, adductus pronuntiat *Dei Ex. XX, 23-26, Lev. XX, 23, XVIII, 3, Act. VII, 41, 42*. Sacrificiis Ebræorum solis Deum placatum fuisse, negat ob *Pf. L, 7, 8. Abelem* victimam Deo obtulisse, eamque ex caelis ovibus sumisse, incertum esse, pronuntiat. *Paulus* vero, victimam, *Quiriacæ*, ab *Abele* oblatam esse Deo, tradit *Ebr. XI, 4*, & jam *Noachi* ætate discrimen existit bestias inter puras & impuras. Non tamen dislicemur, dari Protestantium permultos, & ipsum *Bernb. Henningum Witterum*, Lutheranum, qui negarunt, institutum victimarum ex Dei jussu ac promissione esse arcessendum. Judæos eadem sensisse, intelligitur ex *Abarbanelis Praefatione ad Levit. pag. 291*. Existimamus vero, *Abelem*, fide, quæ Deo ejusque verbis inicitur, munitum, sacrificasse. Providentiam Dei generalem & specialem Autor extra dubitationis aleam collocat. *Filius Dei* existimat esse pios homines, non angelos; quorum *Job. I, 6*, sic mentio. Vocis *satan* significatum eruit, eumque *adversario* cuique esse communem ostendit. Colloquium illud Dei cum *satana*, v. 6-12, *Belgæ Commentatores ad Biblia Dordracena*, de hieroglyphico, ad formam Principis humani, suos ad rationem reddendam arcessentis, accommodato, exposuerunt. *Leusantius in Hægoge ad editionem Fœrsterianam translationis Gallicæ Bibliorum Martiniana* eis accedit. Nec aliam *Deurbussius* institit viam, provocans ad *1 Reg. XXII, 19*, exemplo illorum Commentatorum. Existere diabolum, eumque hoc loco designari, monstrat. Calamitates divinitus *Jobo* esse immissas, ac per *Sabæos*, ignem, *Chaldæos* & ignem, effectui datas, credit. *Jobus* quidem dicitur fore *in manu satane v. 12*. Eam vero loquendi formulam Autor ita accipit, ut sibi persuadeat, en

- Pag. 28. significari, omnia ad votum satanz esse fluxura. Eum in finem pro-
 vocat ad *Jos. X, 6, 11*. At satanas pethibetur tamen exiisse a
 facie domini, ac *Jobum* ulceribus gravissimis affecisse, *II, 7*.
 Prius admittit Autor. Quantum vero ad ulcerum originem
 attinet, eam ad Deum refert ita, ut verba *וַיַּךְ אֱלֹהִים אֶת-
 יוֹב כְּשֹׁמֵרֵי רָע* v. 7 sic reddat: ac (Deus) *Jobum afflixit ulcere*
malo. Perfugium querit in v. 10, ac *VI, 4*, ubi morbus, *Jobo*
 immissus, tribuitur non satanz, sed Deo. Effectus pravov-
 rum hominum, & opera ab eis destinata, tribui satanz, existi-
 mat, eo quod satanas primum hominem imagine Dei privavit,
 29 seq. defectumque pietatis conciliavit posteris *Adami* universis. *Car-*
tesiani scilicet credunt, spirituum vim in cogitando consistere,
 nec in corpora agere posse. Impedimenta, a malis homini-
 bus profecta, virtutisque divinae opposita, existimat indicari
 hieroglyphico, a satana desumpto *1 Reg. XXII, 19 23, Zach. III,*
1, 2. Per corpus *Mosis*, cujus fit mentio *2 Petr. II, 12, & Jud.*
V, 9, indicari templum Hierosolymitanum, cerimoniis clarum,
 suspicatur, cujus quippe reedificationem diabolus per homi-
 nes pravos impediendi studiosus fuit. Per hieroglyphicon sa-
 31. tanæ putat apud *Jobum* designari imbecillitates priorum, a sa-
 tanæ profectas, & ipsis adherentes, cum in hac vita animos
 ad Deum allevant, eumque sibi sistunt gratiosè presentem. *Len-*
fantius, Ecclesiastes Berolinensis, in *Præfat. generali ad V. & N.*
T. Gallicum id æque ad parabolam, seu dramatis poetici modum,
 refert, quod in libro *Jobi* commemoratur de discurfatione
 satanz per terrarum orbem, de ejus inter filios Dei apparitio-
 ne, de ejus cum Deo collocacone, & inita quasi ad perden-
 dum *Jobum* conspiratione. Qui *Spanhemii Historiam Jobi*
 consûlunt, celebres & Judæos & Christianos, idem sentientes,
 ibiprehendunt. In re obscura omnino ferendus est aliquis
 32. dissensus. Laudabilis est doctrina moralis *Deurbuffi*, docentis,
 sollicite nos debere vitam instituere, ne satanam in animos no-
 stros suscipiamus, nec illecebris rerum iluxarum a pietate ab-
 ducamur. De Sabæis eructe disserit. Sacerdotes notat, qui
 munere suo ac pietatis professione abutuntur ad fragiles mun-
 37. di voluptates. Vocis  notionem moralem curate expo-
 nit

nit. Il enim, qui operi sese accingunt, ac rei animum ap-
 pellunt, ab Ebraeis dicuntur **מְסִיבִים**, *singere*. Homini esse, in Pag. 39.
 utraque fortuna morem Deo obedienter gerere, pie conducet.
 Id, quod de *Jobo I, 22*, pronuntiatur, reputat pro judicio Spi- 41.
 ritus Sancti. Expositionem seu orationem unamquamque Au-
 tor admonitione egregia & doctrina quadam morali exquisita 49.
 concludit. Verba uxoris *Jobi* secundum expositiones varias
 exhibet, eamque vocari ab ipso Italiam, id est, imperitam
 & rudem, non malignam, existimat. Ebraica, quæ varie so- 52.
 lent in linguas alias converti, verba **עָרַךְ מַחֲזִיק בְּחַמְתָּךְ וּמַת
 כָּרְךְ אֲדֹרָיִם** ita exponit: *tu adhuc inhaeres integritati
 tue, rarus, hominum esse, & benigna & dura, a Deo im-
 missa, submissio pioque animo excipere; laudibus celebra Deum
 porro, & ad moriendum te compone*, id est, calamitas morte de-
 mum finietur, quare pietatem eo usque serva. Nihil in hac
 translatione reprehenditur, quod possit culpari. Ea omnino
 congruit cum responsione *Jobi*, non existimantis, malo suo
 nullum in hac vita remedium superesse. Societate doloris Chri- 57.
 stianos merito affici, Auctor solide addit. Phrasin, *praestaret,*
ut ne homo ille fuisset natus, Matth. XXI, 24, respicere ad sem- 67.
 piternam *Jude* miseriam, docet, addens, Jesum significasse
 tempus eo usque elapsum, vel tempus, quo *Judas* exercuit
 prodicionem. Illustrat sententiam ex *Ecc. II, 2, 3, VII, 15*, mo-
 nens, descriptiones vanitatum, quas *Salomo* exposuit, haud
 esse doctrinas ubique falli nescias. *Jeremiam* putat fastidivisse
 natalem suam, *XX, 18*, non omni modo, sed respectu calami- 68.
 tosilissimi sui temporis, cum exilio populi & vaticiniis impotto-
 rum conjuncti. Eandem cautionem ad *Jobum* accommodat,
 natali suo imprecantem, ob *III, 20*. Suspicatur, *Jobum* am-
 plexum fuisse sententiam Chaldeorum de fato astrologico, de
 astris crudelibus, & hora genethliaca, adductus locis *IX, 9,*
25. Nec tamen, *Jobum* penitus excusandum, putat, impatien- 69.
 tix quippe plenum, nec satis Jehova dicto audientem. Conf.
XLII, 3, 6. Indolem animi bonam a Spiritu Sancto deducen-
 dam persuadet, non ab intellectu, viribus suis subnixo, eam- 71.
 que opinionem comprobatur it ex *Col. II, 2, & Rom. I, II, 22, 24*.
 Addit,

- Addit, affectibus eorumque viribus esse locum, licet animus sit purgatus, & intellectus sit clarus. Provocat, ut hoc demonstrat, ad exemplum Jesu *Matth. XXVI, 37, 38*, & *Pauli Rom. IX, 1-3*. Corpus mori, cum anima nexum ejus delerit, existimat. Mortalitatein corporis humani, animæ immortalitatem, & resurrectionem ac domicilium sempiternum hominis, recte demonstrat. De statu hominis post mortem exponit
- Pag. 76. 77. cric literis congruenter, hominis, inquam, non solum pii ac gratiæ Numinis admoti, sed etiam improbitatum studiosi. *Wolffianæ* Philosophiæ respondet sententia, quam hunc in modum
78. subjungit: *Singulis hominum adjungitur corpus, animæ conveniens, &, quamdiu corpus illud animæ usui est, ipsi vivunt*, respectu corporis animæ juncti, ac contra. *Henochi* ac filii ex *Bartholæa* nati 2 *Sam. XII, 23*, ætatem contractiorem monet pensatam esse beatitudine sempiterna. In hac vita esse labem peccatorum exuendam, ni malimus æternum cruciari, docet ex *1 Cor. III, 13-15*. Mortem per se esse molestiarum finem & allevationem, negat. *Spinozæ* hypothesi docet esse falsas, ac, ab eo frustra causas finales esse repudiatas, solide ostendit.
81. 82. *Cartesius* eas admittit, negavit tamen, incertum esse, an universa, quæ sunt creata, existant in hominis utum, *Princip. 3 P. 2 pag. 90*. Peripateticos Autor existimat causam primam, Deum, ab effectibus, seu rebus creatis, haud satis distinxisse. Atheismi esse proprium, addit, causas finales tollere, vel operationes Dei eis spoliare. Causam finalem ac scopum fuisse Deo creatori, comprobat ex *Act. XVII, 26, 27*, *Eph. I, 4*, *Gal. I, 4*. Si qui Autorem crediderunt fuisse *Spinozismi* suspectum, vel *Cartesianismi* impurioris reum, ipsos, ut eam Autoris doctrinam pie ac sapienter perpendant, volumus oratos. Cur viris bonis calamitates sint oneri, *Jobus* querit, haud secus ac alii, *Num. XIV, 3*, *Pf. LXXXIX, 48*, *Rom. IX, 20*. Ratio inter in labe homini insita, sæpius erumpente, *Eph. II, 3*, *Job. XIV, 1*, *Pf. XC, 7*. Tristitiam nobis divinam ita Deus exprimit. Lachrymæ sanctorum sunt Deo gratæ, *Matth. XXVI, 75*, ob utum suavissimum inde redundantem, *Matth. V, 4*. Evacuuntur ita peccatoribus peccatum, *Rom. VII, 23*, *Marc. IX, 43-47*, *Apoc. III, 19, 20*,

19, 20, *Ebr. XII, 10-14.* Mortem ita homines expectant, & a
 vinculis deliciarum mundi solvuntur, ut gloriam vitæ circum-
 spiciant, non occupando fati diem, sed patienter expectando,
Jon. IV, 3, 2 Petr. I, 13-15, 2 Cor. V, 2. Jesum pro hominibus sese
 in victimam tradidisse & vicariam satisfactionem, Auctor addit,
 fructuosam nempe illis, qui vitam Christi imitantur, *1 Petr. II,*
24. Per ipsum nos decet adire Patrem cœlestem, ipsumque
 esse viam nostram, docet. Addit, illum esse viam nostram per
 sacrificium expiatorium, olim oblatum, suamque per vim &
 operationem in nobis. Discrimen doctorum ecclesiæ sincero-
 rum & malignorum definit. Fatum Stoicorum repudiat. Col-
 locutores *Jobi* ex spiritu Dei hausisse permulta, demonstrat
 ex *Job. IV, 12-16, & XXXIII, 14-16,* monens tamen, inesse col-
 loquiis eorum non pauca, quibus imbecillitas adhaerit huma-
 na. Quod ipse quoque Dei est judicium *Job. XLII, 3.* Ve-
 ritatem ipsi proposuerunt; at, dum notionem justitiæ divini
 suam ad *Jobum* attemperarunt, peccasse sunt existimandi. No-
 strum est, admonitionibus & exhortationibus probis morem
 gerere. De variis institutionum generibus differit Auctor ea
 venustate & soliditate, ut sese lectoribus non possit non appro-
 bare. Optime idem præstitit in libro *de Volmuaktheid van de*
Leere des Geloofs pag. 135-139. Revelationem Dei fuisse necessa-
 riam, ut homines viam cognoscerent reconciliationis suæ cum
 Deo per Christum, pronuntiat. Statuit idem, dari cognitio-
 nem hominis Christiani geminam: unam animo impressam, cou-
 sistentem in resignatione sui erga Deum, ac directione actionum
 ad Dei gloriam; alteram ex verbo externo accedentem, seu
 acquisitam. Utramque esse conjungendam, docet ex *Rom.*
II, 13-16, 28, 29, 1 Cor. XIII, 2. Innocentiam homini pio tribui
 posse duntaxat, per comparationis modum acceptam, ostendit.
 Per leonem, cujus fit mentio *2 Tim. IV, 17,* probabiliter desi-
 gnari credit Imperatorem *Neronem.* Initia regni Assyriaci a
Nimrodo ac *Nino* deducit, & ex *Abrahamo* antiquiora esse,
 existimat. Leonum nomine hos venire *Job. IV, 8-11,* suspica-
 tur. *Jobi* ætate Deum piis patefecisse sese per somnia, com-
 probat ex *Job. XXXIII, 14, 15, Num. XII, 6.* Experimenta,
 Fff 1 acrum

Pag. 90.
 92.
 97.
 103.
 119.
 120.
 126.
 141.
 142.
 146.
 157.
 165.

- Pag. 172. aerem declarare solita; nonnulli intexit. Rõ vera angelos apparuisse, demonstrat. Quando Deus vel Angelus Dei in Vet. Test. dicitur apparuisse, Christum fuisse visum in forma, assumpta ad tempus, Autor tradit. Adjungit vero hæc, quæ videntur attentione digna: *Jesus Christus, qui, antequam mortalem carnem assumeret, jam existit, siquidem ipse fuit primogenitus omnium rerum creatarum Col. 1, 15, ipse adfuit in initio rerum, quemadmodum perfecta, peccati expers, res creata (Schepfel), debet existere, ita tamen, ut corpore, quod tangi ac incirire potest, amictus haud fuerit. Nam ipse erat imago Dei haud adspectabilis, Col. 1, 15, & quoniam perfecte impletus ac occupatus erat amore Dei, operabatur non ex ullo creato principio, sed per operationem Dei ipsius in ipso, atque eapropter ipse erat verus Deus.* Addit deinde, Christum jam habuisse ab exordio mundi corpus subtilissimum, ex elemento primo quasi depromptum, ac immortale. Ex qua hypothese exponit apparitiones angeli Dei *Exod. XXXIII, 9-23, 1 Reg. XIX, 11-13, Exod. III, 2.* Videtur in hypothese illam incidisse ex eo, quod filius Dei dicitur *splendor & icon patris, gloria patris, &c.* Novimus, eandem hypothese placuisse *Knorrio de Rosenroth*, cujus *Harmonia Evangelistarum* sub *Jacobi Usserii* nomine Halle, ineunte hoc Seculo, prodiit, *Johanni Wilhelmo Petersen*, aliisque, ac pæne in consensum traxisse *G. G. Leibnitium*, ut ex *Otio* ejus *Hannoverano* intelligitur. Autor ab hac hypothese abstinisset, mallems, siquidem de spiritibus in divinis literis verba subinde ob imbecillitatem intellectus nostri adhibentur, quæ quidem videntur aliquid subtilissimi ac ignei involvere, *Σεπτερω̃ς* tamen intelligenda sunt de perfectionibus Dei spiritualibus. Christus etiam sæpius in Vet. Testamento apparuit sub forma viri, & citra corpus ejusmodi densissimum, rigidum, & igneum. Verus ipse est Deus, quia essentiam divinam habet, & a patre genitus est. Nec vero Autor alibi negat, Christum esse spiritum infinitum & æternum. Deum esse actum purissimum, docet pag. 190. De Christo fieri mentionem *Jes. LIII, 10, Ps. XL, 8, 9*, tradit. Angelos bonos statim in confirmato perfectionis statu, & perfecto Dei amore, creatos esse, negat.

gat, ratus, eos profectibus vacasse, & crevisse in virtutibus, nec primum hominem illabilem fuisse conditum. Largitur tamen, dari angelos electos, ac non electos, quorum illi in bono confirmantur, ac tandem illabiles fiant per perdurantem progressum in amore Dei. Ni vero, electos homines labi posse, crediderit Autor, angelos electos a labendi periculo esse immunes, existimaverit oportet. Videtur ipse hic *Limborgio* & Pag. 214. Remonstrantibus accessisse. Animam corpori superstitem esse, existimat. Vocis לָרַע significatum more solito & genuino suppeditat pag. 217. Defunctos dici unquam in sacro Codice *sanctos*, inficiatur, eosque res nostras singulares nosse aut curare, negat, largitus tamen, ecclesiam triumphantem pro militante Deum orare generatim. *Preces Christi*, in caelos evecti, exponit per expectationem eventus, mortem, resurrectionem, & ascensionem ejus in caelos, subsequens. Ad *Rom. VIII, 34*, 228. ita commentatur: *Non ita capienda est Christi deprecatio, quasi ipse a Deo patre suo expetat, ut hic causa Messie hominibus bene faciat, ac illis impertiat, que desiderant, ea quidem, que illi extra hanc deprecationem baud forent accepturi.* Sententia hæc est prorsus singularis, siquidem Autor non negat, Christum in terris preces obrulisse pro improbis, *Jes. LIII, 12, Luc. XXIII, 34*, ac Spiritum Sanctum in hominibus efficaces operari preces, *Rom. VIII, 26, 27, Phil. I, 19.* Spiritum Christi exponit per amorem Dei, qui inest fidelibus. Locum *Exod. II, 12*, de verbo Dei hypostatico, de Christo, qui operationes suas in animis hominum efficiat, exponit. Christum vocari radicem *Isai Jes. XI, 10*, arbitrorur. *Curtesium* laudibus afficit pag. 252. De igne philosophatur ex hypothese *Curtesiana*. Per ignem, quo Christus dicitur suos baptizaturus *Matth. III, 11*, intelligit *divinum amorem*. Universis hominibus inesse *vitam Dei, in ipsis actusam*, colligit ex *Jo. I, 7-9*. Transsubstantiationem Pontificiorum, & Socinianorum errores de Christo, repudiat pag. 276. *Spinozae* fundamentum doctrinarum altimum abhorret; spiritum mundi universalem refellit; emanasse mundum ex Deo, negat; Deum a mundo distinctum esse, ostendit. *Socinum* averfatur, qui Deo abjudicavit præscientiam

- tiam rerum futurarum contingentium. Vires inesse corporibus, negat, nec ferre potest eos, qui de viribus naturæ nunquam non exponunt. Miraculum esse putat effectum in rebus creatis, repugnantem communi naturæ curiui, ita, ut rationem illius insoliti effectus nobis excogitare vel explicare haud sit integrum, ac effectus ipse sit rarus. Miraculum pugnare cum natura, negat; cum cursu naturæ consueto id pugnare, largitur. Non possunt aliter rationes subducere illi, qui cum *Cartesio*, *Andala*, aliisque, naturam putant esse congeriem rerum creatarum, &, corporibus vim inesse nullam, pronuntiant. Simul ac enim hanc vim sustuleris, natura corporum erit indifferens ad motum recipiendum quemcunque. Verum quis hanc sententiam, nobis quidem haud probatam, atro carbone notabit, quam tot Theologi ac Philosophi in dies, nullo refragante, profitentur, suamque faciunt? Accipe autem distinctiorem de miraculi notione ex Autore notitiam. Ipse sic differit pag. 288: *Quacunque in mundo producuntur ubique, ipsa etiam miracula, sunt effectus Dei; & Deus naturam ita condidit, ut omnia, quæ in ea eveniunt, ac omnes singulique eventus, ea ratione eveniant, quemadmodum ea videmus produci, ita, ut e. g. æque sit mirabile, solem a plaga orientali mane oriri, atque in Occidente occidere, ac tres juvenes in furno Babylonico non esse combustos.* De mundo corporeo hic differit Autor, ac omnia, quæ in eo fiunt, credit per motum a Deo impressum fieri, ratus cum *Cartesianis*, corpora per sese esse inertia, vi omni vacua, ac ad omnem motum recipiendum in partem omnem apta. Nullum hic cum *Spinoza* est Autori commercium, licet videatur consentire cum definitione de miraculis *Spinozana*. Ipse autem *Spinozismum* luculente refellit, ac, mundum a Deo creatum esse, docuit. Ipse certam eventuum seriem, tum naturalium, tum miraculorum, a decreto Dei arcessit, non a fatali inevitabilique necessitate. *Socinum* repudiatur, ratum, singula miracula naturæ repugnare, id est, ex Autoris expositione, esse impossibilia. Doctoris esse, putat, ostendere, miracula, in S. Scripturam relata, e classe rerum esse, quæ fieri possunt. A solo Deo fieri posse miracula, docet.

En

En sententias duas memorabiles. Prior est hæc pag. 290: *Cum Christus, in terra versans, miraculum ederet, Deus miraculum in rebus suis creatis operabatur.* Posterior vero pag. 292: *Maximus numerus miraculorum productus est per Servatorem nostrum Jesum Christum.* Aquam, cui Spiritus incubuit ante lucem primigeniam, existimat fuisse nebulam & vapores densiores. Provocat ipse ad librum suum *de Bespiegelingen pag. 195, 196, 214-218.* Cartesii opinionem de figura particularum aquæ videtur repudiare. Diabolum designari per serpentem *Gen. III, 1,* opinatur pag. 307. Christum esse cogitationum humanarum judicem, arbitratur merito pag. 308. Hæreticos, qui errorum sunt convicti, insectandos & exagitandos esse, negat. Systema influxus physici, causarumque occasionalium, assensu haud dignatur, ratus, ad illud stabiliendum obrepere nobis ratiocinationem fallacem, hoc vero experientia esse adversum. Realem manducationem & bibitionem corporis sanguinisque Christi haud admittit, substituens spiritualem. Figuram particularum varii metallorum generis methodo *Cartesiana* definit. Eandem operam perciclitatur in determinanda aquæ figura, laudans simul *Hartæckeri* opinionem pag. 449. Qui fieri potuerit, ut in regionibus, *Jobo* vicinis, nix & grandæ fuerit coorta, exponit. Venti genesin describit. Initia melioris vitæ hominum deducit ex regeneratione. Addit: *Preparatio, ut homo capax reddatur perfruendi vita meliori, inest hominibus cunctis.* Sententiam hanc suam it comprobatum ex *Jo. I, 4-9,* ac *Rom. II, 15.* Ex quorum locorum collatione patescit, Autorem conscientia præcepta habere pro luce universali. Locum priorem *Knorrius de Rosenroth* in *Harmonia Evangelica* haud aliter exposuit. Credimus, eam expositionem loci *Joannei* arrisisse Autori, eo quod haud admittit gratiam universalem. Conversionem peccatoris exponit per reditum in statum regenerationis, non vero per initium gratia, cum homine communicata. Statum globi terraquæ generatim exponit pag. 505 seq. Vocem *hinc* de statu defunctorum recte accipiendam monet. Triplicem Oceani motum accurate repræsentat pag. 509 seq. Cetos *Jobo* fuisse ignotos, existit-

Pag. 296.

297.

398.

415.

438.

481.

489.

498 seq.

560.

existimat pag. 571. Naturaliter carere hominem notitia salutari,
 nisi Spiritus S. mentem expurget, orthodoxe arbitratur. Nos
 Pag. 600. ex Adamo esse homines psychicos, non spirituales, docet pag.
 622. Deum solum esse causam independentem, recte decernit
 pag. 632. Systema Socinianorum de justificatione peccatoris co-
 ram Deo, rotunde rejicit, idque exitio esse doctrinæ Christia-
 næ, distincte docet. Dogmata moralia, & notas philologicas,
 ubique deprehendimus, sua luce radiantes, in quibus recen-
 sendis noluimus esse longi. *Spinozismum* vel *Socinianismum* ab
 Autore procul fuisse, non inficiari debemus. Singulares ejus
 opiniones studiose enotavimus, librumque omni cura, Deum
 reverentes, perlegimus. Suspicio nobis inceserat, Autori
 arridere sententiam de verbo interno, quod externo putave-
 rit oppositum. At lectio, ad finem perducta, nos docuit, ver-
 bum id internum esse conscientia communi effectum ac præ-
 ceptum. De miraculorum indole videtur ita disputare, ut
 cum *Spinoza* ei conveniat. At videtur saltem. Contendit enim,
 miracula non esse contra naturam, nec Deo aliter possibile, ac
 eventus naturales. Ex hoc ejus scopo & philosophia *Cartesia-
 na* sunt ea exponenda, quæ de miraculis, eorumque indole,
 scripsit. Singularis est sententia, quam exposuit de depreca-
 tione Christi pro nobis cœlesti. Potest tamen ea dextre ex-
 plicari, dummodo expectatio Christi, qua hic a patre expe-
 tit destructionem regni tenebrarum, ac devictionem hostium ec-
 clesie, latius explicetur. Resolvitur enim hac ratione inter-
 cessio Christi in preces reales ac desiderium salutis suorum. Nec
 tamen inficiamur, latius & accuratius debuisse Autorem hæc
 edisserere. Quæ de *Spiritu Christi* attulit, exponenda sunt
 per effectum Spiritus seu amorem in animis fidelium, ne ea
 repugnent doctrinis, quas Autor in aliis dedit & proposuit libris
 suis. Singularis quoque est illa Autoris sententia de corpore
 Christi cœlesti ac lucidissimo, in rerum primordiis assumto,
 vel jam existente, pag. 177. At illa hypothesis sic est com-
 parata, ut sua levitate concidat, nec quemquam, qui sacri
 Codicis est studiosus, in avia possit abducere. Si credidit ipse,
 Christum circa vel ante mundi exordia fuisse creatum, in nu-
 mero

mero *Arianorum* is erit collocandus. At de Christo, quatenus hic est substantia spiritualis, haud injecit ullam creationis mentionem. Et hanc quidem ob causam non possumus, quin vereamur ipsum in *Arianorum* numero habere, siquidem vestigia non suppetunt certa, quibus accusatio illa possit iniri. Ne vero mortuis aliquid affingamus, quorum verba calamis aliorum fuerunt excepta, & ipsis haud inspectantibus, in literas typosque redacta, prohibemur vacuitate a partium studio, & eis, quæ debemus mortuis, justitiæ pietatisque officiis. Auctori placere sententiam, quæ, Deum esse *trinum*, demonstrat, discimus ex *P. II pag. 241*, ac eo ipso convincimur, ipsi omnem *Arianismi* suspensionem esse detrahendam. Ex nostro si res arbitrio ageretur, tradendus hic liber in manus eorum omnium esset, qui cœlestium doctrinarum expositione solida & accurata delectantur.

Juvat nunc ad *Partem secundam* progredi, cujus plagulas priores 35 diligenti lectione expendimus. Insectari Christum non solum Romanæ ecclesiæ, sed etiam aliquot ecclesiæ Protestantium, studiosos, Autor tradit. Vim centrifugam corporum totalium attingit *pag. 12 seq.* Jus hominis docet esse æqualem distributionem proprietatis singulorum. Æqualitatem illam a proportione arcessit. Notat Protestantes illos, qui, licet doceant, quemque oportere fide sua vivere, dissentientes tamen insectentur. Licentiam sentiendi merito repudiant Protestantes; ac eapropter cavendum est unicuique, ne, ommissa prudentia Christiana, evulgatione sententiarum minus solidarum in societatis suæ salutem peccet. Christum esse stirpem rerum creaturarum probarum, Autor docet. Stilum præcorum mortalium hieroglyphicis fuisse plenum, existimat. Beatitudinem augeri posse negat, ratus potius, eam esse constantem & sempiternam. Deum solum esse sapientem, ostendit. Philosophi genuini Deum in singulis ejus operibus cognoscunt, Autoris ex sententia. Terra dicitur moveri ex loco suo, quemadmodum traditur *Job. IX, 5, 6*. Movisse Deum in hexaemero & diluvio tellurem a meditullio corporum mundi planetarii, circa solem expansi, putat, addens, die novissimo tellurem a Deo quartum isi motum. *Cartesio* assensum denegat, suspicam-

P. II
pag. 9.

17.
27.

209.

78.
108.

115.

- susplicato, tellurem ante hexaemeron fuisse stellam fixam, si-
quidem stellæ demum quarto die fuerint divinitus productæ.
Thomæ Burneti sententiam de statu telluris antediluvianæ refel-
lit satis solide. Largitur tamen, terram ita sese habuisse tunc
- Pag. 123. ad solem, ut æquinoctium eam coverit perpetuum, terræ po-
lis vicinæ fuerint inhabitabiles ac inhospitæ, pluvixque & iridi
locus haud fuerit. Ad formam telluris quartam trahit loca
130. *Apoc. XX, 11, XXI, 1, 2 Petr. III, 13*, ac subjungit adhortationem
136. *Petri 2. 11*. Astrolatriam esse verustissimam, docet. Systemata
mundi diversa curate recenset. Solem in cælo stare, sibi per-
suadet, non recordans macularum solarium, quæ, solem extra
151. citraque centrum suum æque moveri, indicio sunt. Certiores
vero esse Codicis sacri veritates omni scientia astronomica, tan-
dem affirmat. Filium Dei esse secundam hypostasim, ac dici
153. *verbum Jo. I, 1-3, 14, Apoc. XIX, 11-13, & sapientiam 1 Cor. I, 24*,
perspicue docet. Arbitratur præterea, Christum quoque ap-
pellari *verbum vivum & perenne Dei 1 Petr. I, 23*. Systema *Co-*
pernicæ haud repugnare literis sacris, studiosè ostendit. Ea
155. Dei virtus, qua causam sui haud habet infinita illa essentia,
complectitur id quoque, ut ea sit triuna. Ita sentit Autor, li-
cet haud ostendat, quomodo ex notione necessitatis, condi-
tionibus cunctis vacuæ, limitibusque liberæ, intelligi possit tri-
nitas Numinis supremi. Idem *Socinianus* repudiat, eosque fin-
gere sibi de Deo ob perversas suas opiniones non nisi ideas cor-
poribus respondentes, & inconvenientes Deo, pronuntiat. So-
lis ortum & occasum esse optice intelligendum, comprobatur
161. inter alia ex *Act. XXVII, 27*. Miraculum *Josua & Achasi* ex-
ponit ex utroque systemate. De cælis haud unis doctè disse-
rit. Per Christum hoc universum esse creatum, liquido affir-
mat. Ursam utramque, Orionem, Pleiadas, stellasque poli
190. australis, *Jobus IX, 9*, memorat, id est, stellas fixas, a borea ad
197. austrum patentes. Autor numerat 1402 asteriscorum stellas.
Progressum fixarum ab occasu in orientem credit esse apparen-
tem haud secus ac *Newtonus*, explicandum ex annua solis ad
199. 51 secundas retardatione, vel potius terræ ipsius annua cuncta-
tione, id est, motu, citra 51 illas secundas finem anni attinge-
nte.

gente. Dubitat, an satellites omnes planetarum solarium no- **Pag. 209.**
 bis sint cogniti. Res creatas rationales in sola telluris
 superficie dari, improbabile arbitratur. Videtur eo traxisse **210.**
 locum *Eph. 1, 10.* Tellurem die extremo flammis expurgatum
 iri, ac indolem stellæ fixæ suscepturam, suspicatur, respiciens
 ad *Apoc. XXI, 18-21.* Repudiat *Spinozam*, unicæ substantiæ sta-
 torem, *Anaxagoræ* principium, ac mysticam rerum omnium **217.**
 ex Deo emanationem. *Cartesii* mundum infinitum seu indefi- **219.**
 nitum haud amplectitur, sed eum refellit. Negat, stamina
 corporum in infinitum esse individua. Negat etiam, mundum
 esse æternum, ac refutat *Spinozam*. Hominem ex Deo ema- **223.**
 nasse, vel in ejus essentiam resluere, negat *pag. 228.* Cum Deus
 dicitur *ire & progredi*, id de progressu operum, a Deo facto- **233.**
 rum, exponendum esse, tradit. Locum *Mat. III, 1, & Jof.*
XL, 3, de Christo exponit. Cum dicitur, Deum trium de
 filio *suo* testimonium coelitus perhibuisse, in voce *suis* videtur
 nævus insedisse typhoteticus. Hominem esse devinam ad **241.**
 Deum colendum, Christum pro hominibus intercessisse, obe-
 dientiam præstitisse, & acerbissima quævis passum esse, homi-
 nemque per fidem in Christum mediatorem justificari, ac per
 sanctimoniam corroborari, egregie docet. Veretur tamen doce-
 re, Deum cum Christo ab æterno per consilium pacis pactio-
 nem de homine redimendo iniisse, negans etiam, Deum cum *Adamo*
 foedus operum instituisse, si pacta illa proprio sensu accipiamus.
 Foedus gratiæ, homines inter & Christum firmatæ vel firmandæ, **243.**
 proprie esse exponendum, negat. Rem ipsam haud vocat in
 controversiam; *τρόπον παιδείας* suscipere recusat, cautus,
 eum pugnare cum notionibus, quas de attributis & perfectio-
 nibus tenere decet, atque cum Dei natura, qui homini nihil
 debet, nec ab homine aliquid accessionis perfectionum acquirit.
 Monet, Deum dici *raperi*, cum gentes direptionibus subjicit **248.**
 perpentiendis. Iræ, quæ Deo in sacris literis tribuitur, expo-
 nit de pœna divinitus immisâ, ac de destinatione puniendi ma-
 lignos. Appellari Deum & Christum improprio sensu *judicem*, **252.**
 putat, largiens tamen, in eo convenire Deum cum iudicibus

humanis, quod ipse bona bonis rependat, & malos puniat. Pios
 Pag. 266. existimat divinæ naturæ reddi participes, non per creationem
 novam, sed per unionem ac assumptionem mentis, Deum imi-
 tatis. Omisimus maximam partem ea studiose & opera data,
 quæ Autor cum reliquis Theologis vel Philologis Philosophis-
 que habet communia, & quorum plenæ sunt pagine universæ.
 Decerpimus ea potissimum, quæ sunt singularia, Lectorique
 nihil eorum dissimulavimus, quæ Autorem a criminis *Spinozi-*
stici ac *Sociniani* suspicione absolvunt. Si qui existimant, Au-
 toris defuncti hoc scriptum vel *Spinozismum*, vel *Arianismum*, vel
Socinianismum, redolere, eos volumus exoratos, ut loca con-
 sulant, in quibus ex professo Autor docuit contraria omnia,
 nec ea omittant, in quibus maligna *Spinozismi* fundamenta fue-
 runt repudiata ac confutata; in quibus *Socinianismus* est pro-
 stratus; in quibus trinitas, ejusque æternitas, & independens ne-
 cessitas, fuit asserta; in quibus genuina ecclesiæ sententia de ju-
 stificatione & sanctitate hominum est exposita; in quibus sen-
 tentiæ *Cartesii* fuerunt exploræ. Id vero insicari haud lubet,
 Autorem nonnunquam nexos & vitia doctorum ecclesiæ mali-
 gnorum notare, & sale Apostolico defricare. *Joannes Lassenius*,
C. M. Psaffius, aliique, eandem tundunt incudem, nec ea
 propter fastidiuntur, nedum hæresium coarguantur. Si qui
 mirantur, Autorem defudasse in tradendis doctrinis astronomi-
 cis, geographicis, ac philosophicis, eorum admiratio cessabit,
 simul atque animadverterint, ad librum *Jobi* dextre intelligen-
 dum prædiis illis omnino opus fuisse.

JO. F. W. PAGENSTECHEI, A. A. F. JCTI,
in illustri Præpotentium Ducatus Gelrie & Comitatus
Zurphanie Ordinum Academia Provinciali Juris Publici
& Privati Professoris Ordinarii, Selectæ Juris Quæ-
stiones, in quibus multæ Leges nove conciliantur, illu-
strantur, & emendantur; additis Notis nomico-
philologicis, usu practico, & Indice.

Hardenovici, apud Guil. Brinkink, Bibliopolam, 1736, 4.

Plag. 22.

Tam fecunda diffidiorum Jurisprudencia est, ut plures jam habeamus & libros, & minora opuscula, quibus Jus controversum exponitur. Noti sunt inter omnes, qui, quid magnæ rei gestum sit in civitate literaria, non ignorant, celeberrimi nominis Viri, *Eckii, Bergeri, Meuckenii, Cocceji, Schulzingii, Rivini*, alique forsitan plures, qui hæc ipsa in re laudabilem operam poluerunt. Eorum se numero adjunxit aliquo abhinc tempore Clariss. *Pagenstecherus*, & producta in lucem *Jurisprudencia polemica*, satis ostendit, quanto studio auditores suos certa legum scientia imbutos, & ad infringendas aliorum objectiones esse promptos, velit. Quod cum ex voto cessisse videatur, stimulatam ideo Virum optimum con-jicimus, ut has *Juris Questiones*, quæ Lectoribus nostris nunc indicantur, priori Opusculo comites aggregaret. Quæ ipsæ autem an *selectarum Questionum* nomen omnes mereantur, forte dubitari potest. En hic singularum indicem! Disquirat scilicet Consultissimus Autor Quæst. I, *an sponsalia de presenti sint verum matrimonium*; Quæst. II, *an libri Studiorum, in museum illati, locatori, pro pensione & damno, obligati sint tacito pignori*; Quæst. III, *an pecus alienum, in agro nostro deprehensum, includere, & donec de damno satisfiat, retinere liceat*; Quæst. IV, *num Imperator Caracalla autor sit Constitutionis de Civitate cum universo orbe Romano communicata, in l. 17 D. de Statu hom.*; Quæst. V, *an tutor, ob latam culpam a tutela remotus, fiat infamis*; Quæst. VI, *an mala fides superveniens excludat actionem Publicianam Jure Civili, vel Canonico*; Quæst. VII, *an, ovium usu legato, usufructus etiam lacte, agnis, & lana, utatur*; Quæst. VIII, *an filii vel filie appellacione & posthumus & posthuma contineatur*; Quæst. IX, *an legitimatus, una cum filiis suis, jure representationis succedat avo, si legitimatio a patre facta est per Comitem Palatinum, filiis infans*; Quæst. X, *an mater in tutela legitima præservatur omnibus cognatis, etiam avo paterno*; Quæst. XI, *an impossibilis conditio in ultimis voluntatibus pro non adjecta habeatur*; Quæst. XII,

an bona fidei possessor tam naturales, quam industriales, fructus suos faciat consumtos; Quæst. XIII, an emtor rei locatæ conduttorem ante tempus locationis finitum possit expellere; Quæst. XIV, an juramentum calumniæ præstandum sit a parentibus & patronis; Quæst. XV, an minor XXV annis, septendecim tamen major, possit esse procurator ad lites; Quæst. XVI, an sponsores super rebus honestis iniuræ valeant; Quæst. XVII, an spurius a patre suo possit hæres institui; Quæst. XVIII, an per matrimonium avi cum concubina legitimeretur & nepos; Quæst. XIX, an Doctoratus dignitas liberet a patria potestate; Quæst. XX, an plebejus, a nobili adoptatus, fiat nobilis; Quæst. XXI, an pecunia lustrica pertineat ad peculium profectitium; Quæst. XXII, an monstra inter homines computentur; Quæst. XXIII, an liberi ex hæredati connumerentur, seu partem faciant, in computatione legitimæ portionis, ad eam augendam, vel minuendam; Quæst. XXIV, an vestimenta ad quasi usumfructum pertineant. Plerasque harum Quæstionum affirmat, variisque corroborat rationibus, & deinceps ad ea, quæ objici forte possent, dubia respondet Autor Clarissimus. Et sane, si dicendum, quod res est, non pauca in hoc Opusculo leguntur, quæ doctrinam haud vulgarem spirant; nec tamen inficias ire possumus, multa etiam hic occurrere, quæ nos quidem non adjecta vellemus. Quo in iudicio nostro ne quis fundamentum desideret, provocamus saltem ad pag. 46 in nota, pag. 76 in nota, & pag. III, ubi itidem in subjuncta nota ex *Gatzio de Nummis P. I pag. 247* refert Autor, nomen urbis *Jena* quosdam facere derivare a *johnen*, Belgice *gapen*, quod Studiosi ibi plus oliscunt, quam studeant, item a *gebenna*, quod ut diaboli in *gebenna* tumultuentur. Parum, ni fallor, prudenter hæc sunt prolata. Præterquam enim, quod hæc talia nemo facile in *Selettis Juris Quæstionibus* expectaverit, justo etiam durius de civibus *Academix Salanzæ Gatzius* sensit, cujus non videbatur probandum, neque etiam repetendum, iudicium. In omnibus certe *Academiis*, & quidem in *Harderovicensi* inveniuntur Studiosi, suarum immemores partium; sed quis collegerit inde, nullos prorsus inter hos exstare melioris indolis juvenes, qui diligenter literas tractent,

eractent, & Academiæ, quam colunt, honorem præclara æque industria, ac suavitate morum, sustineant? Nos ceteroquin ex animo precamur, ut doctissimus *Pagenstecherus, Huberi, Noodtii, Schultingii, Bynkershækii*, aliorumque excellentium in Belgio JCorum, vestigiis strenue insitens, & Auditoribus suis, &, si hoc liceat, toti eruditorum ordini, diutissime proficit.

**COMMENTARIUS DE CANCELLARIIS REGNI
Poloniæ, editus a GEORG. PETRO SCHULTZ.
Accedit REIN. HEIDENSTENII Cancellarius, sive
de dignitate & officio Cancellarii re-
gni Poloniæ.**

Dantisci, apud Georg. Marc. Knochium, 1742, 4.

Alph. 1 plag. 4.

Amplissimam Cancellariorum Poloniæ dignitatem erudita Dissertatione, cujus hoc loco notitiam Lectori dabimus, Cl. Autor copiose exposuit. Dicata ea est Illustrissimo & Reverendissimo *Zaluski*, magno Poloniæ Cancellario, qui cum literas in Polonia nunc unus omnium maxime adjuvet, ornet, foveatque, cultissima ingenia magis in dies excitatum iri auguramur, ut, excussio, si quis adhæret, torpore, iis sacris strenue operentur, quibus a tanto Mæcenate honorem haberi singularem, vident & exultant. Cujus in optima studia patrocini insignis, ut alia nunc taceamus, testimonium est Bibliotheca illa instructissima, & quasi respublica ingeniorum, quæ, fore, ut propediem eruditus pateat, compertum habemus. Cancellarios Poloniæ, scriptores perhibent, a *Boleslao* Rege primum institutos esse; alii a *Przemislao* repetere malunt. Et Seculo quidem undecimo unicus fuit, successu autem temporis qualibet provincia Cancellarium habuit. Quorum auctoritas cum ita excrevisset, ut ipsis Regibus gravis timendaque videretur, ab *Alexandro* Rege Vice-Cancellario aequalis potestas concessa fuit. Solum Sacerdotes hoc olim munere sancti sunt, cum nemo præterea literarum studiis illa ætate initiari esset. forte etiam veterum Germanorum, qui Druidis, cum sacrorum cura, lites definiendas commenda-

hant, imitatione. A *Sigismundo* vero, precibus Nobilium moto, postea statutum fuit, gravissimo officio Secularem & Clericum alternis vicibus præficiendi, primusque, *Uludislaus* regnante, *Clemens Moscorovius* ei admotus fuit. *Alexandri* decretum, A. 1504 editum, quo Cancellarii & Vice-Cancellarii, Gnesnenses, Cracovienses, Vladislavienses, Posnavienses, Varmienſes, ac Plocenses Episcopi, aut Palatini electi, abdicare se illo munere tenentur, non perpetuo observatum esse, vetera æque ac recentiora *Jo. Zamofcii*, *Tyllicii*, *Andr. Chrysoſtomi Zaluskii*, exempla declarant. *Sigismundus* tamen primus summorum virorum in rempublicam merita illa dignitate compensare, eosque ad altum hoc fastigium evehere, maluit. Ita *Georgius Oſſolinskius*, a Leudomiriensi Palatinatu decedens, regni Procancellarius appellatus est; Vilnensem Palatinatum *Michael Radzivil* cum illo munere commutavit. Abire autem ab eo *Laurentium Gembicium*, ad Vladislaviensem sedem evectum, coactum esse, *Chalcovius* memoriæ prodidit; tristius tamen *H. Rostziejowski* fatum fuit, de quo *Cochovius Cl. I Lib. III* consulendus. Cancellariorum electio ab arbitrio Regis, auditis Senatorum & Consiliariorum sententijs, unice pendet, idque in generalibus comitijs pe. agendi mos est, quanquam non desint, quibus extra Comitium munus illud demandatum est. Ita *Mich. Radzivilius*, *Wydzga*, *Georg. Oſſolinskius*, eam Regi potestatem concessam esse, suo exemplo comprobarunt. Qua ætate in Senatorium ordinem Cancellarii alleſti sint, non convenit inter eruditos, & *Piaſejum*, anno demum 1569 id contigisse asserentem, copiose *Hartknobius*, contutavit. Illum tamen secutus *Zaluszowski*, separatim ipsos, in extremo Coronæ confessu, & velut ad clavum reipublicæ, sedere, ait, deque illo ordine sedenti eundemque orta aliquando inter Mareschallum curiæ, & Cancellarios, contentio, ab *Uludislaus* Rege, ultimum, hinc in Senatu locum assignante, dirempta est. Cancellarium, collatis Senatorum suffragiis, Rex ipse, aut per Mareschallum, appellat, sigillum majus tradit, publicoque juramento obstringit; Sigillum minus Procancellario confertur. A Rege Cancellarii in literis illustres, in Constitutionibus regnã utplu-

ut plurimum Magnifici, a civitatibus Prussicis, si Episcopi, Illustrissimi, Reverendissimi, & Excellentissimi, si Seculares, Illustrissimi & Excellentissimi, appellantur; Episcopus Varmien- sis, vel alii Principes Imperii, Celsissimi Principes salutantur. Eorum munus est, missos ad Rempublicam Legatos excipere, re- sponsa dare, Regiis Legatis negotia committere, consilia publi- ca in Senatu auspicari. De quibus copiosè disserens Clariss. Au- tor, Cancellarium in *Judicio Regio assessoriali*, cui præsidet, solum jus dicere, causas Prussicarum civitatum, per appella- tionem a judiciis ordinariis ad illud delatas, dirimere, ac de iis decernere, observat. *Majores civitates* jus antiquum, ab illo assessoriali ad *relationum judicia* appellandi, retinent, cum de earum juribus ac privilegiis disputatur. Literas, in perga- meno & charta exaratas, salvosque conductus, quos vocant, dare petentibus solent Cancellarii; quibus cum interdum *Regia manus deesset*, Rex *Sigismundus Augustus*, ut memoriæ pro- dit *Rein. Heidensteinus pag. 26*, eum morem primus sustu- lit in Comitibus, nullam se donationem, aut similes literas, qui- bus non ipse subscripsisset, ratas habiturum esse, professus. Penes ipsos librorum & regestorum Cancellariæ, majorisque & minoris Sigilli, custodia est, de quorum vario usu loca Scripto- rum Polonicorum Cl. Autor adducit. Principum rerumque publicarum Legatos accipere Rex & audire, nisi contentienti- bus Senatoribus, Marschallis imprimis & Cancellariis, nequit; ad Rempublicam vero missi Regi, Senatoribus, & Equestri ordi- ni, ternas literas tradunt in Comitibus, ubi nomine Regio Can- cellarius, nomine Senatus primus ex illo Ordine, nomine Equitum *Marschallus nuntiorum terrestrium*, ut vocant, re- spondet. Comitibus, bis Varsaviæ, & semel Grodnæ in Lithua- nia, celebranda, Cancellarii nomine Regio indicunt, tempus locumque designant, in eorum auspiciis *Marschallo nuntiorum terrestrium*, ad Regem, in folio sedentem, verba facienti, re- spondent, sigillo, quæ de statutis legibusque inter *nuntios ter- restres* convenere, muniunt & obsignant; si qui ad munera, Senatorum commendatione, a Rege evecti sunt, renuntiant. Burgenvii, qui Thoruni & Elbingæ pacem publicam defen- dunt,

608 NOVA ACTA ERUDITORUM

dunt, inque Scabinorum iudicio, dum capitales sententiæ præleguntur, principem locum tenent, ante annum electionis diem per literas, e Cancellaria missas, nominantur. Dum civitates Prussiæ *maiores* fidem jurejurando præstitere, non raro Cancellarii pro Rege adfuerunt. *Commissiones*, seu *Judicium Recuperatorium*, in Polonia, de quo fusc Cl. *Lengnickius* egit, constituunt; *Sensusconsulta*, qua occasione, & a quo lata sint, ad perpetuam rerum memoriam in publicas tabulas referre solent; Regem in itineribus & bellicis expeditionibus comitantur, & quod *Zamoscii* exemplum declarat, interdum pro patria pugnant. Ducatum Curlandiæ & Electoralis domus Brandenburgicæ terras Lauenburgo-Butorenses, Regis loco, conferunt. Cum Equites aurati & aquilæ albæ solenni ritu creantur, varia ipsorum munia sunt; adde, quod nonnulli legationibus apud externos functi commemorantur. Tempore interregni Primatis lateri, omnium consiliorum conscii, adhærent, Regis electionem per literas, ipsius nomine scriptas, & sigillo natalicio signatas, Principibus nuntiant, ipsum Cracoviam ad coronationem comitantur, argentea sigilla, dum funus regium ducitur, frangunt, & sepulcro injiciunt. Præter Cancellarios *Secretarii majores*, unus regni, alter M. Duc. Lithuanicæ, ad quævis arcana consilia adhibentur. *Referendarii* supplices literas Regi proponunt, comitialibusque decretis subscribunt. In fine Dissertationis Cl. *Schultzius* Cancellarios, qui eruditis Operibus de posteritate præclare meruerunt, quos inter *Zamoscius* ille eminet, ordine recenset. Inter Documenta & Augmenta, *Joannis III* literas de Cancellariorum officio, series eorum & Procancellariorum excipit; subjiciuntur Cerimonie Investituræ in Curlandiæ Ducatum, singularia Cancellariorum, a *Rudgero von Herß* & *Adamo Nuramowski* collecta, *Lubiensii* Parænesis ad *Thomam Zamoscium*, dum regni Vicecancellarius crearetur, & *MSta* Chronologia Cancellariorum & Procancellariorum Poloniæ & M. D. Lithuania.

Rein. Heidensteinii liber de *Cancellariis Polonia*, nitide & eleganter scriptus, & *Laur. Gembicki*, Cancellario, dicatus, *Braunsbergæ* primum A. 1610 impressus fuit. Copiose de officiis

ois Cancellarii, &, quibus studiis instructus accedere ad illud munus debeat, tractat, obiterque nonnulla de scribis apud Græcos & Romanos, & qua lingua publica scripta exarari debeant, disquirat, seque ad Jus Prussicum emendandum e suo Palatinato missum esse, memorat.

JACOBI THEODORI KLEIN HISTORIÆ PISCIIUM naturalis promovendæ *Missus primus, de lapillis, eorumque numero in craniis piscium, cum Præfatione de Piscium auditu. Accesserunt 1) Anatomie Turfionum; 2) Observata in capite Raja.*

Gedani, literis Schreiberianis, 1740, 4 maj.

Plag. 5, Tabb. æn. 6.

In colligendis & explicandis rerum naturalium thesauris indefessus semper fuit Cel. Autor, & fervorem suum in promovendo hoc studio luculentis speciminibus satis superque declaravit. Nunc partem historię animalium, piscium scilicet doctrinam, suis observationibus illustrare, & methodi rationem accuratius perquirere, suscipit. Eo majores igitur eidem habendæ sunt gratiæ, quo major est labor, quem indagatores regni animalis subeunt. His enim absõna & ridicula veterum & recentiorum commenta, in descriptionibus & iconibus expressa, pervestiganda, ipsa animantia vel rædiõso labore, vel sumtibus non vulgaribus, colligenda, studiosus examinanda, iconibus illustranda, cum aliorum descriptionibus conferenda, & nomina, quæ diversi Auctores illis imposuerunt, sub judicium vocanda sunt, si hanc Historię naturalis partem indigestam expolire, & ampliorem efficere, ipsis est constitutum. Præstabit hoc Cel. Autor in historia piscium, & multa jam præstitit in *Missu* hoc primo, in quo lapillos, & numerum eorum in craniis piscium, examinavit, & de auditu piscium præfatus est. Pisces dicit animalia apoda, pinnis natantia, & ita eosdem a serpentibus, amphibiiis, & omnibus animalibus testaceis, distinguit. De auditu piscium cetaceorum, quippe qui interna pleraque organa cum quadrupedibus communia ha-

H h h

bera,

bent, passim apud Autores nonnulla commemorantur; sed de sic dictis cartilagineis & spinosis res magis obscura est. Anceps fuit *Cel. Rojas*. Licet enim testimonia de piscibus ad sonum campanæ accurrentibus ex aliis adducat; tamen de organo auditus in his piscibus nec ipse, nec *Willughbeus*, aliquid certi pronuntiant. Adducuntur alia quoque de piscibus ad certum sonitum congregandis testimonia, *Plinii*, *M. A. Severini*, *Rondeletii*, & ipsius Autoris, sed, qua parte audiant pisces, non certo constat. *Severinus* quidem post *Jul. Casserium Placentinum* lapillos, sive ossicula, pro organis internis assumit, sed, meatum auditorium manifestum non esse, docet. Licet enim meatus invenerint indagatores; dubii tamen hæserunt, an olfactus, an auditus, organo adscribere hos debeant. Recentior quoque scriptor *Arædius*, *Suecus*, cetaceis meatus auditorios tribuit, reliquos vero illis carere monet, & ideo pisces tantum obscuro auditus sensu præditos esse asserit. Quamvis vero meatus auditorii ob summam subtilitatem in pluribus piscibus difficillime demonstrandi sint; tamen *Cel. Autor* ex testimoniis adductis concludit, pisces nec obtusius audire, quam reliqua animalia, sed æque perfecto auditu, sibi proprio, præditos esse, & simul illorum sententiam rejicit, qui asserunt, pisces non nisi exserto capite & aperto ore natantes audire. Hæc tractatio Autorem ducit ad considerationem lapillorum, in craniis piscium deprehensorum. Dicuntur Ichthyolithi, quoniam ad substantiam quasi siliceam accedunt, pellucidi vel semidiaphani sunt, & ab antiquis inter gemmas referuntur, collisi sonum edunt, & facilius in pulverem rediguntur, quam ossa piscium, *Casserio* vero & aliis etiam ossicula audiunt. Extra dubium positum est, hos lapillos, tanquam partes constitutivas, intra cranium piscium arte colligatos cum cerebro, generari, & licet figuris quam maxime ludant, tamen lapillos ex piscibus unius familiæ maximam inter se habere figurarum affinitatem. Modum fiendi, vel generationem, talium lapillorum, aliorum judicio relinquit Autor, ipse tantum observationes de lapillis, eorumque numerum, & nonnulla phænomena circa illorum investigationem obvia, annotare suscipit. Antequam vero suas observationes exponit,

ponit, veteres æque ac recentiores Autores adducit, qui lapillos hosce, eorumque virtutes, descripserunt. Omnes duorum tantum mentionem injiciant, & *Casseri* solus tres observavit, quem aliqua ex parte secutus est *Severinus*. Ipse Autor primum non nisi duos lapillos collegerat, inventa vero *Casseri* observatione studiosus disquisivit, & os, quod ille lenticulare dixit, sive tertium par, in Cobitide fluviatili, minore pisce, & in majoris & minoris *Lucii* capite quoque, deprehendit. *Fusus* postea describit, quæ in dissectione capitis *Lucii* majoris æque ac minoris ipsi obvia fuerunt, & in primis cerebri situm, facculos, sive vesiculas, in quibus lapilli inveniuntur, & foramina cranii, accurate describit, & delineata exhibet. Lapillos quoque, in aliis piscibus observatos, addit, e. g. ex *Salmonibus*, *Trutta*, *Thymallo*, *Harengo*, *Afellis*, aliisque pluribus. Caput vero *Sturionis* & *Mustelæ* maculosæ accuratius examinat. Quoniam autem ex nonnullis piscibus tantum unicum vel duos lapillos delineaverit, supplementa horum, nec non lapillos ex aliis piscibus delineatos, promittit. Huc quoque spectant lapilli ex *Umbra* pisce, & lapides *S. Petri*, quos ideo *fusus* examinat, & sententias variorum Autorum, suæque observata, exponit. Tandem, Appendicis loco, anatomen *Turfionis*, sive *Phocænæ*, maris & foeminæ, exhibet, & præterea observationes in capite *Rajæ* addit, omniaque observata non tantum studiose describit, sed & elegantissime delineata sistit.

JACOBI THEODORI KLEIN HISTORIÆ
Piscium naturalis promovendæ Missus secundus, de Piscibus, per pulmones spirantibus, ad justum numerum & ordinem redigendis. Accesserunt singularia 1) de dentibus Balenarum & Elephantinis, 2) de Lapide Manati & Tiburonis.

Gedani, literis Schreiberianis, 1741, 4 maj.

Plag. 5, Tabb. æn. 4.

In animalium, in primis piscium, historia eruenda naturam nimis implicatam esse, cognoscimus, ita, ut non facile absolvi possit,

Hhh h 2

possit,

reliquum corpus adeo parvum viderur, ut acephalus videatur. Os non nisi unico & exserto dente armatum est, hinc recte *Monodon Artedi* dicitur; hic vero est mediæ magnitudinis. Delphaces, sive Porcelli, capite in rostrum porcinum exeunte ore in utraque mandibula dentato, conspicui sunt, præterea quoque tripennes, & ultimæ magnitudinis, deprehenduntur. Familiæ Balænarum, ore vel edentulo, vel dentato, genera a qualitate dorfi desumuntur. Scilicet

- I. Edentulæ
 1. in dorso lævi apinnes.
 2. in dorso gibbo apinnes.
 3. in dorso pinnatæ.
- II. Dentatæ.
 1. Dorso lævi apinnes.
 2. Dorso lævi pinnatæ.
 3. Dorso gibbo apinnes.
 4. Dorso gibbo pinnatæ.

Ad hanc methodum Autor noster disponit omnes species, & cuncta ex probatis Autoribus adducit, quibus hæc illustrari possunt. Non omnes tamen Balænarum species describit, sed illas tantum, quas cum aliqua fiducia assumere poterat. Suadet interim, ut illi, qui cum classibus venaticis excurrere solent, attendant ad omnia externa Balænarum signa, ut mensuras partium attendant; nam ex his observationibus maxima incrementa sumturam sperat historiam piscium. Progreditur porro ad piscem *Narwhal*, qui unico dente prælongo, in sinistra superioris mandibulæ parte per gompholin inserto, gaudet, & a nonnullis immerito cornu nuncupatur. Hic unicus viderur esse in suo genere, nisi ex quibusdam imperfectis descriptionibus alterum assumere vellemus. Delineatio & descriptio accuratior piscis, in Museo Regio Dresdensi asservati, additur. Tandem & Delphaces, sive porcellos, describit, qui pinguedine lardoque porcos terrestres superant, non tamen cum Balænis & Narwhale comparandi sunt. Exhibet hic tria genera inferiora: *Orcam*, cujus caput in rostrum porcinum sinum exit; *Delphinum*, cujus caput in rostrum porcinum rectum protenditur; *Tursionem*, sive *Phocænam*, rostro recto, brevi, & obtuso, gaudentem. Omnia vero, quæ exponit, & egregiis descriptionibus & iconibus

illustrat, & probatissimorum Autorum asserta non negligit. Veniam tamen se impetraturum confidit, quod plurimas, ab Autoribus descriptas, Balænas, vel tanquam suspectas, aut nondum fatis notas, vel tanquam plane alienigenas, neglexerit.

In Appendice I) de dentibus Balænarum & elephantinis differit, ex illis quidem varios, hinc inde ab Autoribus observatos, describens, dubitans tamen, an dens Balænae fossilis unquam repertus fuerit. De dentibus elephantinis vero fusius agit, varios, ab Autoribus hinc inde adductos, describit, & simul internam eorundem structuram aliquo modo perlustrat. Controversiam quoque tangit, utrum in diluvio vi fluctuum ex Indiis fuerint deportata cadavera, & variis in locis deposita; an vero post diluvium originem suam vel populorum expeditionibus bellicis, vel migrationibus, debeant. II) de lapide Manati & Tiburonis agit. Manatus perperam ad pisces cetaceos, melius ad Phocas, refertur; Tiburo vero, vel Tiburonus, male ad vitulos marinos refertur, sed est piscis, & quidem Galeorum omnium maximus, qui canis carcharias sive Lamia *Rondeletii*, *Gesneri*, &c. appellatur. Hinc cognoscitur, manatum & tiburonem diversa animalia esse. Cel. Autor itaque fovet sententiam, lapides Manati esse ossa petrosa animalis descripti, monet vero, inde concludendum non esse, animal Manati piscem cetaceum esse, quod paria cum Physeteribus habeat organa auditus, alias enim omnes etiam Phocæ & alia animalia cetaceis annumeranda essent. De Tuberonis lapidum numero Autores non conveniunt. Alii unicum, alii duos, alii tres, quatuor, & plures, numerant. Autor, ob convenientiam cum piscibus congeneribus, iisdem tria paria vel sex lapillos tribuit.


**JACOBI THEODORI KLEIN HISTORIÆ
Piscium naturalis promovendæ Missus tertius, de Piscibus,
per branchias occultas spirantibus, ad justum numerum & ordinem redigendis, cum observationibus
circa partes genitales Rajæ maris & Ovarium Galei.**

Gedanæ,

Gedani, literis Schreiberianis, 1742, 4 maj.

Plag. 8. Tabb. æn. 7.

Consideratis in *Missu secundo* piscibus, qui pulmonibus respirant, nunc ad illos, qui branchiis, iisque occultis, respirant, progrediendum est. In his spiracula pone caput vel lateralia, vel thoracica, deprehenduntur. Lateralia sunt vel unum, vel quinque, vel septem, thoracica vero constanter quinque. Sistit Tabula sequens dispositionem generum:



Hac Tabula exposita, Cel. Autor pisces hujus classis disquirat, nomina, tum generica, tum specifica, exponit, & synonyma, variasque Autorum observationes, addit. Nos quidem, speciebus relictis, generum dispositionem ulteriorem per characteres allatos tradere, & ita totius tractationis ideam exhibere, conabimur. *Cynocephalus* capite rostrato ore longitudinaliter fisso donatus est. Rostrum ejus os superat, & hoc scissura ampla conspicuum & valde dentatum est. Aliis *Canis*, *Lamia*, *Tiburo*, dicitur. *Galeus* capite rostrato, ore transversali pronò, gaudet. Nonnullis *Mustelus* quoque appellatur. *Cestracion* capite transversò, ore pronò transversali, gaudet. *Zygana* quoque nuncupatur. *Rhina*, capite depresso instructus, ore in extremitate posito. *Squatina* etiam appellatur. Hæc quatuor genera ab *Aledo* ad unum genus *Squali* reducuntur. *Batrachus* a similitudine cum Rana ita appellatur, & corpore quasi pedato

dato est; *Lophius Artedo* dicitur. *Crayracion* corpore est strumoso. Huc referuntur pisces corpore quocunque, modo strumoso, tumido, vel sufflato, donati, cute coriacea sæpius spissa & aridula, vel glabra, vel aculeata. Ob figuram etiam nonnulli *Orbes* aliis Autoribus dicuntur. *Ostracion* dixit *Artedus*, & originem nominis a testaceis animalibus derivat. *Caprifcus* corpore compresso differt a præcedentibus. *Conger* corpore tereti est donatus. *Anguilla* & *serpens marinus* synonyma sunt; *Murena* vero, ad quam ab *Artedo* hoc genus reducitur, peculiare genus constituit. *Murena* piscis est anguillaformis & pinnis branchialibus caret. *Lampetra* nomen apud pisces non reperitur. Hoc genus itaque cum *Artedo Petromyzon* dicit. Est piscis anguillaformis, cui ventralis quoque pinna deficit, ore in parte prona elliptico gaudet, & in medio capite foraminulum tubulosum habet. Ex piscibus, qui branchiis & spiraculis in thorace positis gaudent, *Artedus* unicum *Raja* genus constituit. Hi ut plurimum cartilaginei plani dicuntur, & eorum corpora, demta cauda, circum circa in pinnam attenuata sunt. Omnibus os & nares in prona capitis parte positum est. Cauda vero in quatuor generibus, quæ Cel. Autor posuit, diversa est. *Narcacion*, seu *Torpedo*, caudam habet lævem & pinnatam. *Rhinotarus* sive *Squatino Raja*; caput & anteriora *Raja* posteriora *Squatina* similia sunt. Cutis velut arenulis minutis adpersa est. *Lejobatus*, cujus corpus *Rajarum* in modum attenuatum est, cauda lævi non aspera spinis donatur. Huc pertinent *Pastinaca* & *Aquila*. *Dasybatus* cauda aspera spinosa. His pertractatis, Cel. Autor *Raja* anatomem exactam exhibet, omnes partes describit & iconibus illustrat, & imprimis partes genitales curatius examinat. Tandem *Galei* ovarium, partesque annexas, non minori diligentia disquirat, sententias veterum, de generatione horum piscium, examinat, & varia momenta, iconibus nitidissimis additis, illustrat. Ea igitur, quæ Cel. Autor in *Missu primo, secundo, & tertio*, præstitit, magnam spem faciunt eorum, quæ in sequentibus proponentur. Nos secuturos *Missus*, qui reliquas piscium familias ostendent, eo majori desiderio expectamus, quo meliora de his vel ex priorum lectione sperari possunt.

OBSER-

OBSERVATIONES ET COGITATA DE PESTE,
quæ annis 1738 & 1739 in Ukrainia grassata est, Au-
tore JO. FREDERICO SCHREIBER, Regiomonta-
no, Doctore Medico, & Physico Moscuensi.

Petropoli, typis Academiae Scientiarum, sine mentione
 anni, 4 maj.

Plag. 6.

De morbo hoc atroci quamvis plurimæ doctorum viro-
 rum exsint Commentationes; multa tamen de eo acu-
 tissimus *Schreiberus* disputat, quæ cognovisse neminem ex
 Medicis peritioribus pœnitebit. Mathematicorum usus me-
 thodo, primum observationes certas fidasque, in peste per
 Ukrainiam grassante factas, candidissime recenset, & consecta-
 ria quaedam, inde deducta, illarum singulis illico subnectit, ut
 hæc primam velut Oputeuli partem constituere videantur. Ve-
 rum, hic non acquiescendum esse, ratus, ex illis ipsis, observa-
 tionibusque reliquis de peste ab *Hippocratis* ætate usque ad
 hæc tempora curatissimis, in naturam illius morbi diligentius
 inquirere, & perspecta medicamenti alicujus facultate, certius
 quidquam ad domandum morbum per ratiocinia elicere, la-
 boravit, cum non delinquat Medicus, qui cum ratione, quæ
 experientiæ unquam repugnare nequit, aliquid contra morbos
 desperatos molitur. Atque in altera hac velut parte, patholo-
 giam & therapiam pestis complexa, eadem methodo proce-
 dit, ut propositiones, experientias præstantissimorum Medico-
 rum, & corollaria, apto nativoque inter se ordine conjun-
 gat, ex quibus nunc potiora dictorum Cel. Autoris mo-
 menta excerpere constitutum habemus. Bubo pestilens a bu-
 bone venereo distinguitur solo miasmate, illic pestilentis, hic
 huius veneris, veneno tincto, illic magis, hic minus, aëroso.
 Utrique in his convenit, quod quilibet tumor est durus glan-
 dularum serolarum, adeoque certo oritur a sero sanguinis, in
 cellulis ipsarum viscidiori, imo plane coagulato per miasma
 proprium, qui tumor se emolliri, tandemque aperiri, patitur,
 quo miasma utrumque, & prava utriusque effecta, vel integre,
 vel ex parte, semper tamen cum salute corporis affecti, elimina-
 ri queant. Uterque bubo originem habet duplicem, nempe

ab interioribus extrorsum, ubi tota humorum massa utrobique infecta fuerit, & ab exterioribus introrsum, ubi in leviori malo morbus externus inchoaverit. Hæc descripta luis venereæ species frequentissima est, & a peste bubonacea tum miasmate, tum via infectionis, discrepat, dum illius miasma ex systemate seroso in sanguineum, sed posterioris ex hoc in illud, defertur. Utrique huic convenit in his, quod singulare cuivis miasma ferum sanguinis utrobique coagulet, eademque amet loca, vasa scilicet serosa, & glandulas serosas. Ut adeo pestis bubonacea velox syphilis, & syphilis tarda pestis bubonacea, esse videatur, idque eo magis, quod ipsæ pestes veri nominis gradu velocitatis inter se internoscantur. Quemadmodum vero is, qui miasma luis venereæ mutare, aut expellere, ejusque effectum, id est, coagulationem feri sanguinis, tollere, valet, feliciter toti morbo medetur; ita etiam, quicumque miasma pestilens, bubones effecturum, immutat in tempore vel expellit, & effectam per illud coagulationem feri sanguinis tollit, morbum pestilentem, in bubones desitutum, feliciter profligat; et, qui hunc eundem morbum ita dirigit, ut evadat bubonaceus, is, observatis prioribus, plures pestis species perscrinabit. Remedium ejusmodi, immutando vel expellendo miasmata, pestem bubonaceam effecturo, aptum, videtur esse mercurius dulcis, concisa dosi datus, utpote omni probabiliter indicationi, pro felici pestis, in bubones desitura, curatione, imo pluribus pestis speciebus, par futurus, si fuerit in arte, morbum pestilentem ita dirigere, ut in bubones desinat. Is ipse mercurius, cum camphora mixtus concisa dosi, repetitisque vicibus exhibitus, suggerit medicamentum, sanguine specificè gravius, in minima divisibile, systema sanguineum citissime percurrens, per minutissima corporis humani vasa facillime penetrans, humoribus corporis humani non miscibile, & in ceteros, præter sanguinem, non agens, nisi quatenus vi cordis & arteriarum sanguinearum majori momento fertur, quam sanguis, adeoque in febre valde maligna acuta, imo acutissima, ad superandam feri sanguinis coagulationem perquam fructuosum. Quamvis enim, quamdiu hoc medicamentum sanguini commixtum circumit, calor corporis humani aliquantum augeatur; tamen, quamprimum in systema serosum pervenit, & coagulationem feri

feri sanguinis, febris illius auctæ causam non postremam, tollit, augmentum caloris, & a coagulato sero, & ab ipso medicamento, effectum, sensim minuetur, imo ipsa febris acutissima tandem desinet, si medicamentum simul hac ipsa actione sua stimulum, autorem & febris, & coagulatorum, inmutet, vel expellat. Pestis carbunculosa discrepat a variolis pessimis miasmate singulari. Utriusque morbi convenientia his continetur, quod carbo sæpe oritur ex pluribus variolis, in unum confluentibus, & pessimæ variolæ id in tota corporis sunt superficie, quod in parte carbo est. & denique eadem phænomena in carbone obveniunt, quæ in pessimis variolis tempore suppurationis illarum observantur. Quemadmodum vero natura carbonum est alia, quam bubonum, licet ambo eidem corpori eodem tempore eveniant, ab eodem effecti miasmate; ita, pestem carbunculosam peste bubonacea esse pejorem, omnium Auctorum fide constat. Et adversus hanc febrem carbunculosam, imo fortassis etiam adversus bubonaceam, Cortex Peruvianus, quod & febribus resistit, & vitia bilis temperat, & gangrænam aufert, sphacelumque sistit, medicamentum alexipharmacum, quæ jam olim *Joannis Arbuthnot* fere fuit sententia, esse videtur. Vapores acidi, potus aciduli, præcipue acerum vini, ad medicamenta alexipharmaca præservantia in omni peste pertinent. Motus autem pestilens, a miasmate in pulmones inspirato concitatus, mox in pulmonum gangrænam nulla arte sanabilem degenerat. Ad morbum pestilentem resolvendo, vel, si id fieri nequit, critica, per glandulas serosas, præcipue inguinum evacuatione, tollendum, ea convenit methodus, ut 1), quamprimum tempore pestis ventriculus male afficiatur, extemplo exhibeatur emeticum ex Ipecacuanha cum nitro, vel ex vitriolo albo; 2) quavis hora tertia medicamentum hoc propinetur: *Rec. Stibii diaphoretici nitrati gr. 15 Merc. dulc. gr. 1, Camphoræ gr. 2, M. superbibanurque feri lactis recentis, vel decocti hordei tepidi, unciæ 4, vel eodem temporis intervallo apta dosis Mercurii alkalizati cum pauxillo Camphoræ porrigatur;* 3) inguinibus applicetur emplastrum de Meliloto, addita Camphora; 4) tensus inguinibus, vel bubonibus profunde tumentibus, admoveatur emplastrum vesicans, vel solum, vel emplastro de Meliloto

toto commixtum, & 5) vitæ acutorum fervetur. Carboni prædituro attrahentia applicentur. Interne detur qualibet hora quarta Corticis Peruviani electi drachma dimidia cum aqua alexiteria lactis, vel alia diapnoica. Anthrax agatur in suppurationem profunda scarificatione, circumcirca in vivis facta, quo excidant mortua. Interne idem Cortex dicto jam modo porrigatur. Reliqua autem pro tractandis bubonibus & carbunculis ex Chirurgia petantur.

**ELOGIUM PETRI BURMANNI, PHILO-
logi apud Belgas celeberrimi.**

Confecit vitæ curriculum, & ex theatro literario, in quo per quinquaginta fere annos Philologi præstantissimi personam egerat, ad cœlestium haud ita pridem concilium demigravit, *Petrus Burmannus*. Lucem is adspexerat Trajecti ad Rhenum anno superioris Seculi octavo & sexagesimo, sexto mensis Julii die. Pater ei fuit *Franciscus*, ex antiquissima pariter & splendidissima gente oriundus, qui, post aliquas stationes, Trajectum vocatus, sacrarum literarum & in Academia, & in urbe, non sine plausu communi interpret floruit; matrem autem *Mariam* veneratus est, summi Batavorum Theologi, *Abrahami Heydani*, filiam, quam *Dionysius Crucius*, apud Neomagenfes olim verbi divini præco, viduam reliquerat. Prima literarum fundamenta jecit in schola patria, idque tam felici successu, ut anno jam ætatis decimo tertio, plurimis commilitonum longo post se intervallo relicto, ad lucem accedere Academicam posset. Huc delatus, in disciplinam traditus est literarum tunc temporis principis, *Jo. Georg. Grævii*, qui adolescentulum amavit tenerrime, & eorum intermisit nihil, quæ ad præclari hujus ingenii pertinere culturam viderentur. Nec oleum operamque in formando *Burmanno* perdidit *Grævius*. Fuit enim ille sedulus & assiduus præceptoris dexterrimi auditor, tantumque ex hujus institutione profecit, ut, adolescentiæ terminos nondam egressus, mira Latini sermonis elegantia se commendaret. Consumto in his, & aliis, quæ ad humanitatem referuntur, studiis aliquot annorum spatio, ad Jurisprudentiam civilem se applicuit, ejusque præcepta ex viris clarissimis,

mis, *Luca van de Poll*, *Gerardo Noodt*, & *Joanne van Muyden*, Antecessoribus Trajectinis, hausit; Jus vero, quod feudale dicitur, & *Hug. Grotii* librum *de Belli ac pacis jure*, explicantem audivit *Henr. Coccejum*, itidem hoc tempore in Academia Trajectina, post in Viadrina, Ictum illustrem. Quos in Jure progressus fecerit, ut documento comprobaret publico, elegantem doctamque ipse conscripsit Dissertationem *de Vicissima hereditatum*, eandemque, *Joanne van Muyden* Præside, solide, facunde, fortiter, defendit. Deinceps cupiditas, ex aliorum etiam virorum, doctrina insignium, institutionibus colligendi fructus, & sic ad summum veræ sapientiæ apicem ascendendi, Leidam eum pertraxit, ubi scholis interfuit *Burchardi de Volder*, Philosophi acutissimi, itemque *Theodori Ryckii*, & *Jacobi Gronovii*, qui duumviri reconditæ in Græcis Latinisque literis doctrinæ fama mirum in modum eminebant. Per anni spatium ibidem commoratus, varietate eruditionis ornatus copia, Trajectum repetiit, *Grævii*que iterum lateri adhæsit, cujus quippe ductu ad fastigium in elegantioribus literis eniti se posse judicabat. Et ipse quoque *Grævius*, pro sua in explorandis ingenii sagacitate, optime prospexit, quam lucidos sidus hocce radios per universum aliquando eruditorum orbem esset dispersurum. Annus erat elapsi Seculi octavus supra octogessimum, ætatis autem *Burmanni* vicimus, cum Academicis studiis finem imponeret, & mensis Martio, masculæ propugnata Dissertatione *de Transactionibus*, Doctoris in utroque Jure honores obtineret. Quo non sine laude peracto, utilissimum sibi fore existimavit, si exterorum, doctrina & virtute excellentiam, paulo arctiore frueretur consuetudine, & quem cumulatissime jam possidebat, eruditionis thesaurum ex eorum colloquiis locupletaret. Iter proinde suscepit in varias Germaniæ Helvetiæque provincias, & celebriores Academiæ salutavit, præstantissimasque diligenter Bibliothecas perserutatus est; cujus rei, tantum abest, ut ipsum pœnituerit unquam, ut de fructibus, ex illa peregrinatione perceptis, lætissimo sibi animo sæpiuscule fuerit gratulatus. Quamprimum redierat domum, causis in foro agendis vacavit; in quo negotio dum strenue versatur, ab illustribus Trajecti Proceribus,

quibus candida Viri indoles, dexteritas, & pertinax diligentia, cognita dudum erat, sub anni, præterito Seculo, primi & nonagesimi finem Quæstor constituitur decimarum, quæ solvi Episcopis solebant. Paulo post de jungenda sibi thori focia cogitavit *Burmannus*, & invenit eandem ex voto in honestissima virgine, *Eva Clotterbuke, Caspari Clotterbuke*, in urbe Brielenfi Senatoris & Consularis filia, cum qua conjuge ad vitæ usque finem jucunde vixit, decem simul liberorum pater factus. Inter hos autem duo tantum filii superstites sunt, alter *Franciscus*, qui juvenis, animo eo inclinante, militiæ nomen dedit, & in hac meritis suis ad insignes evectus honores est; alter *Casparus*, Jurium Doctor, & amplissimo Trajectinorum Senatorum ordini illatus, Vir, qui doctrina, fide, & humanitate, amorem civium suorum & venerationem mirifice sibi conciliavit. Quinque propemodum annos in hoc multæ dignitatis munere peregerat Noster, nec tamen politioribus literis valedixerat; unde evenit, ut anno superioris Seculi sexto & nonagesimo, a *Grævio* cum primis suo commendatus, in Academia Trajectina Eloquentiam & Historias, postea etiam Græcas literas, civilemque Philosophiam, profiteri juberetur. Quam ille provinciam, studiis suis maxime convenientem, eleganti Oratione *de Eloquentia & Poesi* ritu solempni auspiciatus est. Paucis interjecto tempore animum subiit ad Gallos proficiscendi desiderium, ut & viros inviseret doctissimos, & Bibliothecas instructissimas suos in usus, quoad fieri posset, converteret. Factus autem hujus voti compos est anno præsentis Seculi quarto supra decimum. Quantam a Gallorum eruditis expertus humanitatem fuerit, dici vix potest; eminuit tamen præ aliis omnibus *Montfauconii* comitas, a quo plurimum ei habitum honoris est. Accidit enim post mutuam statim salutationem, ut inter se de variis rebus, ad literarum antiquitatumque studium spectantibus, disserent. *Montfauconius*, ignarus, quis esset ille, qui ad ipsum accesserit, tantam in Nostro reconditæ doctrinæ cognitionem animadvertit, ut nomen peregrinantis, & unde veniret, sciscitaretur. Ad quod cum Noster, se Batavum, & *Petrum Burmannum*, esse, responderet, subito ex sella prostravit *Montfauconius*, eumque ulnis amabatibus complexus, multis verbis

verbis suam testatus læticiam est, quod tantum Virum, cujus jam varia legerat scripta, conspiciere cominus & exoculari liceret. Addidit præterea, sua se commendatione effecturum, ut facilem ad quascunque Bibliothecas aditum impetraret, ad illas etiam, quæ, in aliis regionis provinciis collectæ, haud adeo multis aperirentur. Imo, quod solita humanitatis officia longissime superat, se quoque curaturum promisit, ut per totum iter in omnibus Ordinis sui Cœnobiis exciperetur honestissime, nec ullos ei impendere sumtus necessè esset. Sed, uti hac humanitate, non e re sua duxit *Burmamnus*, quem Academicum munus domum revocabat. Trajectum rediit factus, ad veteres suas delicias, id est, ad Musas, alacriter rediit, docendoque partim, partim etiam scribendo, majorem Academiæ florem, & nomini suo illustriorem in dies gloriam, paravit. Nondum autem integrum anni spatium Ultrajecti emenius fuerat, cum Academia Leidensis, extincto *Jacobo Perizonio*, eum ad se laetis admodum conditionibus evocaret, & Historiarum, Eloquentiæ, Græcæque linguæ, docendæ ei provinciam offerret. Vix tamen adduci *Burmamnus* potuisset, ut urbem relinqueret patriam, nisi lentæ frigidæque de retinendo eo consultationes institutæ fuissent, quarum peritatus, Procerum votis annuit, & medio anno hujus Seculi decimo quinto novam spartam gravi Oratione *de publici humanioris disciplinae Professoris proprio officio & munere* auspicatus est. Tum demandatis sibi partibus egregie, maximoque cum plausu, fundus est, &, qua fuit inlustria, multa, eaque doctissima, ingenii specimina edidit. Præcipue merito ejus in Classicos, ut dicuntur vulgo, Autores laudibus extolli amplissimis debent. Quæ omnia postquam læti hilaresque perspexerant illustres Academiæ Curatores, dignissimum eum censuerunt, qui pluribus titulis honoribusque ornaretur. Conrulerunt igitur in eum Professionem Historiæ Federati Belgii & Portens, pariterque, post *Wolferii Senguerdii* fara, publicæ eum Bibliothecæ præfecerunt. Postremum illud, eique longe jucundissimum, munus quam grato acciperet animo, Oratione solenni *de Bibliothecis publicis, earumque præfectis*, satis luculenter ostendit. Tandem autem mors, omnia solvens, præmissis diuturnis gravissimisque morbis, eum adorta est, & ultimo mensis Martii die anni præteriti, tertium ac septuagesimum ætatis annum agentem, ex hac vita abire jussit. Corpus ei robustum, agile, justæque magnitudinis; vultus serenus, placidus, & conjunctam cum gravitate quadam hilaritatem præ se ferens; ingenium facetum jocosumque,

sumque, fuit. Nunquam simulavit, semperque veridicus, mendacium, ut omnium vitiatorum pestem, detestatus est. In bellis tamen literariis, maxime cum *Clerico & Capperonnero*, iusto eum acerbitorem fuisse, & hinc, aliisque ex causis, plurimorum in se reprehensionem derivasse, non forte pauci nobiscum dolebunt. Sed, utut hæc se habeant, manebit sua Viro laus & apud cultiores populos omnes celebritas, cujus morti etiam vicinus documentum vidit luculentissimum. Exhibetur scilicet ei epistola, ab illustri *Bignonio*, jussu Christianissimi Regis, scripta, qua, exemplari Catalogi Bibliothecæ Regiæ donari ipsum, significabatur, & ideo quidem hac eum gratia dignum judicari, quoniam principem inter eruditos locum obtineret. Magnus sane honor, cum paucis ei communis Præter ea, quorum jam injecimus mentionem, scripta, hæc etiam, nomine ejus insignita, prodierunt: *Dissertatio de Vestigialibus Populi Romani*, Ultraj. 1694, 8, & auctior longe 1734 *Leidæ*, 4 maj. cum *Commentatione de Jove fulguratore; Gadii & Sarravii Epistole*, Ultraj. 1697, 4; *Phædri Fabulæ, cum Notis*, Amstel. 1698, Ultraj. 1718, 8, & *Leidæ* 1727, 4 maj. cum novo *Commentario*; *Oratio funebris in obitum Hermannii van Halen*, Ultraj. 1701, 4; *Oratio pro Pigrizia*, ibid. 1702, 4; *Oratio funebris in obitum Jo. Ge. Grævii*, Trajecti 1703, 4; *Petronii Satyricon, cum suis & aliorum Notis*, Ultraj. 1709, 4; *Somnium, seu iter in Arcadiam novam, Carmine elegiaco*, ibid. 1710, 4; *le Gazetteier menteur*, ibid. eod. 12; *Redenwring voor de Comedie*, ibid. 1711, 4; *Oratio de Pace inter Galliarum Regem & Fœderati Belgii Ordines composita, dicta publice Traj. ad Rben.* 1713, fol. 5; *Jo. Georg. Grævii Orationes, cum Burmanni Oratione in ejus obitum*, Lugd. Bat. 1717, 8; *Vellejus Paterculus, cum Notis; accedunt Dodwelli Annales Vellejani*, ibid. 1719, 8 maj; *Oratio in Humanitatis studia*, ibid. 1720, 4; *Quintilianus, cum Commentario*, ibid. 1720, 4, 2 Voll.; *Valerius Flaccus*, ibid. 1724, 4, & sine Notis cum *Prefatione*, eodem anno, 12; *Petri Cunæi, & doctorum Virorum ad eundem, Epistola, cum Notis Petri Burmanni*, *Leidæ*, 1725, 4; *Carmen in tertium Jubileum Academiæ Leidensis*, 1725; *Epistola ad Claud. Capperonnerium, de ejus editione Quintiliani*, 1726, 4 maj; *Ovidius*, Amst. 1727, 4, Voll. 4; *Sylogæ Epistolarum, a Viris illustribus scriptarum*, Lugd. Bat. 1727, 4, Voll. 5; *Poetæ Latini minores, cum ejus & variorum Notis, scilicet Grævii Cynægeticon, Nemesiani Eclogæ, &c.* ibid. 1731, 4, Voll. 2; *Oratio de Literatoribus & Grammaticis*, *Leidæ*, 1732, 4; *Suetonius, cum ejus & variorum Notis*, Amst. 1736, 4, Voll. 2; *Batestinium in concione Academica celebratum, carmine elegiaco*, ibid. 1738, 4; *Lucani Pharsalia, cum ejus Commentario*, *Leidæ*, 1740, 4; *Virgilius cum Commentario*, qui adhuc sub prelo est; denique *Prefationes complures ad Thesaurum Italiæ & Sici-liæ*, quod grande ac magnificum Opus, post Grævii mortem, curæ *Burmanni* commissum fuerat. Nuper etiam *Francofurti ad Mœnum* prodit *Burmanni Antiquitatum Romanarum brevis descriptio*, 8, sed qui tenuis est, & Autore tanto vix satis dignus, libellus.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXLII.

ANTIQUITATES ITALICÆ MEDII ÆVI, SIVE
Dissertationes de moribus, ritibus, religione, regimi-
ne, magistratibus, legibus, studiis literarum, artibus,
lingua, militia, nummis, principibus, libertate, servi-
tute, fœderibus, aliisque, faciem & mores Italici populi
referentibus, post declinationem Romani Imperii ad an-
num usque MD. Omnia illustrantur & confirmantur in-
genti copia Diplomatum & Chartarum veterum, nunc
primum ex Archivis Italiæ depromptarum, additis etiam
Nummis, Chronicis, aliisque monumentis, nunquam an-
tea editis. Autore LUDOV. ANTONIO MURA-
TORIO, Sec. Ducis Mutinæ Biblioth. Præfeco, Pa-
latinis Mediol. Sociis editionem curantibus.

Tomus III.

Mediolani, ex typographia Societatis Palatinæ, 1739, fol.

Alph. 7 plag. 22.

Gratulabundi igitur *tertium* eximii Operis *Volumen*
Lectoribus nostris exhibemus, eodem encomio di-
gnum, quod binis prioribus lubentes meritoque de-
dimus. Habet hoc *Muratorius* præ ceteris seculi nostri scripto-
ribus singulare, quod citius publici juris faciat libros, quam alii
de iis conscribendis cogitarunt; nec potest hæc Viri Cel. fe-
stinatio ulla ratione vituperari, siquidem clara ubivis iudicii

Kkkk

in

in feligendis rebus probe exercitati *κρηνηρα* ostendit, & temerariam immaturi partus exclusionem sollicite evitat. Tutelare Operi Numen, Regium juventutis principem, *Franciscum Xaverium*, delegit *Muratorius*, eidemque hunc ingenii fructum, singulari in Augustissimam domum Sarmaticam pietate ductus, dedicavit. Omne *Volumen undecim Dissertationibus* absolvitur, quæ non ipsæ solum immenso antiquorum monumentorum apparatu scatent, sed & binas collectiones, ab aliis olim scriptoribus congestas, & nunc e Codicibus MStis editas, comites habent. Harum prior, ab ignoto Autore, quem male quidam ex ipsius *Historia Lib. II Cap. 2 Thomam Fortisoccam* judicarunt, profecta, & dialecto Neapolitana Italice conscripta, jam e Codice Romano protincta, & sub auspiciis *Francisci Trostii*, Archiepiscopi, studio *Petri Herculii Gberardii*, in Gymnasio Mutinensi Professoris, adornata, nunc a successore *Francisco*, e Comitum *Guidonum* familia oriundo, cum *Muratorio* communicata, *Historia Romana fragmenta ab A. C. 1327 usque ad A. 1354*, simulque *vitam Nicolai Laurentii, Tribuni Romani*, qui vulgo *Cola di Rienzo* solet nuncupari, continet; posterior autem insigne *Franc. Ughellii* supplementum, *excerpta nimirum e Chartis Archiepiscopi Pisani ab A. C. 720 usque ad A. 1099*, exhibet. Sed est potius de ipsius *Muratorii* laboribus dispiciendum. *Dissertatio XXXIV*, quæ primum in *Volumine tertio* locum occupat, de *Diplomatibus & Chartis antiquis* agit. Ei argumento primi lucem accenderunt *Dan. Papebrochius* & *Jo. Mabillonius*, ille sodalitates *Ignatiana*, hic Ordinis *Benedictini*, socius. Post eos in eadem arena singuli ferme cultioris Europæ populi defudarunt, & ex Anglis quidem *Cl. Hiccius*, ex Italis *Justus Fontaninus* & *Scipio Massejus*, e Gallis *Barth. Germonius* & *Th. Ruinartus*, e Germanis *Gottfridus*, Abbas *Gotvicensis*, palmam ceteris præripuerunt. Uno omnes ore falsariorum fraudes conqueruntur, & duplicem illorum ordinem constituunt, siquidem alii vera jura falsis Diplomatibus corroborare conati sunt, & subinde, si authenticæ Chartæ intercidissent, Archivorum fata fictis Cæsarum confirmationibus supplerunt, alii & prærogativas, & quæ eas indulgent, Diplomata, excogi-

Pag. 251-
550.

6. 7.

excogitarunt. Prodierunt eo ut plurimum tempore figmenta, **Pag. 13.**
quando de usu juris alicujus lis movebatur. Sic spuria *Hadriani I*, P. R. Bulla de A. 780, quam in *Peregr. Prisciani Annalibus Ferrar.* MStis deprehendit *Muratorius*, & ex collatione indicationis decimæ cum A. C. 780, annorumque imperii *Caroli M.*, instituta, fidei sublestæ arguit, occasione litium confecta est, quæ inter *Hadrianum IV* & *Fridericum I* Imp., itemque inter Archiepiscopos Ecclesiæ Ravennatensis & Præsules Ferrarienteses, serbuerunt. Falsi crimen in descriptis difficilius, quam in archetypis, cognoscitur, siquidem in his simul e caractere, monogrammate, ac sigillo, duci possunt argumenta. Sic nullo fere negotio falsitas Chartæ fuit agnita, qua Bononiensis Gymnasii origo ad A. C. 433, & *Theodosii II* imperium, refertur. Exemplar, quod exhibet *Muratorius*, authenticum, ab *Ughelliano* penitus diversum, fraudes prodere Seculi a nato Christo XIII videtur. Sic, quisquis Diploma donationis *Constantini M.* intruetur, vestigia Seculi X conspicit; & nemo forsitan de tam enormi mendacio cogitaret, nisi oratores Seculi VIII & infrequentis antiquitatem possessionum, ad ecclesiam Romanam pertinentium, exaggerassent, eaque de causa *Hadriani I* Epistolam 49 inepte fuissent interpretati. Quodsi doctioris fallarii occurrit suppositio, nunc ad pergameni scissuram, nunc ad monogrammaris ductus, nunc ad uncturam in loco sigilli, attentius est respiciendum. Aliquando ex unica voce fraudis nascitur suspicio. Sic in Diplomate *Ludovici Pii* de A. 814 *assassinii* nomen falsitatem detegit, quippe quod non nisi post Hierosolymas receptas, id est, post A. C. 1099, exaudiri cœpit, atque tum demum ex Oriente in occidentales plagas transit. A fraudibus ad vitia scripturæ progreditur *Muratorius*, atque hic Lectorum nimios in Diplomatum genuinis scrupulos reprehendit, qui vitia inconsiderantiæ suæ librariis haud raro tribuunt. Sic Chartam, Monasterio *D. Mariæ* Virginis Deiparæ Ticinensi A. 892 a *Guidone* Aug. datam, falsitatis nonnulli arguunt, quod diei 5 Cal. Aprilis, quo indictio 10 in ceteris Italia locis currebat, indictio 9 jungitur. Sed salva res est. Etenim aliæ Italiae gentes Florentinorum more annum a d. 25 Martii, aliæ a d. 25

21.

22.

29.

30.

32.

43.

45.

49 seq.

- Decembris, inchoarunt; priorque numerandi ratio posteriorem mensibus novem antevertit. Priori igitur calculo usum in dicto Diplomate *Guidonem*, suspicatur, quippe qui & indictioni nonæ, & anno primo imperii *Guidonis*, qui ante exitum Febr.
- Pag. 65 A. 891 Romæ Imperator unctus est, respondet. His autem, seq. quæ sunt hæcenus in medium allata, non id agit *Muratorius*, ut omnia vitia scribarum neget, quandoquidem frequentia in Diplomatum occurunt, uti e. g. in Diplomatum *Guidonis* de A. 889, 8 Cal. Maji, manifesto errore indictio VIII scripta reperitur, & numerus VII est sine omni dubio substituendus. Plerasque falsariorum diplomaticorum fraudes historiæ cognitio declarat, cui adeo se tradere totum debet, quisquis criticam falcem in hanc mittere mensem constituit. Affine argumentum *de Sigillis mediæ ævi* tractat *Dissertatio XXXI*, cujus maximam partem industria *Papebrochii*, *Mabiltonii*, & *J. Michaelis Heineccii*, occupavit. Sparsis itaque observationibus contentus *Muratorius*, primo, falsarios, notat, Chartis confictis vera sæpius sigilla affixisse, ejusque rei exemplum 87. sinit in Charta *Caroli M.* de A. 781, quam *Ughellius Ital. sacr. Tom. V pag. 1563* edidit, ubi cum cera conspiciatur in postica parte haud repercussa ac dilatata, sed scissuræ potius pergamænæ ita immixta, ut & educi facili negotio queat, & ipsamet sponte sua elabatur, nisi circulo ligneo & filo chartæ connexa retineatur, nulla superest dubitatio, quin istud inter manifesta fraudis indicia sit referendum, quam & indictio IV pro X 90. collocata uberius confirmat. Secundo loco materiam Sigillorum contemplatur *Muratorius*, plumbeasque Bullas Pontificibus ac Episcopis jam ante *Alexandrum II* familiares, in 91. Chartis vero Cæsarum rariores, & in unica ferme *Ottonis III* occurrere, observat. Frequentissimæ ibi sunt cereæ, aureis ad Diplomata majoris momenti servatis. Vid. *Leo Ostiensis Chron. Caf. II, 39*. Quæ Sigilla mediæ ævi exornant, Imperatorum 93-140. & Principum Italiæ imagines, in calce *Dissertationis* aneis expressæ tabulis repræsentantur. *Dissertatio XXXVI de Emphyteusibus, precariis, ac laicorum decimis*, inscribitur. Contractum emphyteuticum sequior ætas *libellum, precariam, ac prestariam*, appellavit;

appellavit; & libellum quidem a literis supplicibus distinxit, quæ porrigi pro impetranda emphyteusi solebant, teste Diplomate de A. 903, quo Azo, Ecclesiæ Ravennatensis Diaconus, & Abbatia S. Vitalis Præpositus, Ametrice & Franca petentibus multorum prædiorum emphyteusim largitur. Differentiam aliquam *prebendarie & libellorum* statuit conventio reipublicæ ac ecclesiæ Mutinensis de A. 1183, quæ legitur in causa feudorum, precariarum, & libellorum, inita; & est forte existimandum, precariam de emphyteusi, pro qua adipiscenda fundum proprium ecclesiæ offert petitor, & postea eandem emphyteuseos titulo possidet, libellum de contractu, in quo talis oblatio & quasi compensatio haud occurrit, prædicari. *Præstaria* nomen indicat, fundos, emphyteutico jure datos, non alienari, sed utendos solum concedi, & quasi commodari; unde & multi eam pro specie feudi inbuerunt. Diversitatem precariæ & præstariæ cum *Jac. Sirmondo & Gerb. Jo. Vossio* eandem statuit *Muratorius*, atque, hanc a parte concedentis illi a parte poscentis respondere, arbitratur. Frequens fuit media ætate contractus emphyteutici usus in ecclesiis, adeo, ut, qui eum inibant, tantundem donare solerent, quantum sub emphyteuseos lege pro modica pensione annua accipiebant. Vid. *Concil. Turon. III Can. 51*. Exempla *Muratorius* adduxit bina, quæ A. C. 1020 & 1022 evenerunt, quando *Warinus*, Episcopus Mutinensis, & *Landolphus*, Episcopus Cremonensis, tale beneficium *Bonifacio*, Marchioni, exhibuerunt. Censuum annui loco exiles subinde res, ut ensis, calcaria, chirothecæ, accipiter, falco, & similia, offerebantur, imo aliquando fumus capponis cocti sufficit. Inter res in emphyteusim datas ipsæmet etiam ecclesiæ fuerunt, quod varia in provinciis Tuscis & Ferrariensibus exempla loquuntur. Circa decimas dubia & a multis ventilata doctoribus occurrit quæstio, qua ratione ad Canonicos, monachos, & laicos, pervenerint. Prius Episcoporum contigisse beneficio, exemplum liberalitatis Episcoporum Patavinorum in Canonicos evincit, quam *Berengarius* Aug. A. 918, 12 Cal. Maji, peculiari Diplomate confirmavit. Et forte posterius eadem habuit initia. Sane *Azoni VI*, *Estensi* Marchioni, *Isuachus*, Episcopus Adriensis,

Pag. 150
seq.

153.

172.

173 seq.

175 seq.

187.

190.

196.

209 seq.

- in conventionē, A. 1195 inita, jus decimarum folis proprium Episcopis pro cambio reliquisse perhibetur, immo jam Sec. X
- Pag. 214. A. C. 991 *Theudicius*, Comes, a *Gerardo*, Episcopo Lucensi, varias ecclesiarum S. *Iusti* possessiones, plebemque baptismalem in loco *padule* una cum decimis villarum, eidem plebi subiectarum,
216. emphyteutico titulo nanciscitur. Quid? quod ipsimet Pontifices, inque his *Alexander II* in Bulla de A. 1064, 14 Cal. Aprilis, morem in laicos transferendi decimas approbarunt. *Dissertatio XXXVII de Hospitalibus peregrinorum, infirmorum, infantum expositorum*, &c. dilquirit. Tanta fuit Christianorum medii ævi in egenos liberalitas, ut integras hæreditates dividere & distribuerent, quod constat binarum Chartarum medii
554. Seculi VIII, & ineuntis IX, testimonio. Sed majus ejus rei & illustrius documentum præbent ædes, sustentandis pauperibus, statim post pacem ecclesiarum a *Constantino M.* redditam, ad montium imprimis juga & difficiliores fluviorum transitus, excitatæ, & Monasteriis, plerumque procurantibus Diaconis, adjunctæ.
576. Ita Monasterio Nonantulano, A. 752 exstructo, legimus ab ipso
571. conditore *Anselmo* adjectam ædem hospitalem. Rariores deprehendimus in mediæ ætatis monumentis locos pueris incertæ originis, vel expositis inclementia parentum, destinatos. Primum occurrit in Regum Francorum Capitularibus vestigium, cui coævum, quod *Datheus*, Archipresbyter, A. 781 Mediolani ædificavit, domicilium. Foundationem non Charta solum, ex Codice *Franc. Castell.*, circa Sec. XVI medium manu exarato, a *Muratorio* nunc primum edita, testatur, sed etiam distichon, in musivo pavimenti S. Salvatoris in Xenodochio insculptum: *Sanzê memento Deus, quia condidit iste Datheus Hanc aulam miseris auxilio pueris.* Cum pueris ægrotos etiam in has, de quibus loquimur, mansiones receptos, etsi nosocomiorum non nisi recentior mentio occurrat, sive *Concilii Aurelianensis V.*, A. C. 549 habiti, *Can. 15*, *Muratorius* existimat; quamvis id valetudinariorum genus, quod hodieque durat, Seculo demum XI cœpisse largiatur.orem A. 1070 in Angliam introduxit *S. Lanfrancus*, Episcopus Cantuariensis, nec multo post magnificentum

ficum S. Spiritus in Saxia pro ægrotis domicilium condidit *Inno-*
centius III, Pontifex. Senense nosocomium, quod ad A. C. 898
 male referunt nonnulli, circa A. 1257 favore *Alexandri IV* Pag. 597.
 Papæ summopere effloruit. *Differtatio XXXIII* *Judicia Dei*,
 id est, experimenta veterum, examinat, quibus seu crimine, seu
 innocentiam, hominum scrutabantur. Antiquissima se pur- 611.
 gandi ratio legitur *sacramento super tumulis Martyrum*
 peracta, quippe quam *S. Augustinus Ep.* 73 memorat. Juran- 612.
 tibus sequior ætas *consacramentales* dedit, de quibus primum
 in *Lege 367 Rotharis Regis* exitat vestigium. Paulo recentior
 est purgatio per *S. Eucharistiam*, qua A. 869 *Lotharius*, Rex Lo-
 tharingæ, & A. 1077 *Gregorius VII* Papa, innocentiam suam de- 613 seq.
 monstrarunt. Ceteræ probationes *vulgares* dictæ, & vel per
 aquam ferventem, vel per frigidam, vel per panem & cateum,
 vel per vomeres candentes, vel per crucem, vel per proximum
 ignis transitum, instituta sunt. Huc & pertinent *duellæ*, de
 quorum *origine & usu* egit *Differtatione XXXIX Muratorius*.
 Ea inter ceteras Germaniæ gentes, teste *Paulo Diacono ver. Lang.* 634.
IV, 49, Langobardis maxime placuerunt, & Imperatorum non- 640.
 nunquam privilegium firmata sunt. Mortis facilitatem Franci 636.
 temperarunt, quando in duellis non ferro, sed fistibus, utebantur.
Differtatio XL de Rhythmica veterum Poesi, & origine Poësis Ita-
licæ, jucunda scitu tradit plurima. *Differtatio XLI de Nomi-*
bus & agnominibus antiquorum, quemadmodum *Differtatio XLII*
de Cognominum origine, dilquirit. Ex quo Christianæ religionis 717.
 lux Italiæ affulsit, Sanctorum nomina diu in pretio fuerunt; bar- 720.
 bara, rariora tamen, cognomina irruptio gentium barbararum in-
 tulit, sed horrida Seculum XII & XIV imprimis dedit, qualia sunt
 in gente *Bonacossis*, dominatrice Mantuæ, Bardelloni, Taini, Bot-
 tarella, Butironi, Scaglino, Passerini, in Ordelaffa Scarpette, in Sca-
 ligeria Veronensi Canis & Martini, in Turriana Mediolanensi 723.
 Mutæ, Pagani, Carnevani, Cassoni. Similitudinem nomi-
 num immanem personarum confusionem peperisse, ipsa res 726.
 loquitur, & ex *S. Gregorii Sacramentario*, nec non ex *Necrolo-*
 gio Ecclesiæ Mutinensis, cognoscere licet. Patris avique nomen
 filius primogenitis dari solevit, si plures nascerentur, maternæ
 stirpis

- Pag. 721. stirpis nomina adscita sunt. Cognominum mentio ante exitum Seculi X, & principium XI, nulla, ac ante *Vitalem Candianum*, in *Ottonis I* Diplomate de A. 963 occurrentem, in actis publicis inaudita; immo & hoc tempore rara, quandoquidem in placitis binis, quorum alterum coram *Guiberto*, missi Regis *Henrici*, A. 1046 Pistorij, alterum coram *Mathilde*, Comitissa, Florentiæ A. 1099, habitum est, nullum reperitur, sed patris matrisve appellatio cognominis loco adhibetur. Quid? quod Seculo XII & XIII viri non ignobiles in actis publicis cognomine destituantur, & vel addito nomine patris, vel feudalis prædii adjectione, distinguantur. Inventores cognomentorum *Andr. Dandulus* perhibet Venetos, quando ad A. 809 *Angelum Particiacum*, Ducem Venetiarum, ad A. 827 *Justinianum Particiacum*, ad A. 829 *Joannem Particiacum*, ad A. 864 *Ursum Particiacum*, & passim Duces Candianos, Badoarios, Urteolos, & Memos, commemorat, sed male ad Seculum VIII refert sine sufficienti testimonio, quo tamen opus erat scriptori, qui decurrente Seculo XIV historiam suam contexebat. Ambiguum est, utrum Veneti acceperint a Græcis, an ex præco Quiritium instituto retinuerint cognomina; certius, cognomina nobilibus a loco dominationis, aliquando, Seculo etiam XII ineunte, a sola patria, adhæsisse. Sic Principum Columnensium familiam a Columna oppido dictam, *Raph. Volaterranus* conjecit, *Muratorius* ex Diplomate *Eugenii* Papæ de A. 1151 demonstravit.
779. Aliis majores fama & factis celebres familiare cognomen dederunt, ceu *Ursus* genti *Ursina*, unde olim homines ejus familiaris dicti sunt *de filiis Ursi*; aliis agnomina, viris ab antiquo imponi solita, quod *Malaspinarum* & *Palavicinorum* genus docet; 783. aliis denique artes & dignitates majorum. Sic ab advocate *Avogadri*, a Capitaneo *Catanei*, a Confalonerie *Confalonieri*, a Vicedomino *Visdonni*, nomen duxisse, nemo facile in dubium vocabit. Atque, his positis principiis, mirandum non est, in locis maxime disjunctis, ubi nulla intercedit cognatio, eadem sæpius occurrere nomina familiarum. *Dissertatio XLIII* agit de *Literarum statu, neglectu, & cultura, in Italia, post barbaros* 809. *in eam invecos, usque ad A. C. 1100*. Non statim cum irruptionibus

nibus barbararum gentium excidit Itolorum animis, qui tantas egerat radices, amor literarum. Reperitur in confinis Seculi VI & VII magnus eruditorum atque scholarum numerus. Sed elegantie sensum excussit ruditas Langobardorum, non tamen, quod vult *Scipio Maffejus*, legendi scribendique scientiam ademit. Rara interim ingenia, nec quisquam, si A. 700 *Felicem*, & A. 760 *Petrum*, Grammaticos, demas, laude literarum floruit, immo *Carolus M.* A. 780 ea egestas coegit, ut *Dungalum* e Scotia arcesseret. Rara etiam scholæ, e quibus sola Aquilejensis Seculo VIII dedit *Paulinum*, ejusdem postea Ecclesiæ Patriarcham. Faciem eruditionis hujus Seculi indices MStorum Cœnobii Bobientis, Seculo X exarati, satis declarant. Studium *Lotharii I* caruit successu, Italiaque, cœu e *Concilio Romani*, 826 habiti, *Canone 4* patet, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, indoctis abundavit. Tulit tamen Roma *Joannem*, Diaconum, *Anastasium*, & *Guilicelmum*, Bibliothecæ Vaticanæ præfectos, Cœnobium Casinense *Eirembertum*, Neapolis *Joannem*, Diaconum, & *Petrum*, Subdiaconum, *Agnellum* Ravenna, incerta patria *Crimoldum*, & circa A. 870 *Ildericum*. Ad Seculi X per Italiam decora spectant, qui & quandam scholarum mentionem faciunt, *Ratherius*, *Atto*, Vercellarum Præsul, & *Liutprandus*, Episcopus Cremonensis. Nova lux literis post A. C. 1050 affuit, ad quam forsitan plurimum papyri contulit inventum, quod *Hadr. Valesius Petro Mauricio*, Abbati Clunicensi, tribuit, *Bernardus Montefalconis* ad Seculi X exitum, vel principium XI, refert, dubitante *Muratorio*, qui, ante A. C. 1100 non visum sibi codicem in charta bombycina, unde orta vulgaris, scriptum, comitatur. Contulit etiam aliquod *Gerbertus*, qui ob famam eruditionis ad summum Pontificatus fastigium, adscito *Sylvestri II* nomine, A. 999 aspiravit, codices quamplurimos congeffit, scholasticos e Gallia in Italiam vocavit, & ipsemet scholastici nomen dignitate sua haud indignum censuit, cœu ex Epistola quadam apud *Mabillonium* in *Andelis* apparet. Majora Seculo XI tenue hoc initium cepit incrementa; artis tamen criticæ notitiam maximo suo malo omnes insuper habuerunt.

Pag. 815

seq.

811

815.

829.

830.

831.

871.

872.

874 seq.

- in Italia post A. C. 1100 Dissertatione XLIV Muratorius exponit, & simul de Academiarum, seu Gymnasiorum, erectione disputat.* Vitam in schola Bononiensi, quam A. 1130 laudat ignotus Poematis *de Bello & excidio urbis Comensis* Autor, studia acceperunt. Circa id tempus floruit *Irnerius*, quem Comitissa *Mathildis* equalem fuisse, & diu ante inventum *Pisōnum* exemplar Pandectarum Pandectas docuisse, ceniet *Muratorius*. Neque enim accedit sententia illorum, qui, per omnem barbarorum seculorum decursum Pandectas *Justiniani* ne fando quidem exauditas, arbitrantur. Elucet autoritas earum ex insigni antiquitatis fragmento, quod primus edit *Muratorius*, & partem libelli, pro Episcopo Aretino contra Episcopum Senensem
889. A. C. 752 confecti, comprehendit. Primus Grammaticam & humaniores literas inde ab A. 1208 docuit Bononiæ *Boncompagnus*, Florentinus. Seculo XIII ex hoc Bononiensium Gymnasio, veluti ex equo Trojano, alia prodierunt, in quibus eminent Mutinense & Patavinum. In illis Gymnasiis potiores literarum disciplinas legimus tractatas, quarum consideratio & multas hujus Dissertationis paginas implet, & de multa Autoris eruditione testimonium suppeditat. Sed nunc non est his locus, ne abuti patientia Lectoris, & data opera amphoram parare, videamur, cum pro instituti ratione urceus institui cepisset. Licetbit tamen, coronidis loco, unam alteramve ex sparsis *Muratorii* observationibus delibare. Eo nomine complectimur omnia, quæ, aliud quasi agendo, occasione inter scribendum oblata, Operi inseruit, & veluti purpuræ clavum vestimento alluit
- 740-757. Vir Celeberrimus. Huc spectant, quæ in *Dissertatione XLI* de vero imperiali epochæ *Caroli Crussi* exordio contra *Baronium* pariter
- 783-791. atque *Pagium* disputavit; quæ in *Dissertatione XLII* de præcipuis
829. familiæ *Ursine* ornamentis tradidit; quæ in *Dissertatione XLIII* de *Magni Limonarii epitome*, a *Photio Biblioth. Cod. 198* recensita, in Bibliotheca *S. Ambrosii* Mediolanensi, ejusque Codice, annorum 700 ætatem superante, hodiernum superflite, commemoravit; quæ in eadem *Dissertatione* de usu papyri in media ætate &
- 842 seq. seculis barbaris retulit; quæ de *Damascio*, Ecclesiæ Patre, & Philosopho, gentiliū doctrinis gnaviter imbuto, docuit; quæ denique

nique ex itinerario *Alexandri Magni*, ab Anonymo circa A. C. Pag. 957
 360 conscripto, & *Constantio* Imp. dedicato, excerpfit, atque, seq.
 critica disquisitione præmissa, cum Lectoribus communicavit.
 His tu, candide Lector, contentus vive, *Tomique quarti* summam
 proxime expecta.

JACOBI BRUCKERI, REGIÆ SCIENT. SOCIE-
tatis, que Berolini floret, Membri, Historia critica Phi-
losophiæ, a mundi incunabilis ad nostram usque
ætatem deducta.

Tomus I.

Lipsiæ, literis & impensis Bernh. Christoph. Breitkopfii,

1742, 4 maj.

Alph. 7 plag. 15.

Dignum Regii, quo superbit, nominis, Augustissimi M.
 Britannicæ Regis, *Georgii II*, splendore, egregiumque Opus
 novum addit & orbi erudito decus, & perenne Cæl. Autori
 famæ & ingenii monumentum, quo, ex nostro aliorum-
 que, exterorum etiam, voto, Latino sermone, iteratoque labo-
 re, Historiæ philosophicæ Institutiones, vernaculo sermone pri-
 mum scriptæ, prodeunt, atque accurato juxta scientiæ ordine
 modoque elaborati operis speciem formamque accipiunt. Ne-
 que enim Latinam tantum Operis Germanici versionem, sed
 novum prorsus Opus, exhiberi videmus, in quo suppleta plu-
 rima adjecta, & systematum imprimis veterum Philosopho-
 rum nexus & ratio accurate exposita, abjectaque, quæ juven-
 tutis causâ prius electa erat, erotematica methodo, cuncta una
 historiæ serie enarrata, naturali ac systematico ordine oculis
 lectoris sunt objecta. De *natura, constitutione, usu, mediisque*
Historiæ Philosophicæ, copiosè & eleganter exponens *Dissertatio*
preliminaris, ipsum indicat pulcherrimi laboris ordinem, ju-
 stamque partium divisionem, qua ad tres omnino temporis
 circuitus ita refertur omnis Philosophiæ historia, ut in *vete-*
rem, mediam, & novam, commode dispesci, & cuilibet tem-
 poris, gentiumque, atque locorum, momento, magno memoriæ

Præfat.
 Pag. 1

39

auxilio, quæ propria cuilibet sunt, tribui queant. *Prima itaque periodus* & origines Historiæ philosophicæ, & nascentis atque adolescentis fatis, & virilem quasi ætatem, complectitur, omnemque tum gentium barbararum, tum Græciæ, Philosophiam, usque ad nascentis sensim Romanorum monarchiæ initia, tradit. *Alter*a gentilis Philosophiæ, sub Imperatoribus florentis, quæ ad Seculum usque VI excurrit, Judaicæ, Saracenicæ, & Christianæ, a nascentis ecclesiæ initiis usque ad felicia instauratarum scientiarum tempora, faciem exhibebit. *Tert*ia vero & reformantium deformatam Philosophiæ faciem conamina, & novum restituti decoris vultum, & varia philosophantium genera sectasque nostrorum seculorum, enumerabit, & sobrie tandem philosophandi, inque veritatem libere ac sine sectæ servitio inquirendi, studium, & progressus, quos per id fecit Philosophia exoptatissimos, enarrabit. *Tomo* hoc universi Operis *primo prima illa a mundi nascentis origine ad initia Monarchiæ Romanæ* continetur *Periodus*, in Philosophiæ *Barbaricæ & Græcæ Partes* duas aptissime divisa. *Barbararum* vero gentium consideratio cum eo usque extendenda videatur, ut, quæ *ante diluvium*, quod universale terrarum orbi accidisse, nemo, rerum intelligens, temere negarit, *philosophandi ratio*, sive *sapientiæ antediluvianæ* potius *conditio*, fuerit, expendendum sit, alia habetur *ante diluvium*, alia vero *post illud, barbararum gentium Philosophia*. In duos itaque *Pars prima* abiit *Libros*, & *Pag. 46. primus* quidem, *de Philosophiâ antediluviana, Capite primo*, de *Philosophiâ Barbaricâ in genere*, exposita nominis origine & significatu, barbarorumque eruditione & philosophiâ, hujus quoque, ut disciplinarum fere omnium, origines inter illas gentes non immerito quæri, rectam tamen philosophandi rationem, *50. meditatione & ratiocinatione constantem*, ante Græcos vix inter gentes quærendam esse, affirmat; *Capite vero secundo*, de *Philosophiâ antediluviana*, non minus falli docet, qui apud angelos beatos, vel dæmonas malos, Philosophiæ origines quærant, quam qui, relictis cœlestibus & inferis sedibus, ab *Adamo, Caino, & Abele*, scholisque *Cainitarum & Sethianorum*, quin *57-59. & Sethi* posteris, atque *Enoch* imprimis, eas petant. *Altero*
prima

<i>prima hujus Partis Libro de Philosophia Barbarica post diluvium ita agitur, ut, cum mature inde gentium omnium in omnes terrarum partes distributio, vel dispersio potius, facta sit, ad terrarum plagas, & regionum situs, ordo historiae alligeretur, & inter Orientis, Meridiei, Occidentis, atque Septentrionis, populos quaerantur, quae ad hanc rem pertinere videntur. Circa Orientem habitantium gentium Philosophia primo eruitur, ac</i>	
<i>Capite primo Philosophia veterum Hebraeorum comparet, a Nodchi inde aetate, gentisque Judaicae origine, ad tempora usque captivitatis Babylonicae, in multis sapientiae quidem & virtutis, quin & eruditionis, neutiquam tamen Philosophiae, laude clarissimis viris perperam laudata. Post Hebraeos inter Orientis nationes</i>	Pag. 63.
<i>Chaldaeorum gens antiquissima occurrit, adeoque Capite secundo horum de Philosophia, conditore ejus, Zoroastre, B. to, Beroso, Chaldaeisque Philosophis aliis, adjectis, quae de Chaldaeorum placitis tradiderunt veteres, differitur. Ad Persas cum imperio disciplina Chaldaica quoque transit, ejusque eruditi</i>	66.
<i>Zardusht, nec non Hygiastes, Hostanes, Magorumque nomen & dogmata, Capite tertio celebrantur. Caput quartum, Indorum genti, Persis vicinae, qui fuerint Philosophi, qui Braehmanes dicti, quae philosophandi observata ratio & Philosophorum doctrina, docet Arabum veterum Philosophiam sistit Caput quintum, nec non Zabiorum disciplinam, libros, systema, sectas, Platonicum, qui restant inter Orientis gentes, Philosophiam & Philosophos, Moschum, Sanchoniathonem, cum systemate Cosmogoniae Phoeniciae, Caput sextum complectitur. Ex Oriente ad Meridiem</i>	122.
<i>in perlustranda barbararum gentium Philosophia progressis primi se offerunt Aegyptii, quorum de Philosophia scriptores, autores sapientiae Aegyptiacae, Mercurii duo, doctores eruditionis, methodus docendi arcana, disciplinaeque variae & dogmata, Capite septimo commemorantur; Capite vero octavo, post Aegyptios, circa Meridiem contemplandi occurrunt Aegypto vicini Aethiopes, horumque eruditionis & Philosophiae origines & facies, ratione & Philosophorum & doctrinae, describuntur. Perlustratis Orientis & Meridiei, sive Asiae & Africae, regionibus & populis, in Europa, sive circa Occidentem, habitantium, & ad Septentrionem</i>	127. 129. 130. 143. 144. 158. 190. 192. 196. 213. 218. 229. 230. 236. 240. 244. 246. 252. 264. 268. 273. 280. 305. 306. 308.
	LIII 3

- trionem* vicinarum, nationum exploratur Philosophia, & *Capite*
- Pag. 313. quidem *nono Celtarum, sive Gallorum, Bitannorum, Germanorum,*
316. & *Septentrionalium gentium, Philosophia & Philosophi, Druidæ*
318. 320. Celtarum, eorumque munus & autoritas, classes, methodus, reli-
322. 327. quorumque Celtarum Philosophi & dogmata, exhibentur; *Capite*
343. vero *decimo* ad Philosophiam *Etruscorum, & Romanorum* veterum
343. studium rerum naturalium & doctrinam, disceditur. Perlustra-
- to pæne mundo habitato gentibusque, quæ barbaræ Græcis di-
- ctæ sunt, omnibus, quod restat, de Philosophia & Philoso-
351. 354. phis circa *Septentriones habitantium, sive hyperboreorum, Scy-*
- tharum, Thracum, & Getarum, Capite undecimo* absolvitur. *Græ-*
- cæ Philosophiæ, quæ secunda Parte primæ Periodi, sive primi*
- hujus *Tomi*, continetur, duplex est facies. In ipsa enim ejus
- infantia & adolescentia barbaricæ valde similis, empirica magis
- fuit & simplex, quam artificialis; & continebatur vel sub fa-
- bulis, vel in politicis prudentiæ regulis, unde illam mytholo-
- gicam, vel poeticam quoque, hanc politicam & historicam, di-
- cere licet. Ex quo vero virilem quasi togam induit, & ma-
- gnorum virorum ingenio ad justum scientiæ habitum emerfit,
- mature in sectas & partes itum est; quod sectarum studium
- ita apud Græcos invaluit, ut non solum magna ingenia, magna
- philosophandi libertate in condendis systematibus suis usâ, se-
- ctatores potius opinionum & dogmatum, quam libertatis & ele-
- ctionis philosophicæ, invenirent, sed & illi, qui multos in do-
- gmaticorum philosophematis errores notabant, dubitationem
- potius & incertitudinem, quam sobriam philosophandi ratio-
- nem, sequerentur, atque ipsi sectam conderent, ex fine modo-
- que philosophandi Scepticam denominatam. Bene itaque in *Li-*
- bros duos distincta secunda Pars, primo Libro de infantia Philoso-*
364. *phiæ Græcæ* exponit, & *Capite* quidem *primo, de Philosophia Græ-*
368. 372. *corum fabulari*, hujus origines, autores, quos inter *Prometheus,*
373. *Linus, Orpheus,* eminent, aliosque Philosophos Poetas, eorum-
400. 428. que systemata dogmatum, indicat; *Capite secundo, de Philoso-*
435. *phia Græcorum politica*, sapientiam horum politicam & legisla-
438. toriam expendit, & de septem Sapientibus Græciæ ea dicit,
453. quibus & illi, & alii, eos secuti, honorificentissimum nomen
- acquisi-

acquifiverunt. *Libro* deinde *Partis* hujus *secundæ* *secundo* de *Philosophia* *artificiali*, qua ingenium humanum, Græcorum omnino industria, justo habitu philosophari, & meditationibus atque ratiocinationibus de veritate rerum divinarum & humanarum sollicitum esse cœpit, tractatio instituitur. Per duos vero quasi ramos hæc propagata est, ex quibus Græcorum omnis dimanavit Philosophia, & peculiares philosophandi modi orti sunt, quos, quia methodum unius Philosophi, rejectis aliis, sequebantur, sectas dicere solenne est, & *Philosophiam* *sectariam*. Unum *Thales* constituit, cujus ex schola non Ionici tantum, sed & *Socrates*, ejusque discipuli, prodire, quibus sectam Cyrenaicam, Megaricam, sive Eristicam, Academicam, aliasque minores, Peripateticam, Cynicam, & Stoicam, debemus. Alter est *Pythagora*, Samii, qui non scholam tantum *Pythagoricam*, Philosophiæ cultura olim celeberrimam in magna Græcia, condidit, sed & occasionem dedit condendi reliquas sectas, *Eleaticam*, *Heracliteam*, *Epicuream*, *Pyrrhonicam*. Legitur itaque *Capite primo*, de *Secta Ionica*, primus Philosophiæ Græcæ parens, *Thales*, ejusque & Ionicorum Philosophia distincte prodit; *Capite secundo*, de *Schola Socratica*, ipsius *Socratis* vita & fata, Philosophia, & discipuli; *Capite tertio*, de *Secta Cyrenaica*, aliisque, quæ huic debent originem, sectæ autor, *Aristippus* Cyrenaicus, ejusque sectæ doctrina, *Arete*, filia, discipuli, *Hegesiacam* & *Anniceriam* condentes sectas, *Hegesias* & *Anniceris*, alii, & scholæ denique exitus; *Capite quarto*, de *Schola Megarica*, sive *Eristica*, autor *Euclides* Megarensis, ejus doctrina, successor *Ebulides*, & discipuli; *Capite quinto*, de *Schola Eliaca* & *Eretriaca*, quæ, a *Socratis* doctrina, quantum constat, non recedens, pro nova, ut reliquæ, quæ ex *Socratis* disciplina prodierunt, secta non est habenda, autor *Phædo*, *Menedemus*, *Eliacam* scholam in patriam Eretriam transferens, unde *Eretriaca* vocata est, *Asclepiades*, & doctrina *Menedemi*. Prodeunt *Capitis sexti*, de *Secta Academica* inscripti, & *Sectionibus IV* distincti, *Sectione I* *Plato*, ejusque Philosophia, Academia, discipuli, fata, scripta, observationes doctissimæ de Philosophia *Platonis*, & causis obscuritatis ejus,

Plato-

Pag. 458.

463. 465.

523.

555. 569.

585.

592. 599.

600.

610.

612. 613.

614.

622. 625.

626.

628. 670.

659.

- Platonisque successores; *Sectione II*, de *Academia prima, sive veteri*, quæ ex sinceræ Philosophiæ *Platonice* asseclis constitit, horum primus, cathedramque *Platonis* a præceptoris morte occupans, *Speusippus*, *Potones*, *Platonis* sororis, ex *Eurymedonte* Pag. 728. filius, *Xenocrates*, *Polemo*, *Crates*, *Crantor*, placitaque horum 732. 740. philosophica; *Sectione III*, de *Academia media*, quæ non plane 742. quidem *Platonem* deseruit, aliam tamen philosophandi rationem inivit, hujus autor *Arcefilaus*, origo methodi philosophandi, *Academix* mediæ receptæ, *Philosophiæ* ratio, successorque 746. 749-755. ejus *Lacydes*; *Sectione IV*, de *Academia nova, sive tertia, quarta, & quinta*, *Carneades*, *Arcefilai* doctrinam atque dubitationem paulisper inflectens, tertiæque *Academix* conditor, *Philo*, hujus quidem vestigia non relinquens, propius tamen, iis insitendo, ad veteris *Academix* semitam incedens, unde quibusdam occasio enata, quartam *Academiam* numerandi; *Antiochus Ascalonita*, ab *Academix* placitis ita recedens, ut quinta inde *Academix* facies memoretur; quorum additis subinde doctrinis *Academix* finis adjectus est. *Capitis septimi*, de *Aristotele & Secta Peripatetica*, *Sectione I* ipsius *Stagirite* vita, & 776-839. *Philosophia*; *Sectione II* ejus successores, *Theophrastus*, *Strato* 840 859. *Lampfacenus*, *Lycon*, *Aristo Cezus*, *Critolaus*, *Diodorus*, asseclæque alii, cum doctrinarum systematibus, comparent. *Caput* 680. 862. *octavum*, de *Secta Cynica*, *Cynicorum* nomen & originem, *Anti* 865. 871. *tisthenis* vitam, *Philosophiæ* *Cynicæ* faciem, *Diogenem* *Sinopeniensem*, ejusque mores & præcepta, *Onesicritum*, aliosque 883 886. discipulos *Diogenis*, & in his *Cratetis* uxorem, *Hipparchiam*, inter mulieres philosophantes celeberrimam, producit. *Capitis noni*, de *Secta Stoica*, *Sectione I*, de *Zenone*, ejusque *Philosophia*, dantur, præter notitiam celeberrimi hujus principisque *Stoicorum* 895. viri, de *Philosophia* *Stoica* observationes, decreta *Stoicorum* 902. 911. de *Philosophia*, partiumque *Philosophiæ* *Stoicæ* summa. *Sectione II*, de *discipulis & successoribus Zenonis in Schola Stoica*, ipsi illi, in *Porticu* post magistri fata docentes publice, celeberrimi viri, *Perseus*, *Aristo Chius*, &, quæ mutavit in systemate *Stoico*, propriam sectam meditatatus, principia, *Herillus*, *Sphærus*, *Atbenodorus*, *Cleanthes*, *Chrysippus*, *Zeno Tarsensis*, *Diogenes Babylon.* *Anti-*

Antipater Tarsensis, Panetius, Posidonius, Jason. Restat alter successione Philosophiæ Græcæ, uti dictum est, ramus, sectarumque, a *Pythagora* ortarum, historia. *Capite itaque decimo* perlustratur *Secta Italica*, quæ, ut mos erat antiquitus, a loco, ubi condita floruit, parte Italiæ inferiore, nomen accepit, ferius ab autore *Pythagorica* nominata. Quæ pars Italiæ cum præter vicinas insulas Græcis coloniis scateret; Græcia inde magna vocata est, hincque sectæ, in his oris natæ, recte Græcis accensentur. *Sectione I, de Vita & Philosophia Pythagoræ,* hujus præceptor, *Pherecydes*, ejusque doctrina, *Pythagoræ* or- Pag. 982.
 tus, studia, itinera, miracula, virtutes, familia, mors, scripta, do- 986.
 cendi ratio, auditorum genera, vivendi ratio, observatio- 994. 998.
 nes criticæ generales de Philosophia ejus, doctrinaque philo- 1003-
 sophica ipsa pro diversis partibus, cum symbolorum summa; 1021.
Sectione II, de discipulis & sectatoribus Pythagoræ, Aristæus, ux- 1025.
 ris non tantum *Pythagoræ* & literarum curam atque educatio- 1033.
 nem, sed & scholæ successione, suscipiens, *Mnesarchus*, alii- 1039.
 que successores, duratio sectæ *Pythagorica*, celebrioresque 1044-
Pythagorici, cum præcipuis suis placitis philosophicis, memoran- 1059.
 tur. Celebratur *Capite undecimo Eleatica secta, Eleæ, sive Ve-* 1101.
liæ, magnæ Græciæ urbe, exorta, *Xenophanes*, sectæ conditor, 1105.
 sectæque Philosophia, *Parmenides, Melissus, Zeno Eleates,* 1106.
Leucippus, Eleaticam Philosophiam immutans, Democritus, Pro- 1141.
tagoras, Diogoras Melius, Anaxarchus, singulorumque syste- 1142.
 mata ac dogmata præcipua Philosophiæ. Consideratur eadem 1143.
 ratione *Capite duodecimo secta Heraclitea, Heracliti* vita, ejus- 1146.
 que sectatorum, sive admiratorum, qualis *Hippocrates*, Medico- 1157.
 rum parens, fuisse videtur, Philosophia. De *secta Epicurea Capite* 1166.
decimo tertio refertur, ubi de ipso *Epicuro*, ejus schola, scriptis, vita 1171.
 privata, morte, objectis ei vitiis, odiique & calumniarum in ipsum 1177.
 causa, amicis & sectatoribus, cultu post mortem, memoratur, & 1200.
 præmissis de Philosophia ejus observationibus, de singulis Philo- 1203.
 sophiæ *Epicureæ* partibus, præcipuisque placitis, ipsius denique 1207.
 scholæ successione, agitur. De *secta Pyrrhonica, sive Sceptica, Ca-* 1208.
put decimum quartum, tradit sectæ nomen, conditorem *Pyrrho-* 1211.
nem, origines scepticissimi *Pyrrhonis*, sectatores, durationem sectæ, 1223.
 M m m m Sceptici

- Pag. 1329. Sceptici systematis negationem, inter sectam Pyrrhonicam &
 1331. Academicam discrimen, Scepticæque Philosophiæ compen-
 1332. dium. Denique, ut integra simul totius hujus *primæ Periodi*
facies philosophica appareat, appendicis loco *Capite decimo*
quinto de fati Philosophiæ Græcæ extra Græciam, in Ægypto
 sub Græcorum imperio & coloniis, & in Asia, sive Orientis re-
 gionibus magis ad Occidentem vergentibus, de *Alexandro*
M., cum armis victricibus Philosophiam Græcam ad alias
 1349. gentes transferente, influxu fortunæ *Alexandri* hujus in
 1352. Philosophiam apud Asiæ gentes, fortuna Philosophiæ Græ-
 1355. cæ in Ægypto, & Syncretismo Philosophiæ Græco-Ægy-
 ptiacæ, differitur. Commendant librum doctissimum, atque in
 optimis ponunt, & argumenti dignitas, & rerum selectarum co-
 pia insignis, ordo mirabilis, & erudita tractatio, nosque, felices
 Cel. Autori Operis egregii primitias gratulantes, eidem ad perfi-
 ciendum illud annos, salutem, vires, ex animo comprecamur.

OECONOMIA REGNI ANIMALIS, IN TRANS-
actiones divisa, quarum hæc prima de Sanguine, ejus
arteriis, venis, & corde, agit, anatomice, physice, &
philosophice, perlustrata. Cui accedit introductio
ad Psychologiam rationalem.

Londini & Amstelodami, apud Franciscum Changuion,
 1740, 4 maj.

Alph. 2 plag. 4, Tab. æn. 1.

Observationum physicarum magnum, ut inter omnes con-
 stat, habemus cumulum; qui vero iis ad confirman-
 dam amplificandamque Philosophiam naturalem, & veram
 theoriam medicam, recte uterentur, pauci admodum fue-
 runt. Hos inter nomen professus suum Doctiss. Autor, ratus-
 que, interesse omnium, ut ex cumulis conjectis construamus æ-
 des, & segetem falce metamus, epulisque fruamur paratis, hoc est,
 ut ab experientia, qua abundamus, sapere tandem nitamur, ipse-
 met hanc viam ingreditur, & ad œconomiam animale[m] anatomo-
 mice,

mice, physice, & philosophice, perlustrandam accedit. Quem admodum vero Cel. *Swedenborgius*, quem, fama fert communis, hujus esse libri Autorem habendum, aliis jam, iisque præstantissimis, ingenii monumentis magnum sibi nomen comparavit; sic præsens quoque novi Operis specimen, quod jam præ manibus habemus, amplissimam ejus doctrinam, summum ingenii acumen, admirabilem judicii vim, & exquisitam in perspiciendo rerum a sensibus abstractarum nexu habilitatem, aliasque dotes, abunde declarat. Præclare autem monet, experimenta atque observationes recte firmiterque ante omnia esse constituendas, quoniam ad conditiones causasque rerum, seu ad veritates, nisi unica experientia, perveniri nequeat. Sed quæritur, an hodie ea jam proset experimentorum copia, ut naturam ex illis solis pervestigare queamus, nec, præter experientiam, nobis utendum sit conjecturis. Et sane fatetur Noster, experientiam particularem, quæ scilicet unam eandemque rem stricte comprehendit, & proxime attingit, qualitates ejus occultas neququam exhaurire penitus ac revelare, nec illi cum suis causis explorandæ suffecturam esse, tametsi omnibus numeris foret absoluta, & per secula accumularetur. At vero, si experientia communis, seu omnis, quæ in anatomicis, medicis, chemicis, physicis, aliisque scientiis naturalibus, existat, in auxilium singularum rerum explorandarum arcessatur, hodie videmur esse instructissimi. Ne ergo illudamur rerum specie, nulli particulari experientiæ accedat fides, nisi experientia communis velut suffragetur, hoc est, nisi ultima cum mediis in tota progressionem connexa & confirmata extiterint. Nec aliter tale conditur artificium, quod postmodum & sero ex superadditis mille cumulis experientiæ ipsa posteritas veris agnoscat inniti fundamentis, nec quælibet ætas opus habebit, destructo priori, novum semper erigere. In experientia anatomica nobis prælucent Viri acutissimi & ingenio cultissimi, *Eustachius*, *Malpighius*, *Ruyfchius*, *Leewenhakius*, *Harvæus*, *Morgagnius*, *Vicuffenius*, *Lancisius*, *Winslovius*, *Ridleyus*, *Barbaavenius*, *Wepfferus*, *Heisterus*, *Steno*, *Valsalva*, *Duvernus*, *Nuckius*, *Bartholinus*, *Bidlous*,

Verbeimius, & plures alii. Horum vigiliis, & cum cura elaboratis scriptis, tanquam tot præfidiis, munitus Noster, rem propositam aggredi & perficere constituit, scilicet aliquam partem eorum aperire, quæ naturæ obscuritate putantur occultari. Quibus passim propriam adjicere & inspergere habuit in animo experientiam; sed fecit id parce, quod, re altius pensitata, consultius duxit, commodatis uti. Sunt enim, qui, ad capiendas experientias quasi nati, reliquis oculatius vident, uti *Eustachius*, *Leeuwenbakius*, *Ruyfobius*, *Lancisus*. Et sunt, qui, causas rerum experientia cognitarum explicandi, naturali quadam pollent facultate. Utræque dotes rarius in uno eodemque homine conjunguntur. Veteres sapientia, & in perspicendis rebus integritate, & in occultis suspicandis acumine, nobis fuisse superiores, nuperæ vero nostræque ætati, quod attinet ad præfidia, quibus opus est ad ingenia ulterius excolenda, seu experimenta cumulanda, sapientia futura adminicula, posteritati, sicut spes est, inservitura, cedere antiquos, Noster judicat. Quoniam a communibus initiis est progrediendum, ut cuncta suo ordine profluant; idcirco doctrinam sanguinis, ejusque vasorum omnium, primo tradendam putavit. In sanguine enim, tanquam in typo, conspiceri licet singulas partes, de quibus est agendum, ab ejusdemque natura, constitutione, determinatione, continuitate, & copia, vitæ animalis fors pendet & conditio. Nequit tamen illa de sanguine doctrina nisi ultimo absolvi, cum scientiam eorum omnium, quæ sanguinem ingrediuntur, & constituunt, neque minus notitiam omnium viscerum, membrorum, organorum, & tunicarum, quas suo ille circuitu vita perfundit, requirat. Quorum si universa ratio ignoratur, etiam, qualis sit sanguis, ignoramus. Ut adeo unica sanguinis scientia omnem anatomicam, medicam, chemicam, & physicam, imo etiam psychologiam, postulet. Nam patitur animus secundum statum sanguinis, agiturque sanguis secundum pathemata animi. Ergo in hac tractatione Cæl. Autor non late ultra experientiam particularem de sanguine, vasis, & corde, exspatiari audeat, nec concinnare nisi locos quosdam commu-

communes, aut dare nisi notiones rerum obscuras, ei licuit. Temporis & progressionis opus est, ut, quæ hic obscuriora apparent, expediantur, & distincte explanentur. Ipse satis habuit, experientiam stricte premere, & naturæ ordinem sequi, qui est, ut notionem distinctam præcedat obscura, & particularem communis. Quæ quam vere de obscuritate aliqua dixerit, nos quidem ex ipsius Operis lætione intelleximus, experti quippe, multa in eo esse, quæ sensum habent perdifficilem & implicatum. Cum etiam Noster nequeat, nisi communia & universalia, adhuc tradere; facile prævidet, fore, qui plura ex iis, quæ afferuntur, pro conjecturis habeant, aut paradoxis, verum non facile alios, quam vel omnem Anatomix, Physices, & Chemicæ, reliquarumque scientiarum & artium, cursum nondum ementos, vel præjudicatis opinionibus abreptos, vel ad nexum rerum distincte comprehendendum ineptos. Sed, temporis & progressionis opus esse, monet, ut expediantur hæc ipsa, doctrinæque hæc, quamvis primo tradatur, non tamen nisi ultimo absolvi, exitumque declaraturum esse, num ea, quæ principio tanquam fortes obscuræ forsitan apparent, dein, suadente effectuum copia, genuina sint responsa, & veritates, futura. Quæ cum ita se habeant, nemo nobis vertet vitio, si, ab omni de nova hæc Philosophia iudicio abstinentes, solam ejus summam breviter stricteque repetamus, donec forsitan aliquando clarior ubique lux, in ejus spem nos Cæl. Auctor erigit, post hæc auroram oriatur. Copiosius tamen, quam forte pro instituti nostri ratione par erat, hæc sumus præfati, ut Lector universi, quod Noster molitur, Operis finem, traditionisque rationem, ante omnia cognoscat. In singulis vero Capitibus ea utitur methodo, ut primo loco experientiam Virorum doctissimorum ponat, diserta ipsorum verba sequendo, ne silentio videantur premi illa, unde quis forte alia omnia putet elici & iudicari posse. Ubi tamen multis haud dubie fuisset gratius, si libros etiam doctissimorum virorum & locos indicasset, ex quibus observationes hæc atque experimenta sunt excerpta. Deinde ex his locos quosdam communes, seu, ut vocat, inductiones generales, formatas exhibet, has-

- que sigillatim per experientiam, fundamenti loco jactam, quantum adhuc licet, confirmat, uberiorique explicatione illustrat. Atque ita tandem propius nunc ad librum ipsum accedere, novasque Autoris argumentationes & sententias, ipsius maximam partem verbis recitandas, velut in conspectu, contueri licet. *Paragraphus*, ut vocatur, *primus*, de sanguinis compositione & genuina essentia disquirat, eodemque fine observationes *Leeuwenbækii*, *Lancisii*, *Barbaavenii*, *Guilielmini*, *Malpighii*, *Verbeieni*, recenset. Quæ exinde concluduntur, huc redeunt: Sanguinem rubrum tanquam substantia principalis ingreditur, & ejus essentiam vitalem constituit, fluidum illud purissimum, quod nonnulli spiritus animales vocant. Accedunt etiam ex prosapia salium plura, quæ ejusdem partium compositionem ingrediuntur. Unde sanguis existit liquor compositus, & ultimus, qui animæ vices in regno animali gerit. Sanguis ruber circumfunditur sero, in quod conferri debet omne id, ex quo ille constituatur, & coalescat. Ob quem finem ei per chylum, vehente aqua, apportantur omnis generis spiritus, olea, salia, & per aerem, adminiculo pulmonum, nitra & volatilia, in atmosphæra fluentia, per ætherem vero, seu aerem puriorem, adhuc volatilia, a quibus singulis, nisi locupletetur, ille ad omnem usum, quem poscit æconomia animalis, parari & redintegrari nequit. Sanguis itaque promptuarium est, & seminarium, & parens, & alumnus, omnium partium tam solidarum, quam mollium & fluidarum, in suo regno; nam nihil in corpore existit, quod non in sanguine præexistat. Idcirco ex ejus natura, constitutione, determinatione, continuitate, & copia, vitæ animalis fors pendet & conditio, in eoque continetur ratio, cur & quomodo vita in corpore & in ultimo mundo duci & continuari queat. At, quia illa ex tot regnorum mundi substantiis & elementis existit, subsistitque, quæ, qualia sint, adhuc ignorantur, scientia ejus absolvi nequit, antequam in genere, specie, & parte, explorata habeatur natura aurarum mundi, aquarum, oleorum, spirituum, salium fixorum, volatilium, essentialium sulphurum, causæ item caloris, ignis, flammæ, frigoris, colorum, & ceterorum, quæ in Chemia

mia & Physica experimentali excoluntur, quin imo eorum
 etiam, quæ in Psychologia & Pneumatica exponi solent. Qui- Pag. 37.
 bus non leviter perspectis, aliquatenus constat, essentiam vitæ
 & activitatis propriæ in sanguine constituere fluidum spirituo-
 sum, ex quo, mediante copioso volatili, ex æthere petito, san-
 guis pellucidus vel medius existit; demum, temperantibus, co-
 pulantibus, determinantibus, & perficientibus, salibus fixis at-
 que urinosis, sanguis ruber & gravis emergit, qui in eadem
 principia per gradus se dividi patitur, dum per similis ordinis
 vasa, capillos, & fibras, fluere cogitur. Proinde tres compo- 38.
 sitionis gradus in sanguine considerandi sunt, itque distincte
 percipiendi. Ille enim distincte in quemlibet componi, &
 in quemlibet divisi, solet. Quorum ultimus ut plurimum
 constare debet ex sex sphericis plano-ovalibus, quæ se toti- 39.
 dem unius salis fixi parietibus cavis inaptant, unde partium
 ejus figura spherica excitatur. Quamvis vero omnem sangui-
 nem genuinum substantia spirituoſa, cujusvis animalis regno pro-
 pria & principalis, & unica vitalis, ingrediatur; sanguis tamen
 in nulla non specie animalium diversus est, atque in nullius non
 speciei subiecto, secundum temperamenta, status, & ætates, va-
 riarur, sed is in omnibus secundum corporis valetudinem legiti- 40.
 mus & spurius producitur. Quod ad ejus primam substantiam,
 sive fluidum spirituosum, & ad ejus alteram, seu sanguinem pu-
 riorem, attinet, utraque in suo gradu summe est elastica, faci-
 leque confocianda, plicanda, & in omnem formam redigen-
 da. At, in quamcunque redigatur, perpetuo naturaliter ad
 perfectissimam suam adipirat, & redire committitur. Atque sic 41.
 ad omnem est fluiditatis naturam, & causæ efficientis modum,
 opportunus, ut in ea re nihil utrumque superet. Compositio-
 ni vero ultimæ, quæ proprie sanguis vocatur, eadem qualita-
 tes, sed secundum gradum compositionis imperfectius, insunt. §. II.
*Paragraphus secundus de arteriis, venis, & de sanguinis circula-
 tione, agit. Observationes & experimenta, quæ eo pertinent,
 ex Verheyeno, Bidloo, Mangeto, Morgagnio, Heistero, Lanci-
 sio, Vieusseno, Malpighio, Baglivo, Leeuwenbækio, Barbaa-
 venio, petuntur. Ex his Angiologia, seu doctrina de arteriis &
 venis,* Pag. 47-61.

- venis, traditur, eaque usque ad Neurologiam, Adenologiam, ac Myologiam, extensâ atque amplificata, hisque potissimum
- Pag. 65. placitis innixa: Sanguis, ut determinate ad fines & usus fluat, intra vasa tunicata fluit, quibus mediis circulatio, a cordis nimirum sinistro thalamo per arterias usque in venas, peragitur, & ab illis in dextrum, atque ab hoc per pulmones in finitum cor, redit. Prout ipse sanguis, ita tunica vasorum, triplicis originis, gradus, naturæ, compositionis, & appellationis, est, ut continens & contentum unam determinationis causam agant.
66. Membranæ, quæ plures sunt, respondent sanguini, & est una
68. altera prior, universalior, perfectior, simplicior. Omnes, simul sumtæ, & mutua super impositione connexæ, sanguinem rubrum includunt & vehunt, pauciores & simpliciores sanguinem puriorem, & una simplex fluidum spirituosum. Hinc in vasis tres gradus compositionis, uti in sanguine & membranis, obveniunt, itidem distincte percipiendi. Primi gradus sunt vasa communiter sanguinis dicta, alterius sunt vasa exsanguia, tertii sunt fibræ nervorum. Proinde iis conformiter ipsa circulatio est subtriplicata, nimirum minus universalis, quæ est sanguinis rubri, universalior, quæ est sanguinis purioris, & universalissima, quæ est fluidi spirituosissimi. Sanguis ruber, dum a vasis sui ordinis transit in vasa alterius, dirigitur in puriorem, seu dividitur in sanguinem alterius ordinis. In primo transitu seu divisionis ostia depositis atomis salinis, seu urinis, aut sulphureis, compositionem illius ejus gradus ingressis: sic etiam, dum ab illis in vasa primi ordinis, seu in fibras, penetrat. Per
71. fibras deinde continuat viam, & revertitur in vasa secundi & tertii ordinis, & per similes gradus, per quos divisus est, iterum componitur. Sic perficit circulum suum universalem, cujus nec principium, nec finis, determinari potest. quo mediante, nihil non in suo limitato universo continuat, irrigat, alit, renovat, format, actuat, & vivificat. Vasa, prout cetera in mundo adspectabili, in quolibet suo gradu suum maximum & suum minimum determinatum habent, & a suo maximo progrediuntur ad suum minimum, & a minimo ad suum maximum, ab arteriis scilicet magnis in minores & minimas, & a venis minimis

nimis ad maximas, quæ omnes volumen sanguinis rubri vehunt, & non nisi unum ordinem vasorum constituunt; sic etiam vasâ secundi ordinis, quæ sanguinem simpliciore[m] vehunt, atque fibræ, quæ fluidum spirituosum continent. Proinde ab unius ordinis sanguine, membranâ, & vasis, non per continuâ extenuationis & decreſcentiæ, sed per divisionis cujusvis unitatis vel partis, & per separationis, viam, transitus conceditur. Iplum volumen sanguineum, in quocunque suo gradu spectatum, est mixtum heterogeneum, mixtum homogeneum, & purum. Dum circulum suum proprium peragit, a mixto heterogeneo se redigit in homogeneum, & ab hoc in purum. Etenim, ut pergit, se purificat a sero, ut, dum transit in suas venas, purum existat, pederentim secretis ejectione heterogeneis & homogeneis mixtis. In venis iterum a volumine puro transit in mixtum homogeneum, & ab hoc in heterogeneum, atque sic etiam volumen sanguinis simplicioris, & fluidi spirituosî. Sicut sanguis & vasâ sunt triplicis ordinis; ita etiam omne id, quod a vasis contextitur, ut glandule, quæ compositæ, simpliciores, & simplicissimæ, sunt, & secundum suam ordinem glandule, vesiculæ, pori, appellantur, quorum unum componitur ab altero, & unum dividitur in alterum. Secretiones ab arteriis in tales glandulas, & excretiones, item commixtiones, & resorbitiones, a venis in simili ordine sunt. Hæc omnia ut effectum consequantur, perennis circulatio voluminum requiritur, scilicet sanguinis rubri a corde sinistro in aortæ truncum, a truncum in ejus ramos, a ramis in vasâ ejus ordinis minima, ab his in venulas, ut & in numerosâ secretionis cava, & recipientia, ut hac voce uti liceat. Peragitur ea per successivam intra momentum inperceptibile undulationis promotionem, exinde in singulis permeatorum vasorum locis oritur sensibilis elevatio, quæ dicitur pulsus. Hæc undula, primum impullum a corde naeta, dein a toto systemate arterioso promovetur ad exitus, & quidem secundo flumine, & aucta celeritate, ut proinde in minoribus ejusdem ordinis vasis ferre spontaneus ejus undæ, multifariam divisa, eveniat transfusus, & magis adhuc pernix spontaneusque in vasis secundi, &

Pag. 74.

75.

77.

84.

86.

- immensus in primi ordinis vasis, sive fibris, quarum actio non pendet ab unico corde corporis, sed ab infinitis quasi corculis, sive sphaerulis substantiæ corticalis & cineræ, quæ singulis fibris in cerebris, & eorum binis medullis, sunt præfixæ. Ad circulationem dirigendam & promovendam requiritur quædam communis pressio, seu æquilibrium pressionis omnium articularum, inde a corde, in ramorum successione, sine qua pressione, toti systemati arterioso indita, nulla circulatio, prout nec sine circulatione ulla pressio communis, existere & subsistere potest. Ad pressionem hanc communem & circulationem promovendam in vasis requiritur tunica muscosa, multiplici annulorum motricium serie instructa, ab ipso cordis musculo in vasa capillaria usque continuata, tum etiam interior membrana, quæ annulos colligat, & ad communem hunc effectum determinet, ut in arteriis obtinet. Aliter vero fit in venis, in quibus nulla est circulatio, sed nuda impletio & depletio, seu pressio in suum sanguinem ad omnem directionem æqualis, tam sursum, quam deorsum & ad latera, prout liquidorum in suis conis recipientibus. Influit enim & suscipitur flumen sanguineus ab innumeris venarum originibus, non statis, sed divertis, momentis, & per unicum sinum venosum in cordis dextri thalamos exoneratur, secus ac in arteriis. Ex data pressione communi & circulatione voluminis, cum vasorum conditione, & sanguinis naturis, collata, arcana scientiæ angiologicæ ad has leges communes referuntur: 1) Congrua liquida & elementa sanguini apportanda, 2) commiscenda, 3) insinuanda & porrigenda, 4) separanda, 5) sequestranda, 6) sequestrata eliminanda vel resorbenda, 7) ipsum sanguinis globulum resolvendum & reuniendum esse, & sic continuo. Li-
quorum & elementorum apportatio, commixtio, & insinuatio, verbo, tota compositio sanguinis, peragitur in venis, at separatio, sequestratio, eliminatio, in arteriis, & divisio partium sanguinis in limine, dum ab unius ordinis vasis in alterius transscendit. Quo itaque sanguis a sero depuratur ab arteriis in venas immediate traducitur, eo status circulationis ad naturalem perfectissimum propius accedit. Cetera sanguini puro, ab arteriis
- 101.

arteriis in venas sic propagato, admiscenda, ab innumeris diversi ordinis excipulis, ductibus, & poris, afferuntur, & a venulis arripiuntur. Ita arteriæ averfantur & rejiciunt ea, quæ sanguini non conveniunt, & venæ expetunt & adsciscunt ea, quæ sanguis ad sui renovationem & conservationem necessario & contingenter exposcit. Ne itaque immoderate averfationes arteriarum, & appetentiæ venarum, ut & alia, œconomiam animale[m] pessundent, id natura per vasorum perpetuam communicationem, & ubivis per causarum, idem efficientium, multiplicationem, tum per subordinationem vasorum unius gradus sub vasis alterius, præcavit. Unde effectus redeunt certi, & causæ reficiunt, quodcumque in causatis deficit & labitur. Utque id cerebra ex causis & principiis suis continuo efficiant, & ne vitiis corporis continenter afficiantur, arteriæ & venæ, tum corpori, tum cerebris, propriæ, singulari modo inter se communicant, & a diversa motus origine pendent. *Tertius Paragraphus* formationem pulli in ovo, & arteriarum, venarum, cordisque, inchoamenta, persequitur, & quæ *Bellinus, Mulpighius, Lancisius, & Harveyus*, ea de re observarunt, commemorat, ex quibus hæc colliguntur: Dum formatur embryo in utero, vel pullus in ovo, omnia distinctissime peraguntur. Singula membra successive, seu unum post alterum, producuntur, neque aliqua est realis esligies maximi in minimo, seu in aliquo primo typus futuri corporis, qui simpliciter expanditur. Etenim, quodcumque coexistit, successive est exstiturum. Omnia, quæ sic successive producuntur, ante & secundum usum, quem postmodum præstabunt, conformantur, neque est quidquam, quod non aliquid conferat ad ulteriorem quendum usum & finem, ita quidem, ut, dum constituitur in medio, contineat rationem sequentium, & referat se ad antecedentia, a quibus pendet, & propter quæ ita, non aliter, existit. Est quædam substantia aut vis formatrix, quæ a primo puncto vivente ducit stamen, & ductum usque ad ultimum vitæ tempus continuat, de qua ob defectum terminorum vix quidquam adæquate prædicari potest, nisi quod sit prima, perfectissima, universalissima, & simplicissima, sub-

Pag. 102.

103.

104.

105.

107.

§. III.

Pag. 118.

130.

133.


134.

135.


136.

137.

138.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1742

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 K 4⁰

- stantiarum & virium sui regni, cui assignata est intra suum mundulum corporeum quædam species omnipotentia, potentia, scientia, providentia, cui simul et in presenti adesse, & quasi inesse, videntur fines tam primi, quam medii & ultimi, secundum quos consequuntur provido & certo ordine causæ usque ad ultimum effectum. Hinc illa non aliter repræsentat sibi statum formandum ac statum formatum, imo & statum formatum ac formandum. Series quoque omnium contingentium, uti apparent, ad formationis opus perficiendum, eidem in presenti adest, & quasi inest. Etenim in ovo & utero omnia provisâ & parata adiunt, quæ usquam contingenter adesse possunt. Secundum naturam & statum hujus substantiæ formatricis fluunt causæ in suos effectus, ejus intuitioni, aut repræsentationi, convenienter, uti ex diversis animalium formis, gravidarum vi imaginativa, & ei conformiter notato embryonis corpusculo, ex formatione cerebrorum, seu organismi sentuum internorum, diversâ in diversis animalium speciebus, & specierum subjectis, apparet. Idcirco conditio organismi non est primario in causâ facultatum internarum, sed vis aut substantia illa formatrix est, in cujus naturam & repræsentationum imaginem formata fuerunt omnia. Ipsissima vis & substantia formatrix est anima, post eam est fluidum spirituosum, tum sanguis purior, demum ruber, qui hinc tanquam anima est corporea, seu microcosmi. Omnes dici queunt substantiæ & vires formatrices, sed singulæ secundum suum gradum, quibus unica substantia vitalis, quæ est anima, præest. Quoniam igitur omnia aptissime subordinantur, & coordinantur; sequitur, fluidum spirituosum primam agere causam, sanguinem puriorem secundam, sanguinem rubrum tertiam, seu effectum priorum; tum etiam, fibrulas purissimi omnium primo produci, dein vasa purioris, demum vasa rubri sanguinis, quorum unum præcedit alterum, & dein, uti componuntur, unum agit cum altero. Animal proinde, in ovo & utero successively crescens, quatuor insignes mutationes & diversos status percurrit: primum, quando ope fluidi spirituosii initia utriusque cerebri & utriusque medullæ trahuntur, & delineantur; secundum,

dum, quando beneficio sanguinis purioris cordis textura sim **Pag. 147.**
 plex paratur; tertium, quando medio etiam sanguine rubro pul- **148.**
 mones exarantur; quartum, quando exarati pulmones inci- **149.**
 piunt aerem spirare, quod fit post exclusionem ab ovo natali,
 vel ab utero genitili. Sunt tres motuum communes fontes,
 a quibus particulares cuncta dependent, cerebra scilicet, cor,
 & pulmones. Motus cerebrorum vocatur animatio, a qua
 fluidi spirituosus actio pender; motus cordis est systole & dia-
 stole, a qua sanguinis fit circulatio; pulmonum est respiratio,
 ceu precipue sanguinis purioris, sed, quia sanguis ille purior
 est medius inter fluidum spirituosum & sanguinem rubrum,
 ipsius etiam motus motui utriusque, tam cerebri, quam pulmo- **150.**
 num, debetur. In statu formationis ante exclusionem ab ovo
 aut utero concurrat animatio cerebrorum cum systole & diasto-
 le cordis, sed, formati pulmonibus, & excluso pullo aut em-
 bryone, animatio cerebrorum se cum respiratione pulmonum
 conjungit, relicta cordis societate. Sed illa iterum cum cor- **157.**
 dis motu se reunit, quando ob diversas causas pulmones, pul-
 sante tamen adhuc corde, pulsare desinunt. Præterea ex cor- **158.**
 dis primæva fabrica, & ejus pulsu in iis animalibus, quæ uno,
 tum etiam ex iis, quæ pluribus, instruuntur, apparet, quod
 primitivum corculum, in tres vesiculas distinctum, naturam &
 modum agendi venarum, & simul arteriarum, quarum spa-
 tium medium tenent, referat, scilicet, quod ex dissimilis na-
 turæ & modi concurrentibus vasis resultat intercapedo, tribus **159.**
 vesiculis ovalibus distincta. Tum etiam ex ipsius corculi pri-
 mævi simplici fabrica status cordis adulti, & arteriarum, de-
 signatur. Hæc tamen diversè fieri solent in animalibus perfe-
 ctioribus & imperfectioribus, in iis, quæ in utero, & iis, quæ
 in ovo, formantur. Cuncta autem, huc usque commemorata,
 evidentissime providentiam infinitam & omnipotentiam divi-
 nam declarant. *Paragraphus quartus* circulationem sanguinis **§. IV.**
 in foetu nondum nato, itemque foramen ovale, & canalem ar-
 teriosum, cordis embryonum & infantum, exponit; ubi, præstru- **Pag. 172-**
 ctis *Verheyeni, Loweri, Harveyi, Needhami, Mannickii, Merii,* **178.**
Morgagnii, Fantonique, observationibus, circulationis ratio sic
 expli-

- Pag. 180. explicatur : Subit circuitus sanguinis rubri, quod ex anatomia pulli in ovo incubato apparet, tres insignes mutationes & vices; primam, cum primitivum cor, seu punctum saliens, sanguinem acceptum per aliquot ramos sursum versus cerebra propellit, & cerebra illum deorsum in vasa umbilicalia expriment, quo tempore cerebra præcipuam ejus circulationis causam agunt; secundam, cum aorta in regionem abdominis etiam defertur, tunc sanguis per venam cavam inferiorem, trajectis vesiculis cardiacis, versus cerebra aufertur, & inde per venam cavam superiorem iterum trajectis vesiculis cardiacis, per aortam descendentem in abdominis partes depellitur, a quibus dein per cavam inferiorem redit, ut prius. - Circulus, quem sanguis, ita translatus, describit, est quasi duplicatus & reflexus, sed tamen continuus. Sic, dum talis circulatio continuatur, necesse est, ut bini motus in auriculis, & bini in ventriculis, successive existant. Similis etiam est circulationis modus & determinatio in corde unito, seu conico, antequam pulmones respirare incipiunt, scilicet, quod sanguis a cerebris per venam cavam superiorem in ventriculum cordis dextrum devectus, inde per tubum arteriosum in aortam descendentem, & sic in omnes partes inferioris regionis, propellatur, exinde per venam cavam inferiorem ascendat, & per foramen ovale in ventriculum cordis sinistrum, & inde versus cerebra, exigatur, atque sic continuo, ipso corculo sic flumen utroque distinctius determinante. In hunc finem paratum est foramen ovale, & tubus arteriosus, sine quibus talis circulatio nequaquam peragitur. Antequam igitur per pulmones via sanguini a dextro cordis ventriculo in sinistrum conceditur, omnis per cerebra trajicitur, priusquam in corpus & ejus viscera defertur. Et, ne cerebra contaminentur sanguine spurco, in antecessum traducitur per hepar, ut repurgetur. Hæc tamen cum differentia accidunt in oviparis & viviparis. Tertiam denique mutationem experitur post partum, & exclusionem. Tunc enim sanguis a vena cava superiori, & simul ab inferiori, in auriculam & ventriculum dextri cordis, & trajectis pulmonibus, in auriculam & ventriculum sinistri, & inde in aortæ truncum, pel-

itur, a quo cerebra non plus sanguinis desumunt & subtrahunt, quam ratio eorum status postulat. Tunc non amplius bini motus in auriculis, & bini in ventriculis, succedunt. Cum illico post partum sic vertitur cardo circulationis, foramen ovale, & tubus arteriosus, necessario clauduntur. Sed tamen foramen hoc ex variis causis ab auricula dextra versus sinistram diu adaperitum, quin etiam ex nonnullis a sinistra versus dextram, teneri potest. *Paragraphus quintus*, de corde testudinis marinae agens, observationem *Morgagni* de eodem exprimit, & ex comparatione illius, utpote triventris, cum corde animalis terrestris, utpote biventri, quintuplicem hanc differentiam demonstrat: 1) quod cor trium ventriculorum e suo dextro binas arterias magnas emittat, cum ex corde duorum ventriculorum non nisi una magna, seu aorta, & quidem ex sinistro, prodeat; 2) quod illud ex ventriculo intermedio, seu tertio, arteriam pulmonarem protendat, ut ipse ille ventriculus videatur esse extensus canalis arteriae pulmonalis, cum hoc eandem arteriam e dextro suo thalamo educat; 3) quod illud a ventriculo sinistro nullam arteriam emittat, ut videatur solus esse sinus sanguinis venosi pulmonalis, hoc vero aortam immediate ex suo thalamo protendat; 4) quod propterea in illo communicare debeant duo posteriores ventriculi cum dextro communi per bina foramina, septo sic pertuso, non autem in hoc, seu in biventri; 5) quod in illo sit sinus quidam venosus ante auriculam dextram, a quo in auriculam corrivatam flumen per obtentas valvas, ne refluat, arceatur; in corde autem biventri influit distincte & immediate a vena cava inferiori, & a superiori, nec per aliquam valvulam prohibetur refluxus. Denique de usu hujus fabricae in testudine plura disputantur. *Paragraphus sextus* de arteriis & venis propriis, & vasis coronariis, cordis agit, eaque refert initio, quae *Lancisius*, *Loewerus*, *Barbaevenius*, *Winstovius*, *Ruyfchius*, *Morgagnius*, *Verheyenus*, & *Vieussentius*, tradiderunt, ex quibus haec deducuntur. Vasa utriusque classis coronaria, tum arteriosa, tum venosa, non ex principio aortae, sed ex ipso corde, featuriunt. Sunt enim in ventriculis & auriculis cordis columellae & lacunae, sunt ductus carnosus,

Pag. 196.

199.

§. V.

Pag. 210.

212.

213.

§. VI.

Pag. 217-

220.

230.

234.

- Pag. 235. carnosî, & sunt fibræ motrices. Sanguis influit a corde in lacunas, præcipue sub columellis, a lacunis exprimitur in ductus carnosos, ab his in fibras, a fibris in vasa coronaria, tam
239. quæ arteriæ, quam quæ venæ, dicuntur, a vasis coronariis vel per foramina bina in aortam, vel per unum majus in auriculam dextram, vel per plura minora in eadem, at superflua quantitas in vasis coronariis retro in lacunas & ventriculos
241. cordis. Omnia hæc vasa unice a cordis actione pendent, cujus in motus flumine, tam illa, quam etiam fibræ motrices, ductus carnosî, ut & lacunæ ventriculorum & auricularum, dispositæ fuerunt. Ex quo sequitur, vasa, quæ premunt superficiem, omnia esse venosa, quibus arteriæ in ipsa cordis substantia respondent. Quoniam igitur sanguis coronarius ex tali origine emergit, sequitur, vasa superficialia, vulgo coronaria, diastolen agere, cum cor agit systolen, similiter etiam vasa, quæ auricularum superficialia sunt, suam agere diastolen, cum auriculæ systolen. At, quia in auriculis, præcipue dextra, plures contingunt anomalie, hinc, ut sanguis ejus in quocunque casu & discrimine inveniat exitus, plura petent orificia, per quæ ille secundum omnem statuum diversitatem exterminari queat.
243. Si origines vasorum coronariorum cum eorundem exonerationibus conferuntur, liquet, sanguinem cordis dextri transferri immediate in aortam, vel sanguinem cordis sinistri in auriculam dextram, vix absimili ratione, ac olim per foramen ovale, ac tubum arteriosum, ut videantur hæc vasa, & eorum ostia, qua determinationes quantitatis, ea percurrentis, in locumdicti foraminis, ut & tubi arteriosi, successisse, mutata solum via, & modo circulandi, idque eum ob finem, ne superflua quantitas arteriosi, aut venosi, sanguinis statum regni naturalem & crebris mutationibus obnoxium pessundet, aut destruat. Subsistere diu nequit nec motus cordis, nec sanguinis circulatio, nisi vasa cordis propria, quæ sanguinem in aortam, & quæ in auriculam dextram exonerant, inter se distincta, & sine communicatione, progrediantur, quæ si conjungerentur, inde similis effectus resularet, ac si septum ventriculorum cordis foret pertusum. Interim

terim, qui origines, progressionem, & exonerationes, horum vasorum diligenter perlustrat, & expendit, in iis, ac proinde in corde, quandam status corporis & animi deprehendet effigiem & representationem. Quo respectu plures affectiones etiam cordi secundum familiarem loquendi modum non improprie tribui queunt, vel adscribi. *Paragraphus septimus, de motu cordis adulti, observationibus Barbaavenii, Harvaei, Lancisii, Stenonis,* ob oculos positus, ad investigandas causas proximas & remotas motus cordis, monet, præter ea, quæ jam de sanguine, arteriis, venis, primitiva cordis fabrica, vasis ejus propriis & coronariis, & circulatione in fœtu, fuerunt tradita, necesse etiam esse, ut in antecessum in causam actionis nervorum in genere, & gangliorum, & in specie nervi intercostalis & paris vagi, plexus magni cardiaci, & inde pendentium nervorum cordis sigillatim, & in causam actionis musculorum, quoniam cor totum quantum musculus est, inquiratur. Inde vero patebit, causam proximam diastoles cordis esse continuam pressionem actionemque sanguinis utriusque venæ cavæ in auriculam dextram, & causam proximam ejus systoles esse extensionem fibrarum nervæarum, adeo, ut, dum sanguis agit, cedat fibra nervea, & dum fibra, cedat sanguis. Ita cordis machina est constructa, ut ejus motus alternus ab auriculis, cum primis a dextra, tanquam a rota & veste suo, pendeat, & determinetur, & proinde ab ejus intumescencia, incumbente, agente, & influente sanguine, ab ejus autem detumescencia extensis nervis. Cetera omnia ita mutuo connectuntur, ut, quicquid usquam in motum venit, ad ejus reciprocationem contribuat. Hinc singula cum toto in ejusmodi tenentur æquilibrio, ut minimum sit, quod cardinem motus invertat, & ex facili superetur resistentia, quæ in statu naturali hic est perexigua. Causæ autem efficientes motus cordis remotæ sunt pulmones, quod sanguinem cordis dextri admittant, & transmittant, & ipsa præcordia in motu universali teneant; cerebrum, quod sanguinem suum ex propria vi versus venas jugulares propellat, eique fluidum spirituosum inspergat, tum, quod in musculos corporis agat, cerebellum, quod sanguinem etiam ex propria

Pag. 254.

255.

§. VII.

Pag. 260.

275.

276.

277.

279.

282. 289.

296.

300.

310.

324.

328.

329.

332.

335.

- pria vi, atque sic ex vivo fonte, in cavam superiorem devolvat, & nervos cardiacos, imo etiam arteriarum & venarum, fluido spirituofo impleat & animet; medulla oblongata & spinalis, quod transmittat sanguinem in utramque venam cavam, & præcipue per azygam in superiorem. Nec opus est, ut momenta animationis alicujus eorum cum alternis cordis coincidunt. Quæ quoniam remotæ motus cordis causæ sunt, sequitur, sine singulis illis aliquandiu continuari posse motum cordis, sed plus minusve, prout memorata corpora in nexu causarum sunt, nimirum quamdiu fibræ nerveæ in sua integritate & vi agendi conservari, quod cerebelli proprium est munus, & a vivo fonte sanguis venæ cavæ infundi, queunt.
346. Hinc & facile colliguntur variationis pulsuum causæ, quæ generatim in internas & externas, naturales & præternaturales, dividuntur. Sed pulsuum doctrina non nisi ad extremum ita, ut decet, tradi potest & absolvi. Multa quidem sunt, quæ præter hæc in singulis *Paragraphis* Cel. Autor. doctissime disputat; sed quis modus foret, quis denique finis, nostræ enarrationis, si omnia, quæ nobis notatu videntur digna, excerpemus? Procedamus itaque ad *Paragraphum octavum*, eumque ultimum, introductionem in Psychologiam rationalem complexum, atque eo diligentius perlustrandum, quod superioribus, ubi doctrina serierum & graduum sæpius memoratur, magnam lucem affundit. Psychologia, per quam scientia de animæ essentia & natura, deque modo, quo illa in actiones sui corporis influit, intelligitur, prima est & ultima scientia eorum, quæ ad cognitionem œconomix animalis conducunt. Quoniam vero anima in tam intimo later recessu, ut, nisi remotis & replicatis ordine fasciis, non patent, tunc necesse est, ut ad illam adscendamus per eosdem gradus eandemque scalam, per quam natura ejus in formatione suarum rerum in corpus suum descendit. Præmixtenda igitur illa serierum & graduum doctrina fuit, quæ scilicet modum edocet, quem natura in rerum suarum subordinatione & coordinatione observat, & quem sibi in agendo observandum præscripsit. Series sunt, quæ res subordinatas & coordinatas successive & simul complectuntur.
347. Gradus
352. §. VIII.
- Pag. 354. 356.

Gradus vero sunt distinctæ progressionēs, dum subordinatur unum sub altero, & dum coordinatur unum juxta alterum, ut hoc sensu in gradus determinationis, & gradus compositionis, distinguantur. Series existunt in mundo plures, & quidem universales & minus universales. Series universalissima est universum, seu mundus, qui in se plures continet. Ipsæ series, quas mundus complectitur, in tres superiores & tres inferiores dividuntur. Illæ ad universum, sive mundum circumfluum, hæc ad tellurem, pertinent. Universi, aut mundi circumflui, est series substantiarum, a prima per ordinem successionis simpliciter derivatarum. Altera est, quam constituunt eadem substantiæ, sibi suæque naturæ relictæ, aut libertate gyrandi donatæ, unde ignis tam solaris, quam elementaris inferior. Tertia est series aurarum mundi, ex binis prioribus, ita nimirum a suis activis, & quasi passivis, oriunda. Hæc series est, quæ ipsissimum mundum circumfluum constituit, & sine qua inferiores tres existere nequeunt. Ipsæ auræ, quæ hanc seriem constituunt, secundum dictamen experientiæ communis per analysin rationalem, qua suas causas, pervestigatæ, sunt quatuor, quæ, ut sibi ordine succedunt, ita simplicitate, puritate, universalitate, perfectione, decrescunt. Illæ sunt perfectissimæ formæ naturæ agentis & patientis, ejusque vires, uti formatas, representantes. Ipse mundus illarum existentiam confirmat, adeo, ut, qui illas in dubium vocat, viam sibi, explorandi phænomena, & inveniendi causas in omni causato, intercludat. Series communes telluris, seu inferiores, vulgo vocantur regna, minerale, vegetabile, & animale, quæ plures sibi subiectas habent species, atque tempore sibi & ordine succedunt. Primum enim est minerale, seu ipsa tellus, reliquarum parens. Vegetabile mineris terræ suam debet existentiam, in quam etiam seminula sua, ut in matricem & uterum, quoties renasciturum est, demittit. Post hoc sequitur regnum animale. Nam animal omnem priorem naturam & mundum requirit, ut existat, & subsistat. Ultimum ejusdem seriei est animal perfectissimum, seu homo, qui est omnium & totius complementum, & microcosmus macrocosmi. In his sex seriebus natura acquiescit

- Pag. 358. videtur. Nam septima non datur. Qualibet autem harum serierum sub se plures series proprias & essentielles, & unaquæque ex his suas continet, non solum in genere, sed etiam in specie, & in cujusvis speciei individuo. Sic e. g. quodlibet individuum animal est series plurium essentialium & propriarum communis. Ejus essentielles & propriæ sunt viscera, quæ simul sumta efficiunt formam. Qualibet talis series sibi subjectas continet sui essentielles & proprias, quæ partiales possunt vocari, quando illæ sunt integrales, aut singulares, quando illæ totius seriei sunt communes, uti hepar, quod est magna glandula, & conglomerationem plurium, ut hæc suarum minimarum, concludit. Ita etiam in reliquis, quæ se referunt ad suam seriem integram, ut hæc ad suam communem, & sic porro. Neque existat quidquam in mundo adspectabili, quod non sit aliqua series, aut in aliqua serie. Et proinde scientia rerum naturalium a distincta serierum & graduum, & a distincta earum subordinationis & coordinationis, notione pendet. Qui hic a communibus initiis progredi cupit, ei a substantiis exordiendum est, quæ accidentium sunt & qualificatum subjecta. Illæ vero quamvis existant multiplices, omnium tamen in universo non est nisi una substantia primi, ex qua fluunt reliquæ, cui ut principio rerum naturalium principia a summo Numine fuerunt impressa. Unaquæque series suam substantiam primam & propriam agnoscit, quæ tamen a prima mundi, qua existentiam, pendet. Sic prima regni est mineralis, prima vegetabilis, prima animalis, vocaturque a nonnullis elementum, motus, substantia primitiva simplex. Prima cujuscunque seriei substantia est ejus simplicissima & unica, quæ in tota individua serie regnat. Ex illa & secundum ejus naturam fluunt omnia, quæ in integra serie determinata conspiciuntur. Ab illa enim, per ordinem successionis, mediis copulantibus derivantur substantiæ magis compositæ, quæ vices ejus in ultimis seriei gerunt, & sic res in illa serie contentas determinant. Per harum determinationem formantur aliæ magis compositæ, quæ mediantes sunt & subdeterminantes, ex quibus series essentielles & propriæ, quæ constituunt integram, consurgunt, &
- 359.
- 360.
- 361.
- 362.
- 363.
- conne-

connectuntur. Per substantias determinantes mediis subde-
 terminantibus ita perpetuo unum connectitur cum altero, ut
 non reperiat pars ejusdem seriei propria, quæ non esset con-
 nexa. Proinde est Harmonia constabillita. Substantiæ simpli-
 ciores quo distinctius se discernunt a substantiis magis com-
 positis, & substantiæ ejusdem gradus quo melius se a locis
 permanentibus essentia & attributis distinguunt, eo perfectius
 constabillita est Harmonia. Ac proinde etiam varietas harmo- Pag. 364.
 nica existit. Hac ratione construitur & perficitur systema cor- 366.
 poreum, in quo unum alteri ita subordinatum est, & coordi-
 natum, ut singula se mutuo respiciant, & a se mutuo pen-
 deant, idque ea ratione, ut, quicquid mutabile in seriibus &
 substantiis compositis contingit, ejus conscientia reddantur sim-
 pliciores, & quicquid determinatur in actum, id fiat vel de- 367.
 terminantibus, vel concurrentibus, vel consentientibus simpli-
 cioribus. Idque peragitur secundum ordinem naturalem ab 368.
 inferiori ad proxime superiorem, vel a superiori ad proxime
 inferiorem, non autem a suprema ad ultimam, nisi per inter-
 medias. Substantiæ simplices, & minus magisque compositæ,
 quæ sunt determinantes rerum in sua serie, sunt secundum sim-
 plicitatis aut compositionis gradus priores & posteriores, su-
 periores & inferiores, interiores & exteriores, remotiores &
 proximiores, & inter se ut causæ & effectus. Quæ priores 369.
 sunt, etiam sunt universaliiores, & in omni qualitate perfectio-
 res posterioribus. Præterea, quæ priores sunt, existere queunt
 sine posterioribus, non autem vicissim. Uti sunt substantiæ, 371.
 ita etiam earum essentia, attributa, accidentia, & qualitates,
 seu nulla non adjuncta, de quibus etiam prædicari potest,
 quod sint series, & in serie, tum quod dicta adjuncta sunt sim-
 pliciora priora, superiora, interiora, universaliiora, perfectio- 372.
 ra, plane ut substantiæ, quibus insunt, & ex quibus fluunt,
 tum quod superiora in inferiora, & vicissim, influunt ad mo-
 dum, quo substantiæ formatae fuerunt, & per nexum commu-
 nicant. Sed, quæ superiorem locum tenent, sunt incompre-
 hensibilia, & apparent ut continua sensorio inferiorum. Omnium
 tamen in eadem serie talis constabillita est harmonia, ut sibi mu-
 tuo

tuo respondeant, cum solo perfectionis secundum gradus discrimine; quare inferiora respiciunt superiora, ut analogæ & eminentia. Entia aggregata ejusdem gradus & seriei, per quæ tamen non monades *Mori*, aut homœoriæ *Anaxagoræ Clazomenii*, aut atomi *Epicuri*, *Democriti*, *Leucippi Eleatis*, *Moschi Phœniciensis*, aut quorundam elementa primitiva & simplicia, quatenus resolutionem non admittunt, sed, quod minimum est, in unoquoque gradu alicujus seriei intelliguntur, se ad unitates suas ut ad simplicissimas partes referunt, cum quibus sunt homogenea. A forma, natura, & modo, agendi talium aggregatorum cognoscitur, quæ sit forma, natura, & modus agendi partium. Proinde experientia communis & particularis rerum, quæ unquam sensorium quoddam contingunt, indigitat essentiam minorum ejusdem gradus, quin imo correspondentium adhuc simpliciorum sive superiorum graduum. Quare in intimam rerum naturalium cognitionem per doctrinam serierum & graduum experientiæ junctam perducimur. Simplicissima & unica regni animalis substantia est fluidum spirituosum, quæ perfectissime ab aura mundi prima fuit determinata. Aura hæc nihil prius, superius, universalius, perfectius, esse dicitur, ex substantiis primis immediate formata, ex quibus trahit omnem potentiam, vix magis enuntiandam, quam est ipsius substantiæ parentis, cui ut principio rerum naturalium principia fuerunt indita. Aura hæc ipsissima forma virium universi creati, cui qualitates inferiorum aurarum, ut determinabilitas, modificabilitas, &c. modo per eminentiam applicari queant, item ipsa vis perfectissimæ naturæ, vocatur. Phænomena indicant, quomodo auræ inferiores, ut aer, æther, tum quomodo superior, demum suprema, in vitam animalis influant. Ex superius dicta fluidi spirituosi determinatione natura ejus resultat ejusmodi, ut queat esse substantia corporis sui formatrix, cui insit vita & proinde anima, quæ principium rerum, in tota illa serie existentium, constituat. Ut vero operationum & effectuum, in corpore animali existentium, causæ efficientes rationales & principales explorentur, necesse est, ut inquiremus, quæ res in superiori gradu respondeant rebus in gradu inferiori, quod experientiæ

perientie & ingenii opus foret. Nam, prout natura per gradus Pag. 384.
 suos ascendit, ita a singularium & vulgrium vocum sphaera ad
 universalium & eminentiorum se tollit, ita quidem, ut tandem
 in suprema regni animalis regione, ubi est anima humana, non
 reperiatur loquela corporea, quæ ejus naturam, & minus ad-
 huc superiorum, adæquate exprimat. Quare Philosophia uni-
 versalium mathematica elaboranda foret, quæ per notas chara-
 cteristicas & literas, vix alia ratione, qua formam communem,
 ac analysis algebraica infinitorum, exprimeret ea, quæ per vo-
 ces explicari nequeunt. Quæ, si rite elucubraretur, omnium
 scientiarum naturalium, quia cunctas complecteretur, una
 esset scientia.

TRAITE' DEMONSTRATIF DE LA QUADRA-
 ture du Cercle, &c.

id est,

TRACTATUS DEMONSTRATIVUS DE QUA-
 dratura Circuli, cum Figuris æneis, divisus in qua-
 tuor Libros, quorum singulorum argumenta tituli sui in-
 dicant, &c. dedicatus Regi a BASSELINO, Pro-
 fessore emerito Philosophiæ in Universitate
 Parisiensi.

Parisiis, apud Briassonum & Henry, 1735, 4.

Plag. 11, Tab. æn. 1.

QUADRATURE GEOMETRIQUE DU SECTEUR DE
 Cercle de quarante-cinq degrés, &c.

id est,

QUADRATURA GEOMETRICA SECTORIS CIR-
 culi quadraginta quinque graduum, & proinde totius
 area Circuli, dedicata Regi a FALCONETO,
 Abbate, Pastore Parnesiensi.

Sine mentione loci, 1739, 8.

Plag. 3 ½. Tabb. æn. 7.

Quod in vita hominum quotidie fere contingere videmus,
 ut, qui juvenes ad modicas facultates pervenerunt, am-
 plius

plius de iis sperent, quam in iis est, & æquo longe confidentius iis utantur, idem & hominibus cum in aliis scientiis, tum in Geometria maxime, novis haud raro accidit. Cum enim celebratum illud geometricum de Circuli tetragonismo Problema a summis Geometris pro re adeo desperata habeatur, ut, si quod Problema ad illud deductum sit, id aut solvi non posse dicant, aut eatenus tantum solutum esse, quatenus Circuli quadratura exhiberi possit; tamen multi eorum, qui *Euclidea* elementa vix, ac sæpe ne vix quidem, primis labris attigerant, ad solutionem ardui illius Problematis animum magna cum confidentia appulerunt, & multis exantlatis laboribus, tandem sibi persuaserunt, se hujus Problematis solutionem invenisse. Tales ergo cum fuerint multi, & certe plurimi eorum, qui de quadratura Circuli scripserunt; & cum præterea constet, summos quosdam Mathematicos, qui quadraturam Circuli tentarunt, eam invenire non potuisse; non est certe, quod quis miretur, eos, qui otio suo non nimis abundant, ægre permoveri ad libellos istos legendos, qui quotannis fere de Circuli quadratura prodeunt. Fateri sane cogimur, nos jam & laboris & temporis poenitere, in examinandis duobus illis libellis perditis, quorum titulos modo exhibuimus, & ad quos legendos partim fama, partim habitu externo eorum, quo aliquid geometrici præ se ferre primo intuitu nobis videbantur, invitati accesseramus. Sed, ne videamur in Autores horum libellorum iniquiores esse, de utriusque conatibus sigillatim nobis dicendum est. *Basselinus* libellum suum in *quatuor Sectiones* divisit, quibus Præfationem præmisit, in qua primo multis verbis conqueritur de iis Academia Regiæ Scientiarum Parisiensis Sociis, quibus examen libelli sui demandatum fuit, & quos non satis faciles in approbando Tractatu suo expertus est; deinde formam libelli sui, non omnino geometricam, argumentis non admodum probabilibus excusat, denique, quæ a lectoribus suis postulet, indicat. In *prima Sectione* quatuor quæstiones præliminares de Circuli quadratura proponit. *Prima* est: an dudum quadratura Circuli desiderata fuerit; *secunda*: an valde difficilis sit ejus inventio; *tertia*: an ea tanti momenti res sit. Neminem

minem fore confidimus, quin, quid Autor ad has quæstiones respondeat, per se facile conijcere possit. *Quarta* quæstio est: an præmium quoddam illi promissum sit, qui quadraturam Circuli invenierit. Quam quæstionem Autor ita tractat, ut appareat, se vehementer optasse, ut ad eam affirmando respondere potuisset. *Secunda* hujus libelli *Seçtio* lectores ad quadraturam Circuli exhibendam præparat, partim per definitiones decem pluriumve novorum terminorum, quibus Autor figuras quasdam planas, quibus opus habuit, insignivit, partim per earum definitionum corollaria, & per duo theoremata, quæ tamen sine demonstratione hic proponuntur. In *tertia Seçtione* Autor quadraturam suam, tam arithmeticam, quam geometricam, proponit. Quadraturæ arithmeticæ hæc summa est, esse diametrum circuli ad circumferentiam, ut $28284271 \frac{1714}{6928} \&c.$ ad

$88887668 \frac{1572}{6928} \&c.$ Fractionum, his integris numeris adjectarum, tam numeratores, quam denominatores, viginti novem figuris constant; quas omnes huc transcribere, nihil attinet. Sunt enim nobis aliquot rationes, eæque non levissimæ, quæ nobis non permittunt, hanc, quam Autor dedit, proportionem diametri ad circumferentiam pro perfecta habere. *Primo* nihil valuit ad assensum nobis extorquendum Autoris demonstratio, quippe in qua sæpe ne quidem mentem ejus assequi potuimus. Stilo utitur diffuso, ratiocinia sua non ita apte connectit, ut Geometræ in demonstrationibus suis solent, principia adhibet nondum demonstrata, multa immiscet a re aliena, quibus attentionem lectoris turbat, & patientiam defatigat. Quin ipsius calculi sui singula momenta non ita distincte explicat, ut facile intelligi possit, quomodo eum iniverit. Sic perspicere non potuimus, qua via ad duos illos numeros pervenerit, quibus rationem diametri Circuli ad circumferentiam expressit. Nam posterior horum duorum numerorum secundum calculum Autoris *pag. 28* exprimit aream alicujus circuli; prior autem, prout *is pag. 27* inventus est, non exprimit nisi diametrum Circuli, qui illius Circuli subduplus est. Jam, cum dici certe nequeat, esse circumferentiam Circuli ad diametrum suam, uti area ejusdem Circuli est ad diametrum Circuli subdupli, non videmus,

quomodo Autor duos illos numeros ad proportionem inter diametrum & circumferentiam exprimendam traxerit. *Secundo* animadvertimus principium oppido falsum, quo Autor in calculo suo usus est. Quis enim tam hospes est in Arithmetica, ut concedere possit, esse $\sqrt{aa + bb} = a + \frac{bb}{2a}$?

Id enim approximationem quidem esse ad radicem numeri surdi, bene novimus; miramur autem, serio affirmare Autorem, se hac via tam perfecte & exacte pertingere posse ad numeri irrationalis radicem, quam exacte $a + \frac{bb}{a}$ est quotus ex divisione quantitatis $aa + bb$ per quantitatem a oriundus. *Tertio* tentavimus examen novæ rationis diametri ad circumferentiam, ad normam rationis, a *Ludolpho a Ceulen* exhibitæ, illamque ab hac in quarta statim figura aberrare, ita, ut hac paulo major sit, deprehendisse nobis visi sumus. Quæ cum ita sint, non possumus hanc novam circuli quadraturam nisi pro approximatione habere, quæ *Archimidea* paulo melior sit. Quod autem ad geometricam Autoris quadraturam attinet; neque de hujus veritate magis certos nos esse profitemur. Nam, præterquam quod ea calculo illi innitatur, cujus lubrica fundamenta modo indicavimus, vidimus etiam, in hac geometrica quadratura supponi nonnullas propositiones, quarum veritas per se evidens non est, & quas tamen Autor neque in hoc Tractatu demonstravit, neque in *Supplemento*, quod quarto anno post hujus Tractatus editionem adjecit, & in quo singula, quorum demonstrationes omiserat, exacte se demonstraturum pollicitus est. *Quarta* denique hujus Tractatus *Sectio* quædam corollaria complectitur præcedentis quadraturæ, & collationem quadraturæ Autoris cum celebratis aliorum Autorum approximationibus.

Sed ad *Falconetti* libellum nos convertamus, quem nobis aliquanto magis placuisse fatemur. *Primo* enim laudanda est modestia, quacum Autor in Præfatione de se ipse loquitur. Hæc enim virtus, quemadmodum summorum inventorum gloriæ majorem splendorem conciliat, ita & eos, qui, dum inventorum personas sustinent, labuntur, aliquantum sublevat & excusat. Tot scriptorum de quadratura Circuli inanes labores Autor huic imputat causæ, quod impossibilitatem abso-

lutæ

lucæ Circuli quadraturæ ignoraverint; felicem autem, quem sibi expertus esse videretur, successum fortunæ maxime tribuit, quæ animum inter infinite multos Circuli sectores, ad totum rationem assignabilem habentes, in eum solum direxerit, qui primitus quadrabilis sit. *Secundo* hunc libellum præ multis aliis de quadratura Circuli scriptionibus brevitatis & perspicuitatis commendant, quibus & hoc accedit, quod Autor ubique ostendat, se non vanæ gloriolæ vel lucri cupidine impulsus, sed solo laudabili ardore, arduum inventum, in quod se incidisse plane persuasus est, cum aliis communicandi, adductum, plagulas hæc evulgasse. His de externo hujus libelli habitu præmonitis, nunc, quid de re ipsa sentiamus, dicendum est. Quamprimum in manus nostras hæc plagulæ pervenerant, cupidi ut eramus videndi, quantum pretium huic novæ quadraturæ statuendum esset; rationem diametri ad circumferentiam, ab Autore expressam, ad normam *Ludolphinæ* statim exigebamus. Ut enim moleste ferant hoc examen ii, qui Circulum quadrasse falsò sibi persuadent; nihil tamen habent, quod contra possint dicere, nisi ignorantiam suam viæ, qua *Ludolphus* ad numeros suos pervenit, & methodorum, quibus recentiores, iique summi, Geometriæ eosdem numeros comprobant, turpiter prodere velint. Exigebamus ergo ad hanc normam *Falconeti* rationem diametri Circuli ad circumferentiam, quæ est uti $\sqrt{(7880 - 5572\sqrt{2}) + 75 - 53\sqrt{2}}$ ad $2\sqrt{(7880 - 5572\sqrt{2}) + 2\sqrt{(13452 - 9512\sqrt{2}) + 2\sqrt{(45928 - 32476\sqrt{2}) + 348 - 246\sqrt{2}}}}$. Hos numeros, si quis calculi molestiam non metuat, in fractionibus decimalibus expressos, inveniet esse 0,0917419 &c., atque 0,2796873 &c. Posita ergo diametro circuli = 1; erit, secundum *Falconeti* numeros, circumferentia = 3,0486 &c.; qui numeri cum statim in secunda figura a *Ludolphinis* aberrant, deterrimam eos dare approximationem, *Archimedeæ* ipsa longe deteriores, certum nobis erat. Quæ res etiam si nobis non concedebat, ut de quadratura Autoris geometrica bene speraremus; tamen ad constructionem geometricam Autoris legendam festinante oculo nos convertebamus. Et videbatur quidem nobis hæc constructio elegantissima fore, si vera esset; at nimis incertos nos relinquebat Autoris demonstratio de hu-

jus constructionis veritate. Nam, principia quædam supponi ab Autore, videbamus, quorum demonstrationes jure peti possunt ac debent. Talia sunt hæc duæ propositiones: Si duæ figuræ ex infinite parvis continuo simul ita crescant, ut incrementum unius in eodem termino incipiat, in quo incrementum alterius desinit, sint autem hi duo termini rectæ parallelæ; detur, necesse est, aliquis terminus intermedius, qui erit etiam recta ad duas illas parallelas, & ad quem ubi istæ figuræ sic continue crescendo pervenerint, sibi invicem æquales fiant; &: Duæ quantitates infinite parvæ similes sunt etiam æquales. Deinde, cum, perlecto calculo Autoris, animadvertissemus, ipsum in calculo non ubique vestigia demonstrationis suæ premere, sed nonnunquam ab iis recedere, dubii, utrum vitium, in proportionem diametri ad peripheriam supra detectum, ex minus apto Autoris calculo, an ex falsa constructione geometrica, fluxisset, iterum & attentiori animo hanc constructionem geometricam examinavimus. Sed tantum abfuit, ut ea, repetita vice examinata, magis se nobis probaret, ut potius intelligeremus, præcipuas propositiones, quas Autor hic adhibuit, & demonstrasse sibi visus est, per evidentes apogogicas demonstrationes posse refelli. Verum, in hanc arenam ut descendamus, cancelli nostri nobis non permittunt. Progrediamur potius ad aliud Schediasma, quod, illorum duorum mentionem faciendi, nobis occasionem suppeditavit.

IMPOSSIBILITAS QUADRATURÆ CIRCULI A priori asserta, Autore MICHAELE CHRISTOPH. HANOVIO, Philos. D. & Prof. in Athenæo Gedan. & Magnif. Senatus Bibliothecario.

Gedani, sumptibus & typis Thomæ Joannis Schreiberi, Senatus & Athenæi Typographi, 1741, 4.

Plag. 9.

Si quadratura Circuli impossibilis est; vehementer fuisset optandum, ut dudum ejus rei vera & solida existisset demonstratio, qua forsan permoti, bene multi eorum, qui in Circulo quadrando incredibiles labores perpessi sunt, ab hoc infelici incepto destitissent, & patientiam otiumque suum ad utiliora sibi ipsis patriæque suæ molimina contulissent. Sin

ca

ea possibilis est; non parvi pendenda est demonstratio, a priori procedens, quæ ostendat, quatenus Circuli quadratura possibilis sit, quæ viæ nullum ad eam exitum habeant, & in qua via spes aliqua, ad eam perveniendi, relicta sit. Utcunque sit; laudandum certe est studium, quod in possibilitate vel impossibilitate quadraturæ Circuli a priori examinanda Cl. Autor hujus Dissertationis collocavit. De occasione ejus scribendæ hæc ipse indicavit. Prima scilicet ipsi subnata est hic Lipsiæ cogitatio, ex consideratione Lunulæ *Hippocratis*, fierine possit, ut simili substitutione & residua pars quadraretur. Multa eam in rem tentavit, unum inter ea tam speciosum, ut videretur, primo obrutu, res esse confecta. Sed calculus *Ludolphinus*, in maximis numeris examini adhibitus, noluit confirmare opinionem. Postea diversis vicibus, quando de cujusdam conatu Circulum quadrandi referebatur, vel figuræ majores, quas primum in usus vocaverat, se manibus offerebant, & otium suppetebat, alia aliaque ratione rem aggressus est, irrito subinde conatu. Ante hos duodecim annos inceserat ipsum cupido, geometricas partium Circuli quadraturas, quas posset, colligendi, itaque, num qua melior *Hippocratica* ratio quadrandi se offerret, explorandi. Occurrebant varia, in conjectanea ab ipso relata, inter quæ multum promittere videbatur methodus rotatoria & evolutoria. Omnia tamen ista spei adeo non respondebant, ut ne quidem approximationi *Ludolphina* paria facerent. Tandem, instituto examine *Karberiana* Analyseos trianguli reſtanguli, & *Jouberti de la Rue* quadraturæ Circuli, apertius in colloquio cum amicis, sibi minime dabitum videri quadraturam Circuli, professus est, & quorundam contradictione, aliorum vero consentientium desiderii, ad pleniorum deductionem assertorum consignandam inductus est. Sic ergo Autor examine suo ad impossibilitatem quadraturæ Circuli deductus, eam in hac Dissertatione a priori asserere voluit, quam omnibus viris rerum mathematicarum scientia illustribus dedicavit, eorum de sententia sua judicia sibi expetens. In *tria Capita* hanc Dissertationem partitus est. *Primum Caput* principia, e theoria puncti derivata, sistit. In hoc *Capite* Autor e metaphysicæ scientiæ fontibus bene ostendit, cur puncta mathematica extensum efficere nequeant, quod tamen idcirco

non-entibus accensenda non sint, quod puncta realis vel physica dici possint ea entia simplicia, quæ compositionem corporum naturalium ingrediuntur, quatenus punctis mathematicis situs ac motus tribui possit, &c. *Caput secundum* impossibilitati rectificationis periphericæ evincendæ destinatum est. Lineolam primitivam vocat Autor omnium linearum minimam, vel ex motu puncti brevissimo ortam, vel duobus tantum punctis extra se & unitis constantem. Rectam definit esse lineam, ortam ex puncti motu directionis continuo ejusdem, vel seriem punctorum singulatim continuorum, in eandem continuo plagam sitorum; curvam vero esse lineam, ortam ex puncti motu directionis continuo mutata, vel seriem punctorum continuo in diversam plagam sitorum. Hinc demonstrat, curvam & rectam æqualem minimam tribus saltem punctis constare. Nam, si puncti intelligis progressionem unicam ad punctum immediate sequens, eique alteram immediate adjungis nullam; neque sic ullam progressionis continuitatem concipis. Quare nec, utrum altera puncti progressio in eandem plagam directa sit, an in diversam, statuere potes. Hinc lineola primitiva neque curva, neque recta, dicenda erit. Sed, si alteram progressionem priori immediate subjungas, a puncto secundo progressus fiet ad tertium, idque aut versus eandem plagam, & sic erit recta minima; aut versus aliam plagam, & sic erit curva minima. Analogum tamen rectitudinis in lineola primitiva esse, Autor concedit. Pergit ad demonstrandam hanc propositionem: Curva linea non consistit e rectis minimis ad angulos insensiles junctis; vel, si mavis, curva non est polygonum infinitorum laterum. Curva enim, inquit, non constat nisi e lineolis primitivis in diversam continuo plagam sitis; sed lineola primitiva neque recta est, neque curva. Idem et sic evincit: Curva requirit directionem continuo mutatam, recta autem directionem continuo mutationis expertem. Enimvero fieri nequit, ut directio simul sit continuo mutata, & tamen quoque non continuo mutata. Quare fieri nequit, ut curva sit polygonum infinitilaterum. Deinde in examen anguli contactus digreditur, quod in ipsa hac Dissertatione legendum relinquimus, ne in brevi descriptione recensenda nimis longi simus. Convertamus nos potius ad id, quod in hac disputatione reliquum est. Nimirum,

mirum, quoniam ob negatum Circulo polygonifimum infinitilaterum consueta Geometris methodus rectificandi curvas non nisi prope vera intelligitur; non alia via ad rectificandam peripheriam relicta esse videtur nisi hæc, ut vel arithmetice incamur numerum lineolarum primitivarum in peripheria datæ diametri, vel geometricè construamus rectam, quæ totidem contineat lineolas primitivas, quot datæ diametri peripheria. Supererat ergo, ut Autor ostenderet, neque hanc viam relictam esse. Contra arithmeticam illam rectificationem §. 92, 113, 114, Autor, si recte mentem ejus percepimus, monet, eam semper ad numeros furculos ducere, & ne quidem per hos numeros veram peripheriæ longitudinem exhiberi, quod, iisdem & totidem politis elementis, mutatio tamen situs elementorum ineffabile discrimen inter rectæ & curvæ longitudinem pariat. Quæ singula, vellemus, ut Cl. Autor distinctius explicasset. Ad geometricam constructionem quod attinet, ea aut rationalem, aut irrationalem, rectam exhibere deberet, datæ peripheriæ æqualem. Rationalem dari non posse, Autor hinc infert, quoniam omnis curva linea irrationalis, vel continua irrationalium series, sit; id quod sibi his argumentis persuadet. Etenim, inquit, curva directionem infert continuo mutata; sed illa continua mutatio opponitur continuæ identitati directionis, quæ est in recta rationali, & per unitatem explicari potest; quare illa est unitati incommensurabilis, ideoque irrationalis dicenda. Objici posset, sufficere, ut illa recta commenturabilis sit lineolæ primitivæ, quæ elementum peripheriæ est. At respondebit Autor, hanc lineolam, quatenus elementum peripheriæ est, ipsam incommensurabilem esse lineolæ primitivæ rectæ elemento; propterea quod in circulo minimo, cujus radius lineola primitiva sit, sextans peripheriæ, licet ea quoque sit primitiva lineola, ad chordam suam ineffabilem habeat rationem, si analogia inter hunc circulum & circulum majoris radii conservanda sit. Irrationalem rectam peripheriæ æqualem exhiberi non posse, duas ob rationes statuit. Primum sic exponit: Irrationalis illa recta æqualis esse debet peripheriæ, quæ etiam est linea furda; itaque necesse esset, ut duæ illæ lineæ irrationales essent communicantes, ideoque gauderent eodem nomine; deberent ideo esse specificè homogenæ; sed recta & curva sunt specificè heterogenæ. Altera est paradoxon hoc: Irrationalium non dari constructionem perfectam; v. c. nullius quadrati diagonalem perfecte construi posse. Quod assertum paradoxon dicere non veremur, quoniam nozioni illi communi repugnare videtur, a quovis puncto ad quodvis punctum duci posse rectam. In Capite tertio Cl. Haunovius quadraturam Circuli impossibilem declarare studet. Præmittit theoriam quandam tri-

anguli

anguli primitivi & quadrati, ex qua deducit, quadratum esse figuram irrationalem; quam theoriam nos nunc prætermittimus, partim quoniam ad sequentia nihil facit, partim quod ea, forte ob defectum schematum, quibus Autor & hanc partem & alias quasdam Dissertationis suæ illustrare potuisset, obscurior nobis visa est. Distincta deinde quadratura Circuli in perfectam & imperfectam, id est, prope veram, in generalem & specialem, in analyticam & geometricam, in eo est, ut ostendat, nullam adhuc quadraturam specialem Circuli perfectam datam esse. Lunula *Hippocratis*, partiumque ejus, quadraturam pro perfecta fere omnes habent; quibus quo minus consentiat Autor, hoc obstat, quod hæc quadratura innixa sit celebratæ illi propositioni, Circulum esse triangulo æqualem, cujus basis peripheriæ altitudo semidiametro æqualis sit. Atqui, cum hujus theorematis demonstratio aliquot principia contineat prope tantum vera; v. c. circulum esse polygonum infinitilaterum, angulum sectoris arcus infinite parvi esse nullum; ipsum illud theorema, & nihil non eorum, quæ ex ipso consequuntur, prope tantum verum dicendum est. De methodo per æqualium substitutionem quasdam figuras rectis & arcibus Circuli comprehensas quadrandi, monet, eam neque distinctam esse, neque exhibere quantitatem partium illarum arearum. Neminem adhuc totalem Circuli quadraturam geometricam dedisse, omnes summos Mathematicos excitat. Analytica quadratura aut transcendens est, aut algebraica. Illam qui dederit, occurrit nullus. *Leibnitius* quidem in *primo Volumine* horum *Actuum* pag. 44 promiserat, se æquationes quasdam huc facientes daturum esse; verum enim vero, ut talis æquatio proficeret, eam ob id ipsum, quia esse debet infiniti gradus, non præstituram esse, quod præstare debet, Autor judicat. Algebraicam Circuli quadraturam impossibilem esse, omnium Analytarum dudum fuit sententia. At, ne quis putet, hanc sententiam de methodis adhuc usitatis tantum pronuntiatam esse; monet Cl. Autor, eam de omni methodo algebraica valere, quoniam omnis talis methodus huic principio innitatur, quod figura curvilinea sit censenda æquipollere polygono infinitorum laterum. Nunc, quid de arithmetica Circuli quadratura statuat Autor, nemini potest esse obscurum. Series pro Circulo, quas *Leibnitius* & *Newtonus* dederunt in numeris, omnes Geometræ pro mezis habent approximationibus, quod summæ terminorum in illis seriebus infinitorum colligi non possint. Sed, etiamsi, inquit Autor, summa tandem seriei harmonicæ infinitæ iniri exacte posset, nil nisi approximatione ea summa foret, nata quippe ex eo principio, Circulum esse polygonum infinitorum laterum. Tandem, quoniam aliquis Lectorum opinari posset, ab ipso Autore per theoriam suam circelli minimi & anguli contactus spem aliquam novam, ad retronisimum Circuli perveniendi, factam esse; ultimas hujus libelli paginas in id impendit, ut hanc spem Lectoris animo eximeret. Sed, de hac opella hæc exposuisse, nobis sufficiat, qui judices ipsi sedere noluimus, sed hoc tantum consilio eam indicavimus, ut nostra forte opera facilius hæc Dissertatio ad manus illorum Virorum perveniret, penes quos de ea judicium Autor esse voluit.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ
Calendis Decembris Anno MDCCXLII.*

HISTOIRE GENERALE DES AUTEURS
Sacrés & Ecclesiastiques, &c.

hoc est,

HISTORIA GENERALIS AUTORUM SACRO-
rum & Ecclesiasticorum, continens eorum vitas, ope-
rum catalogos, examen criticum, judicia, chronolo-
giam, analysin, & recensionem variarum editionum,
&c. Autore R. P. REMIGIO CEL-
LIERIO, Benedictino.

Tomus V.

Parisiis, apud viduam P. A. le Mercier, 1735, 4 maj.

Alph. 4 plag. 3.

Eximii hujus Operis, quod in singulare emolumentum illo-
rum, quibus res in ecclesia gestas curatius nosse est ani-
mus, paratur, ejusque superiora quatuor Volumina in
Supplementorum ad Nova hæc Acta Tomo I & II recensimus, Vo-
lumen I jam comparet. Res Seculi IV eruditissimi Cellierii di-
ligentiam adhuc exercent, & *decem Capitibus* vitas, controver-
sias, potissimum eum Arianis agitatae, scripta præcipuorum
hujus ævi doctorum, ac Concilia, complectitur & enarrat. *Caput*
J, Articulis XII distinctum, destinatum est satis ac scriptis *Hi-*
larii, Pietarientium summi antistitis, evolvendis. *Art. I* ex-
hibet ipsius vitam, qui, cum ante scilicet Deorum cultui ad-
dictus esset, nulla avita superstitione, religionis Christianæ ve-
ritate

ritate victus, eademque probe instructus, circa A. C. 353 Episcopus est electus, sed illo munere ob suum in Arianos fervorem excidit A. 356, post longum vero exilium restitutus, Pictavii, quarto anno *Valentiniani*, A. C. 368 d. 13 Jan. placide de hac vita decessit. Notat, apud Pictavienses asservari librum Evangeliorum, Græce manu *Hilarii* exaratum, in quo Evangelistæ hoc ordine se excipiant: *Matthæus, Joannes, Marcus, Lucas*. *Art. II* Autor disserit de *Commentario Hilarii in Psalmos*, qui primum locum inter ejus Opera, Parisiis A. 1693 publicata, occupat, cujus commentandi rationem declarat, & potiora momenta inde depromit. *Art. II* lustrat *Commentarium in Matthæum*. Hunc ab ipso confectum fuisse, testimoniis *Hieronymi, Pelagii, Augustini, Vincentii Lirinensis, Hincmari Rbemensis*, confirmat, simul tamen docens, non esse ante A. 356 concinnatum. *Art. IV* verba facit de *XII Libris de Trinitate*, quos ipse esse, certo demonstrari posse arbitratur, scriptis in exilio, dum in Phrygia hæreret, intra A. 356 & 359, in quibus consubstantialitatem patris, filii, & spiritus sancti, contra Arianos & Sabellianos tuetur, qui olim magno in pretio fuerunt habiti, quorumque luculentum satis dat conspectum. *Art. V* considerationi suæ subjicit librum *de Synodis*, qui alias etiam *de fide Orientalium* inscribitur. Consignatum illum esse, judicat, circa finem A. 358, vel initium A. 359, quem maximi habuit *Hieronymus*. *Art. VI* agit de *Epistola ad filiam*, cujus *duſavrlav*, cum non sine ratione a viris magnis pro mero nugamento hominis indocti habeatur, vindicat, afferens etiam quædam de *hymnis, matutino ac vespertino*. *Art. VII* recenset libros, ad *Constantium* pro catholicis scriptos sub finem A. 355, vel initium A. 356. *Art. VIII* commentatur de libro contra *Auxentium*, quem simulationis ac errorum arguit, vulgato circa A. 365. *Art. IX* loquitur de *Fragmentis Hilarii*. *Art. X* de operibus illius deperditis, eisdemque falso adscriptis, agit. Inter amissa refert *Commentarium in Jobum, Epistolas ad Timotheum, & Romanos*. *Art. XI* in eo est, ut explanet doctrinam ejus circa potissimas religionis revelatæ veritates. *Art. XII* continet judicia de scriptis *Hilarii*, pariterque re-
 centionem editionum operum adhuc prostantium, quarum præstantissimam

stantissimam illam habet, quam *Petrus Contant*, Benedictinæ familiæ socius, A. 1693 fol. procuravit. *Cap. II* progreditur ad *Athanasium*, Archiepiscopum Alexandrinum. *Art. I* describit illius vitam. Natus est circa A. 296, Episcopus Alexandrinus creatus A. 326, qui tandem, post varia certamina ac exilia, quæ pro veritate subiit, mortem invenit A. 373. *Art. II* tractat de ipsius scriptis, quo tempore, quave occasione, sint exarata, & quæ præcipua illorum sint argumenta, de *Disputatione adversus paganos*, & de *incarnatione*, *expositione fidei*, *Tractatu in verba illa Christi: Omnia mihi data sunt a patre meo*, *Epistola ad Episcopos orthodoxos*, *Apologetico contra Arianos*, de *Decretis Nicænis*, *Apologetico S. Dionysii*, *Epistola ad Dracontium*, *Epistolis ad Episcopos Aegypti & Libyæ*, *Apologetico ad Constantium*, & pro fuga, *Epistola ad Serapionem de morte Arii*, *Epistola ad Anachoretas*, *IV* *Dissertationibus contra Arianos*, *litteris ad Serapionem*, de *Synodis*, *Epistola ad Ecclesiam Antiochenam*, & ad *Imp. Jovinianum*, de *vita S. Antonii*, *Epistola ad Orsifium*, de *incarnatione verbi* & contra *Arianos*, *Epistolis ad Episcopos Africæ*, ad *Epictetum*, *Adelphium*, & *Maximum*, *duobus Libris contra Apollinarium*, de *Trinitate* & *Spiritu S.*, *Epistolis ad varios*, *Epistola ad Marcellinum*, & *Commentario in Psalmos*, *Commentariis in diversos Scripturæ libros*, *Fragmentis Operum ejus*, & *copiosa Disquisitione de Fide*. *Art. III* est de scriptis, de quibus, num *Athanasii* sint, dubitatur, v. c. de *incarnatione verbi Dei*, *consubstantialitate trium personarum*, *Epistola cyclica ad Episcopos Aegypti, Syriae, & Phœnicis*, contra *Meletium*, *Epistola de incarnatione verbi*, *libro contra Sabellianos*, *Tractatum*, cui titulus, *quod Jesus Christus sit unus*, de *sabbato* & *circumcisione*, de *virginitate*, *Synopsi sacræ Scripturæ*, *Homilia de patientia* & *festo Palmarum*. *Art. IV* de scriptis, *Athanasio suppositis*, *Dissertatione inter Arium & S. Athanasium*, contra *omnes hereses*, *Historia Melchisedeci*, *Opusculo ad Jovianum*, *libro de definitionibus*, *136* *Questionibus ad Antiochum*, *historia miraculi Berythensis*, *Diss. contra Latinos*, *instructione monachorum*, *instructione ad vitam monasticam*, *diversis Humiliis*, de *nativitate S. Joannis*, *relatione S. Virginis* & *Josephi in libros censuales*, *nativitate Jesu*, *presentatione ipsius in templo*, de *cæco nato*, *ingressu J. C. in Hierosolymam*,

prodicione Juda, passione J. C., de sanctis Prophetis, Paschate, recens baptizatis, adscensione J. C., sancto Andrea, officiis hominis Christiani, quinque Dialogis de Trinitate, VIII Libris de Trinitate, collatione cum Ario, vita S. Syncreti, exhortatione ad monachos & virginem aliquam, Symbolo Quicumque, Opusculo de Paschate. Art. V disquisitionem instituit de operibus Athanasii perditis. *Art. VI* de doctrina disserit, quam testimoniis in notis subjectis ex ipsius scriptis confirmat. *Art. VII* judicia variorum de illius scriptis in medium profert, & catalogum editionum operum ipsius sistit. Antiquissima omnium editionum est illa, quæ Vicennæ A. 1482 prodit, sed quæ exiguum admodum scriptorum Athanasii numerum, & quidem ab Omnibono de Lorigo in Latinum tantum idioma convertorum, complectebatur; optima est, quæ debetur industriæ Viri summi in omnem rem literariam meritis illustris, Bernh. Montfauconi, typis exscripta Paris. A. 1698 Voluminibus III grandioribus in fol. *Cap. III* refert ea, quæ ad S. Theodorum, & S. Orsifium, Abbates Congregationis Tabennensis, spectant. Theodorus, uti creditur, circa A. 314, in diocesi Latopolitana Thebaidis superioris, familia Christiana divite ac illustri procreatus, vitæ sanctioris studio raptus, annos 14 natus, se S. Pacomio ac illius sodalibus associavit, qui sua virtute id est consecutus, ut Pacomius ipsum A. 339 monasterii præfectum constitueret, quo mortuo, Abbas est nominatus. Inter vivos esse desit A. 367 d. 27 Aprilis. Successorem habuit Orsifium. Quæ de utroque commemorat, ex Boliando nuntio sumit. *Cap. IV Art. I* de Lucifero Calaritano, qui, variis defunctus ærumnis, tandem inquietam vitam Calari finivit A. 371; *Art. II* de ipsius scriptis, *VI Libris ad Imp. Constantium pro Catholicis, de Regibus apostatis, de evitanda communione cum hæreticis, de eo, quod fas non sit parcere illis, qui adversus Deum peccant, de eo, quod quis pro silio Dei mori sit obstrictus; Art. III* de eo, quod notatu dignum est in scriptis Luciferi, nos docet. Ingentem admodum lectionis discrepantiam Scripturæ sacræ, a nostris exemplaribus abeuntem, in illis offendi monstrat, inde sententias ejus de præcipuis Christianæ religionis veritatibus in medium adducit, ac judicia de ipsius scriptis addit.

dit. *Cap. V* de *S. Eusebio*, Episcopo Vercellensi, & confessore, qui natus in Sardinia, post apud Vercellenses muneris Episcopalis dignitate est ornatus, mortuus circa A. 375. Nomine martyris a nonnullis insignitur, non ac si doctrinam Christi suo obsignarie sanguine, sed quoniam ob fidem orthodoxam ab Arianis gravissimas afflictiones est perpessus. *Cap. VI* profere *acta martyrii S. Sabæ*, & plurimarum aliorum ex Gothis, qui in orthodoxa fide perstiterunt, nec ad Arianorum impietatem deslexerunt. *Cap. VII* de *S. Anachoretis, Paulo, Jesu, Sabæ*, & aliis, a barbaris in solitudinibus Sinai & Raithæ interfectis. *Acta* horum, quæ *Combesius* exhibet, genuina esse, nullus fere dubitat; quare ex iis ea, quæ ad institutum suum facere putavit, adducit. *Cap. VIII* de *Papa Liberio* commemorat, qui, *Julio* successor d. 12 April. A. 352, initio quidem causam orthodoxorum contra Arianos strenue propugnavit, propterea a *Constantio* in exilium missus, sed inde revocatus est, ubi ab ecclesiæ sententia aliquantulum discessit, ac voluntati *Constantii* morem gessit. Mortuus est d. 24 Sept. A. 366. Inde disserit de ipsius scriptis, tum genuinis, tum spuris. *Caput IX* dicatur est *Marcello*, Episcopo Ancyrano, qui circa A. 274 lucem adspexisse videtur, Episcopus Ancyranus fuit ab A. 314, plurima passus ab Arianis, in suspicionem Sabellianismi ab ipsis orthodoxis adductus, sed in professione fidei catholicæ mortuus, id quod Noster abunde apparere cenet ex confessione, ex manu exarato Codice primum edita a *Montfauconio* A. 1706. *Cap. X Art. I* de Conciliis *Sirmiensi, Antiocheno, Ancyrano, Ariminensi, & Seleuciensi*, agit, quorum primum celebratum *Sirmii* A. 357, secundum *Ancyra* A. 358, tertium *Ariminii* A. 359; *Art. II* de Conciliis *Constantinopolitano, Melitenensi, & Achaico*, exponit, quod postremum per Acacianos sub initium A. 360 est institutum, in quo muneribus suis sunt exuti *Aetius, Macedonius, Basilus Ancyranus, Eustathius Sebasteus, Eleusius Cyzicenus, Theotastus, Draconius, Sylvanus, Sophronius, Neonas, Elpidius, Cyrillus Hierosolimitanus*, & quomodo in illo omnia, non secundum veritatis & justitiæ regulas, sed per vim, fuerint acta, id ipsum copiose persequitur. Melitenense in Armenia minore A. 360

paulo ante Constantinopolitanum coactum est. De Achaico, numquam fuerit habitum, dubitat, cum tota res nitatur testimonio *Prædestinati* apud *Baluzium Collect. nov. Concil. pag. 73*, & *Tom. XXVII Bibl. Patr. pag. 552*, antiquioribus prorsus tacentibus. *Art. III* Concilia persequitur, in Gallia contra Arianos congregata, *Parifense* speciatim, circa A. 360 vel 361 celebratum, cujus Epistolam synodicam, ad orientalis ecclesie Episcopos directam, affert. *Art. IV* de Conciliis *Antiochæno* & *Nicæno* disserit. *Antiochænum* habitum est A. 361, in quo *Meletius* concordibus suffragiis Episcopus Antiochenus est electus, verum, cum ipsius constantia in doctrina orthodoxa deprehenderetur, abdicatus est, *Euzoio* in locum ejus surrogato. *Antiochænum* indictum est A. 361. *Nicænum* convocatum quidem a *Constantio*, sed is ante viventium numero est exemptus, quam illud ipsum aperiretur. *Art. V* de Concilio *Alexandrino*, quod A. 362 est institutum, memorat, ubi Episcopi, sedibus suis pulsi, venia *Juliani* Imp. reversi erant, qui id egerunt, ut ecclesie quies restitueretur. *Art. VI* de Concilio *Taveftino* in Numidia, habito A. 362, occasione violentie, a Donatistis adversus catholicos exercite, exponit. *Art. VII* de Conciliis *Macedonianorum*, qui ab Arianis se sejungebant, habitis *Zeli* in Ponto & Antiochie, varia profert. *Art. VIII* de Conciliis *Alexandrino* & *Antiochæno*, ad quorum utrumque A. 363 patres convenerunt, commemorat. *Art. IX* de Conciliis *Lampfaceno*, congregato A. 365, *Nicomediensi*, huic adverso, A. 366, *Tyanensi*, A. 367, *Antiochæno* in *Caria*, eodem anno; *Art. X* de Conciliis *Valentia*, & in *Illyrico*, agitatis, quorum illius initium est factum d. 12 Jul. A. 374, ut nonnullæ dissensiones ecclesie Gallicanæ componerentur; *Art. XI* de Conciliis *Ancyrano*, *Nyffeno*, *Cyziceno*, & *Iconiensi*, memorat. Primum ab Arianis est indictum A. 375, secundum eodem, tertium A. 376, quartum A. 377. *Art. XII* narrat de Conciliis *Romæ* sub *Damaso* celebratis A. 377 vel 378 rogatu oratorum, quos ecclesia orientalis Romanam ablegaverat in causa *Eustubii*, Sebastensis Episcopi, qui in errores *Macedonianorum* & *Apollinaristarum* prolapsus fuisse arguebatur, quorum proinde dogmata fuerunt condemnata. Aliud coit A. 378, ut dissidium inter *Damasum* & ejus æmulum *Ursinum*,

fnum, sive Ursicinum, tolleretur, crimina Damaso objecta diluerentur, & jus, ecclesie a Valentiniano concessum, stabiliretur. Art. XIII de Conciliis Antiocheno & Romano, quorum utrumque institutum est A. 379; Art. XIV de Concilio Saragocensi, in quo causa Priscillianistarum fuit ventilata; Art. XV de Concilio Constantinopolitano, ad quod rerum sacrarum præsides jussu Theodosii Augusti sunt evocati, quo motus ab Arianis ac Macedonianis excitati sedarentur, ac pax ecclesie redderetur; Art. XVI de Concilio Aquilejensi, quod coit autoritate Gratiani Imperatoris in causa Palladii, Episcopi Illyrici, qui clanculum Arianismo favere infimulabatur, in eodemque cum asseclis suis munere suo dejectus condemnabatur; Art. XVII de Concilio Italico, convocato A. 381 in negotio Maximi Cynici; Art. XVIII de Conciliis Constantinopolitanis, Romano, & Carthagenensi, quorum prius incidit in A. 382, in quo, præter hæreses Sabellii, Arii, Macedonii, etiam Apollinaristarum fuit rejecta, alterum pariter A. 382 in causa Apollinaristarum est congregatum, tertium A. 383 celebratum est, in quo deliberarunt patres, qua ratione Arianorum, qui ecclesiam turbare non intermittebant, factionibus obviam iri, illisque obex poni, posset; Art. XIX de Conciliis Burdegalensi, Trevirensi, Romano, Nemaufensi, & Antiocheno, discessit. Burdegalense apertum circa A. 384, Trevirensè A. 385, utrumque in causa Priscillianistarum, Romanum A. 386, Antiochenum circa A. 388 vel 389, in quo decretum est, ut imagines religiose abolerentur. Art. XX de Conciliis Sidoniensi & Antiocheno, contra Massalianos, Romano & Mediolanensi, contra Jovinianos, instituto; Art. XXI de Conciliis Carthaginensibus, habitis A. 390; Art. XXII de Conciliis Romano & Mediolanensi, contra Jovinianum, ac illius sectatores, celebratis, quorum utrumque coit A. 390; Art. XXIII de Concilio Capuensi A. 391; Art. XXIV de Conciliis Sangarenfi & Pazenfi; Art. XXV de Conciliis Carthaginensi, Carbasuffensi, & Baguico, refert, quorum duo priora instituta A. 393, ultimum A. 394. Subiectus est huic Volumini Index Lectori perutilis & copiosus.

Johann Jacob Mosers Teutsches Staats-Recht, II.

hoc

hoc est,

JOANNIS JACOBI MOSERI SY-
stema Juris Publici Germanici.

Pars I & II.

Noribergæ, impensis Joannis Stein, 1737 & 1738, 4.
P. I Alph. 3 plag. 2, P. II Alph. 3 plag. 10, fig. æn. 3.

Novum jam egregiæ assiduitatis suæ & industriæ documen-
tum edit Ill. Autor, qui omne, quod temporis subsecivi ipsi
est a gravioribus laboribus, in id impendit, ut aliis inserviat, eam-
que, quam legendo, meditando, vel longa experientia, in rebus
Imperii Romano-Germanici publicis comparavit sibi, notitiam
communis usus & juris faciat. Magnum itaque Opus meditans,
quod eas præcipue Juris publici Germanici doctrinas, quæ in foro
& applicatione gravitate suâ & usu se probant, contineret, parvo
quali negotio, pro fertilissimi ingenii sui facultate, id ipsum col-
legit, contexit, brevique tempore ea, quæ restant adhuc, absol-
vet. Ab ovo rem ducens, *Libri I Cap. I fontes Jurispruden-
tiæ publicæ* indicat, & scriptores, qui notitiam librorum, scien-
tiam hanc tradentium, dederunt, commemorat. *Capite vero II*

- Pag. 7. *Scriptores Juris publici*, tam systematicos, quam compendiarios,
alphabetica serie recenset, addens ubique calculum liberrimi
interdum judicii, nigrum albumve. Hisce præmissis, ipsos
Juris publici fontes aperit, leges scilicet Imperii fundamentales,
pacta, tam inter ipsos Status, quam cum exteris, inita, privile-
gia, immunitates Statuum singulorum particulares, & consue-
tudines, optimoque simul jure monet, communem esse omni-
bus sortem, quod, non obstante clausula, quæ de perpetua va-
liditate ab initio statim Constitutionibus apponitur, sæpe per no-
viores dispositiones vel expressas, vel tacitas, mutentur. Ita
33. enim, ut pauca tantum delibemus, Reservatum ecclesiasticum
in pace religiosa unilaterale, in pace Osnabrugensi bilaterale,
factum, & ad Evangelicos extensum esse, inter omnes constat;
45. & quæ feuda olim per vexilla tradi consueverant, gladio hodie
conferri solent. In sequentibus *Leges Imperii fundamentales*
scriptas

*scriptas in genere enucleat, & simul circa earum definitionem, quod sint conventiones inter Imperatorem & Status, singularem exceptionem notat: ordinationem scilicet Judicii Aulici a solo Imperatore præscriptam esse, contradicentibus licet quodammodo Imperii Statibus. Cum vero, leges dispersas nosse, admodum necessarium sit; catalogum eorum, qui operam iis colligendis adhibuerunt, uberrima recenset serie, simulque dolet ac probat, innumeros fere errores variis ex causis se ingessisse, multa vero potatu necessaria & utilissima omissa esse in *Collectione Recessuum Imperii aliarumque Imperii Constitutionum*, quæ Francofurti A. 1720 fol. prodiit. Varia quoque de *Parte generali Archivi Imperialis Lunigii, Corpore Juris publici & privati Burgermeisteri, Schmausii, Struvii*, aliisque, monet, nunc laudantis, nunc reprehendentis, personam sustinens. Sequitur ampla & solida Legum harum evolutio ac contemplatio. Primo loco de *Aurea Bulla* agit, & præmissis scriptorum, in eam editorum, indice, varia de nomine, occasione, causa & modo confectionis, autore, lingua originaria, contentis, autographo, quod Francofurti ad Mœnum custoditur, & reliquis exemplaribus, quæ in Electorum Archivis adhuc servantur, disserit. Illud enim exemplar, quod Electori Brandenburgico exhibitum fuit, inter bella intestina, quæ tempore, quo Electores e domo Bavarica provincias has tenuerunt, gesta sunt, interiisse, admodum probabile est; licet ceteroquin non subscribat Ill. Autor relationi *Ludewigii*, asserentis, deprehendisse forte aliquem folium pergameni unum apud rusticam scæminam quandam, in Marchia media habitantem, cujus folii ope linum colo suo affixum continuisset, & cui quædam ex Aurea Bulla inscripta fuissent. Hoc ergo folium unum ex reliquis dilaceratis & dispersis authentica Aurea Bullæ Brandenburgicæ fuisse, opinatur *Ludewigius*. Progreditur deinde Ill. Autor ad *Pacem publicam profanam, Maximiliani I* tempore A. 1495 sancitam, cujus causas impulsivas, contenta, repetitas in Recessibus Imperii, Instrumento Pacis Osnabrugensis, Capitulationibus, confirmationes, usumque hodiernum, longa serie recenset. Amplam porro & luculentam *Pacis religiose* sit*

Pag. 56.

§3.

105.

120.

- fit historiam, dum omnes, qui de reformatione religionis Christianæ ab A. 1517 obortæ sunt, lites, consultationesve habitæ, aut appellationes, aut protestationes, interpositæ, quæve alio modo peracta sunt, ex ipsis Recessuum contentis, optimisque literarum monumentis, probat, validitatemque ejus æternam ex Recessibus Imperii & Capitulationibus contra ea, quæ a dissentientibus scriptoribus, vel in publicis etiam consultationibus, virulento interdum animorum motu prolata sunt, defendit.
- Pag. 198. Ad *Ordinationem Cameralem* se accingens, Procerum Imperii querelas sub *Friderico III* de incerto Judicii Cæsarei loco, de Assessoribus ejus, rerum Germanicarum ignavis, aliisque laboribus distractis, motas, eorumque desideria de stabili Judicio formando, exhibet. Res tamen hæc saluberrima ad effectum deduci non poterat prius, quam prima *Ordinatio* in Comitibus A. 1495, Statuum consensu adhibito, præscriberetur. Noviores secuta A. 1521, 1548, & 1555, & varia circa emendationem ultimæ *Ordinationis* proposita sunt noviori tempore, præcipue cum A. 1706 *Camere* visitatio decerneretur, quam tamen, ob deficientem communem Statuum consensum, legis
221. vigore adhuc destitui, recte asserit Autor. *Cap. X Ordinationem Judicii Aulici Imperialis*, A. 1559 evulgatam, sequenti tempore varie correctam, A. 1654 vero noviter promulgatam, lustravit, monita quoque Statuum circa ejus emendationem inspergit. *Cap. XI* & sequenti *Capitulationem Imperatoris Caroli VI*, *conventiones particulares in Imperio inter ipsu Imperii membra*, tam in genere, quam in specie, & præcipue *Unionem Electoralem*, quam iterum in generalem & specialem dividit, recenset. Prima generalis A. 1338 Germanico idiomate confecta, postea A. 1399, 1424, 1438, 1446, 1502, & 1521, repetita, & in Capitulationibus nota habita est. Specialis vero vocatur ea, qua arctiori se univerunt pacto Electores Rhenenses, Moguntinus, Coloniensis, & Palatinus, A. 1519, & quam
294. A. 1558 & 1664 repetierunt. Ad Leges porro Imperii fundamentales refert Autor *Constitutionem Burgundicam*, qua nexus provinciarum *Burgundicarum*, & præcipue earum, quæ hodie nomine *Austriacarum* veniunt, cum Imperio Germanico

nico determinatus est; item *conventiones cum exteris*, tam in **Pag. 326.**
 genere, quam in specie eam, quam *Otto I cum Leone VIII* 329.
 de jure Regum Teutonicorum in Imperium Romanum & in se-
 dem Romanam ipsam, quamve *Henricus V* Imperator cum *Ca-* 334.
lixto II, P. M. A. 1122 inivit, vi cujus Imperator post multas,
 satisque vehementer exagitate, lites investituræ per baculum &
 annulum renuntiavit, & liberam ecclesiæ electionem remisit;
 Papa vero Imperatori concessit, ut Legatus ejus liberæ Epi-
 scoporum & Abbatum in Germania immediatorum electioni
 interesset, in discordi vero seniori eligentium parti assistat, ele-
 ctumque per sceptrum investiat; conventionem porro inter Im-
 peratorem *Fridericum V & Nicolaum V* A. 1448 initam, quæ & 354.
 nomine *Concordatorum Nationis Germanicæ* venit, contra quæ,
 cum curia Romana, optima sua sorte nondum contenta, nova
 quædam, libertati ecclesiæ Germanicæ contraria, machinata fue-
 rit, sæpius quiritarunt, imo de plane abrogandis iis aliquo-
 ties cogitarunt Imperii Status. Ea vero in Episcopatibus Her-
 bipolenti, Bambergensi, aliisque variis, nunquam plane recepta
 esse, asserit Autor. *Instrumentum Pacis Westphalicæ, & præ-* 389.
cipue Osnabrugensis, inter leges Imperii fundamentales singu- 393.
 lariter eminere, per se patet. Unde & de consecutionis ratio-
 ne, contentis variis, protestationibus, quas sedes Romana alii-
 que Principes interposuerunt, de Edicto, & modo exequendi,
 deque ejus valore, confirmatione in novioribus Imperii Reces-
 sibus & Capitulationibus, ut & de contraventionibus, inter-
 pretatione in iis, quæ obscura sunt, an v. g. *Art. IV §. 19 &*
Art. V §. 13 sibi contrarii sint, an *Art. V §. 15* de bonis
 ecclesiasticis immediatis, an vero de mediatis simul, disponat,
 quomodo contra turbantes procedatur, turbative restituantur,
 lectu dignissima, longa serie, profert. Ultimum tandem *Ca-* 503.
put XXI primi Tomi Pacem Noviomagensis & Ryswicenses
 complectitur, & ea præcipue, quæ circa satis declamatum *Ar-*
ticuli IV Pacis Ryswicensis clausulam acta sunt, exponit.

Eodem ordine, eademque indagandi, recensendi, & ju-
 dicandi, solertia atque soliditate in *Tomo II* progreditur Illustris
 Autor, & in *primum Librum* ea, quæ de legibus Imperii fun-
 damen-

Pag. 92. • damentalibus consideranda restant, consarcinat, *de Pace Rastadiensi & Badensi* agens, cujus primas causas a bello, initio hujus Seculi de successione Hispanica oborta, deducit; quæ vero durante bello in Comitibus de abroganda clausula pacis Ryswicensis, aliisve, acta, quæve in consultationibus de pace Ultrajecti ineunda, & inita, proposita rejectave sunt, ampla segete inspergit. Finit tandem Legum fundamentalium Imperii generalem recensionem cum *Pace Viennensi*. Sed non sufficiunt hæc solertissimo Jurisprudentiæ publicæ indagatori nostro, quin in alia multa, quæ ad satis firmanda tantæ scientiæ fundamenta necessario faciunt, eodem studio ulterius inquirat, quæ sunt *privilegia Statuum & Membrorum Imperii particularia*, de quorum validitate graves sæpe lites obortæ sunt. Notum est enim, vario modo, quæ dedit *Wenceslaus Rex*, ab interpretibus in dubium vocata fuisse; sed recte, post variarum disceptationum recensionem, judicat Auctor, distinguendum esse inter ea, quæ a *Wenceslao* noviter concessa, & ea, quæ confirmata tantum sunt. De horum validitate, vix esse, ut dubitemus, cum nihil novi tribuant. De illis vero subdistinguit, an ea noviter concessa, aliis præjudicium inferant, nec ne; & an alii Status vel ante, vel postea, ab aliis Imperatoribus alia ejusdem tenoris privilegia obtinuerint, nec ne. Priora nempe optima sua validitate gaudere, secus ac posteriora, putat. Magnam porro *consuetudinum*, uti in Jure privato, ita & in Jure publico, vim & potestatem esse, satis quidem exploratum est; maximæ tamen disceptationes & varietates se exerunt circa earundem introductionem, vel applicationem, vel usum, vel non usum. Ita enim, ratione introductionis non omnium eandem esse naturam, ex exemplis luculente probat. Alias solus hæcenus Imperator introduxit. Juramentum enim, quod Status Imperii in infeudationis actu præstant, a solo eo conceptum, & a singulis Statibus hæcenus præstitum fuit. Alias a solis Statibus inductas deprehendimus. Ita Status Imperii in Comitibus in tria separata Collegia abierunt quidem; nullibi tamen Imperatoris consensus separationi huic adhibitus proditur. Vigent etiam singulorum Collegiorum consuetudines in Imperio. Ita enim Principes Collegio suo adscripserunt quidem Comites

mites & Prælatos, sed cuilibet classi non nisi euriatum concesserunt votum. Præterea ad Juris publici rivulos haud conde- Pag. 167.
mnendos refert Autor 1) *facram Scripturam*. Usum enim ejus in hac quoque scientia varium demonstrare satagit, v. g. cum quaeritur: An dominus territorialis arcere possit benevolos, ne pietatis causa privatim inter se conveniant; an Princeps peccata, contra Dei præcepta commissa, poena pecuniaria vindicare possit; 2) *Jus publicum univesale & Jus gentium*; 3) *Jus Romano-Justinianicum, Pontificium, Feudale Longobardicum*. Ad media vero, legum publicarum scientiæ inservientia, refert *Historiam*. Optimo certe jure primum hæc locum occupat, cum plurimarum consuetudinum certum testimonium perhibeat, multumque ad veram Legum naturam & rationem indagandam conducat. De lite, olim inter *Pfannorum & Ill. a Ludewig* circa historiam ex archivo vel a teste oculato colligendam mota, & cuius major fides tribuenda sit, recte sentit, neque Archivi documenta, neque oculati testis interdum sufficere relationes, ut ingenua exinde rei gestæ historia conscribi possit. Legati enim, ut satis est compertum, negligentiam commissam vel falsis interdum relationibus obtendunt, vel, ut Principis gratiam eo melius incant, de indefessa sua assiduitate testes in propria causa se sistunt. Oculati vero testes, falsis interdum relationibus offensi, nubem pro Junone arripiunt. *Acta publica, Diplomata, Deductiones*, plurimum ad 245.
Juris publici scientiam conferre, omni dubio caret, & in his colligendis de summis *Goldasti, Datti, Schilteri, Mulleri, Hortlederii, Lehmanni, Lanigii, Londorpii, Leuchtii*, aliorumque, meritis, quæ nunquam satis prædicari possunt, constat. Neque *historiam Statuum particularium in Germania*, qualem, 260.
exempli loco, *Pufendorfius* in rebus *Fridrici Wilhelmi* sistit, 262.
neque historiam actaque publica exterorum Principum & Pontificum, omittere potest cupidus scientiæ hujus indagator. No- 264.
va quidem, eaque satis ardua, *de notitia & modo in veritatem & validitatem Diplomatum inquirendi* orta est lis, in qua componenda, præter *Comringium, Tenzeltum, Hertium*, aliosque, *Clarissimi Baringius* magno studio fructuque desudavit; sed multa adhuc

- Pag. 268. adhuc investiganda & scrutanda supersunt. Tandem & *Geographia*, & imprimis *Imperii nostri Geographia*, Jurisprudentiæ publicæ adjutrices præbet manus, de cujus tamen defectibus justas effundit querelas. Hæc ergo sunt, quæ Illustris Autor in *primo Libro* longa & concatenata serie de indole & fontibus Juris publici protulit.
277. In *Libro II* ea proponuntur, quæ de capitibus Imperii R. G. notari merentur, de *Imperatore* scilicet & *Rege Romanorum*, de *Vicariis*, certoque modo de *Summo Pontifice*, intuitu rerum ecclesiasticarum, prouti inter Status Catholicos occurrunt. *Primo* ergo *Capite*, an & quatenus *Germanicum Imperium electivum dici possit*, disquirat Illustris Autor. Convenerat quidem *Carolus II* Imperator cum Electoribus de nunquam eligendo Austriæ Duce in Regem Romanum, uti *Schilterus* in *Instit. Jur. publ. T. II in Append. pag. 69* probavit; sed, non obstante ea dispositione, divina providentia domum Austriacam per trecentos annos splendido Imperiali diademate condecoravit, & ab A. 1437 Principes hi Celsissimi continuos Imperii sæces tenuerunt, sed, posita hac continuatione, vel pacto cum domo Hannoverana, de semper nominando primogenito Imperatoris filio in futurum successorem eligendo, inito, libera tamen manet in Imperio R. G. electio. Hisce præmissis, de
305. *personis, quibus jus competit Imperatorem eligendi*, disserit. Novem hodie numerantur personæ, prærogativa hac eminente fulgentes, exque vel ecclesiasticæ, vel seculares. Ille statim, postquam per electionem aut postulationem ad dignitatem Archiepiscopalem evehi sunt, in conclave Electorale admittuntur, licet a Pontifice nondum confirmatæ, aut ab Imperatore nondum investitæ sint, prout luculenter exemplo Electoris Colonienfis, qui durante electione *Maximiliani II* Imperatoris decesserat, probari potest. Capitulum ergo ad electionem non
319. admittitur. Seculares, quia eadem dignitate præcellunt, eodem proprio jure electioni Imperatoris adesse possunt, licet de Electoratu suo nondum investitæ sint. Minorennum vices sustinent tutores. Bannitus vero plane suffragio suo excidit. De
322. *personis, in Imperii solium evehi habitibus*, multa quidem præferunt

ferunt Politici; plurima tamen parum consulunt publicæ salutis. Interim dubium non est, quin & Principi Evangelicæ religioni addicto Imperatoria dignitas legitime tribui possit. Ipsum electionis negotium in *tria Capita* separat Illustris Autor, & in *Capite quarto Libri II de preparatione electionis Imperatoricæ* agit. Convocat Electores Moguntinus, sine dubio vi Archi-Cancel-
 larius, quo præditus est, & singulos per nuntios ad eorum aulas missos, quibus literas hodie, ut plurimum Germanico idioma exaratas, tradendas committit, Francofurtum, vel ad alium electioni suscipiendæ destinatum locum, invitat, Archi-Mareschallus Imperii interim per subofficialem, & hic per adhibitum metatorem, habitationes, & reliquam annonam, & politium, curat. Conveniunt Electores vel ipsi, vel sibi invicem votum committunt, vel per Legatos jure suo funguntur, quibus mandatum cum libera clausula, ab ipso Electore subscriptum, & majori sigillo firmatum, datur. Instituuntur, postquam advenerunt Electores, consultationes in curia Francofurtensi, ibique Capitulatio nova conficitur, monita vero Statuum Imperii simul audiuntur; die electionis adveniente, peregrini urbe exire jubentur, ut & exterorum Legati, ita, ut ne quidem Sedis Apostolicæ Nuntius ab hoc legis vigore excepiatur, nisi forsan Collegium Electorale uni alterive prægnantem ob causam commorandi veniam concedat. Sequitur jam ipse electionis actus in templo *D. Bartholomæi*, ad quod Electores, vel eorum Legati, solenni pompa procedunt. Hic Missa de Spiritu S. celebratur, eaque finita, juramentum de electione libere suscipienda ab Electoribus, absentiumque Legatis, præstatur. Intran postea omnes conclave, quod ab Imperii Mareschallo clauditur. Ibi electio ut plurimum secundum majora peragitur vota; qua occasione ea, quæ de compromisso, in actu electionis *Rudolphi Habsburgici A. 1273 in Ludovicum, Comitem Palatinum Rheni, facto*, vulgo creduntur, disquirat Illustris Autor, atque argumentis haud levissimis censet, solenniter declarasse tantum & pronuntiasse eum vota singulorum Electorum eodem, quo & hodiernum fieri solet, modo. Referatur jam conclave; electus publice proclamatur, eique præfenti,

Pag. 330.

318.
360.

381.

399.

- fonti, vel absentis Legato, Capitulatio, juramento firmanda, proponitur. De omnibus hisce peractis a Notariis requisitis instrumenta solennia, melioris probationis causa, consi-
 420. Pag. 420. ciuntur. Electus vero absens per solennem legationem, a Col- legio Electorali decretam, certior redditur. In *Cap. VII* histo- riam insignium Imperialium sistit, eaque optimo ordine recen- set. Ipsi olim Imperatores ea in custodia habuerunt, ut ipsis secundum antiquorum Seculorum rationem imperialis habitus esset perpetuus, & ubique solennis, usque dum A. 1424 a *Sigismundo* Imperatore Noribergam perpetuae custodiae delata fuerunt. Aliquoties quidem his de eorum custodia mota fuit civitati Noribergensi ab Agrisgranensi, sed malevole evitata est illa possessionem suam. Servantur etiam insignia quaedam & reliquiae Aquisgrani, quae ut omnia ab utroque loco ad locum coronationi destinatum apportentur, literis, ad utrumque a Col-
 434. legio Electorali missis, postulatur. *Cap. VIII* *Preparatoria ad Coronationis Imperatoris actum* exponit. Templum scilicet, in quo actus celebrari debet, magnifice exornatur, novae monetae eaduntur, Imperator adveniens solenni pompa in locum coronationi destinatum inducitur, & postquam advenit, Ca-
 447. pitulatione juramento ab eo firmata, ipse coronationis & unktionis actus maximo majestatis splendore peragitur, vel ab Electore Moguntino, vel Colonienfi, de quo tantum saepe in- ter utrumque superiori Seculo agitata, & felici tandem transac- tione compositae sunt lites, quas solide enuntiat celeb. Autor. Sequitur epulum regale, in quo Ar. officiales, & vel eorum Subofficiales, ministrantur. Ultimo tandem *Capite X*, de *Præstensionibus Sedis Romanae ratione confirmationis novi Imperatoris, & de Legatione Obedientiae, ab hoc ad Summum Pontificem mittenda, Tomum secundum* finit.

DELLA NATURA DE' FIUMI &c.

id est,

DE NATURA FLUMINUM TRACTATUS
 physico-mathematicus D. DOMINICI GUILIEL-
 MINI.

MENSIS DECEMBRIS A. MDCCXLII. 689

MINI. Editio nova, cum annotationibus EUSTACHII MANFREDI, ad Eminentiss. Principem Card. NERIUM CORSINI, Nepotem CLEMENTIS XII, P. M.

Bononic, ex officina Lælii de Vulpe, 1739, 4.

Alph. 3 plag. 10, cum Tabulis 18, æri incis. s.

Magnum, & in suo genere non modo primum, sed & unicum adhuc, Opus Viri incomparabilis, *Dominici Gulielmini*, de Natura fluminum, jam diu certe meruisset, ut iterum ederetur, luculentisque illustratum Commentariis, magis publicum redderetur. Fuit hic extremus labor Celeberrimi *Eustachii Manfredi*, a quo uno, propter singularitatem hujusmodi rerum scientiam, usumque diuturnum, tam præclarum confici negotium fas erat. Et confecit utique suo more, id est, prorsus egregie; sed morte occupatus, optimo præstantissimoque fratrum pari, *Gabrieli & Heraclito Manfredis*, curam Operis edendi reliquit. Laudavimus jam olim in *Actis* nostris cum alia *Gulielmini* scripta, tum etiam hunc de fluminum natura Tractatum, Physicis & Mathematicis probatissimum; de quo proinde nihil in præsentem addendum videtur, præter hoc unum, quod ad ipsas annotationes *Manfredianas* rectius æstimandas omnino pertinere videtur, duplicem fere scientiam esse, quæ in hoc libro traditur, de aquis fluminum, & de eorum alveis. De aquarum fluentium mensura, quam etiam libro singulari persecutus est *Gulielminus*, cum ante eum Abbas *Castelli*, *Torricellius*, *Mariottus*, tum postea *Varignonius*, *Newtonus*, *Bernoullius*, *Polenus*, *Pitotus*, *Grandus*, aliique summi viri, multa egregia docuerunt; & tamen verissime contentit *Manfredius*, pleraque hypothesibus niti, necdum extra controversiam positis. Quod vero ad doctrinam de alveis attinet, & de legibus, quas natura observat in eorum directionibus, declivitatibus, amplitudinibus, insertionibus, excavationibus, & quæ sunt alia hujus generis, eam & primus invenit *Gulielminus*, cum antea vix possibilis videretur, & ita perfecit, ut, li-

et negari nequeat, adjici aliquid a magnis ingenijs futuri seculi posse, tamen per hos 40 annos nihil plane adjectum, nihil non modo falsitatis convictum, sed ne quidem, nisi a paucissimis, qui propter sua commoda optassent, ut res aliter se haberet, in dubium vocatum sit. Hæc qui rite respexerint, non sane mirabuntur, cum, maximam partem annotationum *Mansfredianarum* non ad hanc de alveis doctrinam, *Gulielmino* propriam & luculentam, sed ad illam alteram magis adhuc dubiam, & excellentissimorum ingeniorum studio novissime excoltam, spectare, animadverterint. Vere autem asserere possumus, res non minus difficiles, quam pulchras & utilitate præstantes, ab incomparabili *Mansfredo* perspicue expositas, nec quidquam facile prætermisum esse, quod ad illustrandam doctrinam de fluminibus pertinere videretur. Si quæ supersunt difficultates, quæ supersunt utique, de iis Vir Clarissimus ingenue legentes admonet, nec dubitat, quibusdam in locis, a sententia magni sui præceptoris, salvo ejus honore, aliquantum discedere. Denique, ut ad plerorumque captum se accommodaret, a subtiliori Geometria & calculo algebraico consulto abstinuit. Non ingratum Lectoribus fore speramus, si ex Commentario Viri summi eum locum exempli causa afferamus, ubi experimenti mentionem facit, hunc in finem a se tentati, ut mensuras nancisceretur immediatas velocitatum non respectivarum, sed absolutarum, quas habent aquæ fluviorum, hoc est, ut spatium inveniret, quod quilibet aquæ pars dato tempore percurrat. Neque enim melius illustrari tam difficile

TAB. VI argumentum posse videtur, quam ope experientiæ. *AB* erat superficies aquæ stagnantis in vase quinque perticas longo, & paulo minus lato, supra quam, ad exiguam altitudinem, extendebatur filum horizontale metallicum, utrinque firmiter affixum, *CD*, transiens per annulos metallicos *E, F*, quorum ope suspensus erat semicirculus levissimus *GHI*, ex tenui asserculo factus, & diametrum habens cum filo horizontali parallelum, *GI*. Ex centro hujus semicirculi pendebat perpendiculum cum globo plumbeo, satis profunde in aqua immerso, quod perpendiculum, ubi semicirculus, (ope fili bombycini

IM,

IM, ad limbuni in *I* alligati, & circa trochleam cylindricam *M* ita circumducti, ut filo priori parallelum, id est, horizontale, & in eodem plano cum semicirculo, esset,) motu æquabili versus *M* attrahebatur, circumactio scilicet trochleæ manubrio, declinare sensim a situ suo naturali *KH* incipiebat, mox certum declinationis gradum conservans, celeritati motus, & resistentiæ aquæ, respondentem, atque in limbo semicirculi, accurate divisio, non difficulter observatum. Notata autem in margine vasis duo erant puncta, *V*, *Z*, eo pacto, uti & de distantia illorum quam exactissime constaret, & certum per experientiam esset, inclinationem penduli, quo tempore ab *V* ad *Z*, sive a *K* ad *A*, semicirculi centrum promoveretur, nihil immutari. Quo factò, cum tempus, ab horologio vicillatorio definitum, cum spatio percurio esset comparatum, ipsa reperiebatur velocitas absoluta, notatæ inclinationi respondens, erantque semper tangentes inclinationum quadratis velocitatum quam proxime proportionales. Constat autem, perinde esse, sive globus machinæ commemoratæ per aquam stagnantem trahatur, sive aqua fluens, immota machina, in globum pari celeritate impingat. De cetero non diffitetur Autor, pondus globi & semicirculi, cum filum inde aliquatenus curvaretur, experientiæ suæ nonnullam incommoditatem attulisse. Sed de hoc non minus, quam de ipsa æquabilitate motus, se provisurum fuisse ait, nisi aliis suis occupationibus ad ista minus perfecta relinquenda coactus esset.

PETRI HORREBOWII, IN ACAD. HAV-
nienfi Astronomiæ Professoris, Operum mathe-
matico-physicorum

Tomus I.

Havniæ, sumtibus Jacobi Preussii, 1740, 4.

Alph. a plag. 6.

Clarissimus Autor, cujus varia scripta jam laudavimus, nunc eadem conjunctim edere exorsus est. Et in hoc primo quidem

quidem Volumine, præter *Elementa Matheseos*, & in *progressionem harmonicam Mathematica*, etiam *Clavis Astronomiæ* continetur, altero tanto auctior. *Elementorum Matheseos*, jam A. 1732, iterumque A. 1737, editorum, *Liber primus*, post definitiones & axiomata, de lineis, angulis, & triangulis, de parallelis & parallelogrammis, itemque de circulo, in usum tironum, *tribus agit Capitibus*; *alter*, in usum proficientium, *tria* alia complectitur *Capita*, de Algebra, sive Arithmetica speciosa, de reſtangulis, & de proportionibus geometricis; denique *tertius*, in usum provectorum, *itidem tria* habet *Capita*, in quibus de proportionibus arithmetiſis & logarithmiſis, de proportionibus in quantitatum continuis, & de ſeſtione lineæ reſtæ ſecundum mediam & extremam rationem, tractatur. Sequuntur *in continuam proportionem harmonicam Mathematica*, prima vice edita A. 1737, in quibus accuratius, quam antea ab aliis factum eſt, de natura & uſu proportionis harmonicæ doctiſſimus Autor exponit. Occaſionem ei ſuppeditavit Tractatus Celeberrimi *Ramæri*, ab *Hamelio* in *Hiſt. Acad. Scient.* laudatus, & forte in Archivis illius Academiæ adhuc latens, de ſtatera Danica, & ejus diſiſione in proportione harmonica, ubi quædam ſcitu digna de harmonicis rationibus Autorem inſeruiſſe teſtatur *Hamelius*. Egit quidem de diſiſione ſtateræ Danicæ *D. de la Hire*, ex cujus Tractatu eandem tranſcripſiſſe videtur Autor *Dædali hyperborei*; ſed uterque & proportionem harmonicam, & nomen *Ramæri*, ſiluit, cum tamen, *Hireanam* diſiſionem plane ſuam eſſe, ipſe olim *Ramærus* fuerit profeſſus. Quæ cum *Horrebowius* noſter perpenderet, pro egregio ſtudio, quo res magni *Ramæri* ab interitu vindicare contendit, id agendum ſibi duxit in præſenti libello, ut etiam laudatum paulo ante Tractatum quodammodo reſuſcitaret, uſumque & proprietates harmonicarum proportionum in clariffima luce collocaret. Docet igitur, quod necdum demonſtratum a Mathematiciſis obſervatumque putat, (quanquam id ipſum & demonſtratum ſuccincte legitur in *Elementis Bernbarði Lamii*, & a *Jac. Bernoullio* in *Arte conjectandi*, aliisque recentioribus Mathematiciſis pro ſatiſ cognitò aſſumtum eſt,) ſeriem continuam

tinuam harmonice proportionalium, a serie fractionum, quarum numeratores sunt æquales, & denominatores arithmetice proportionem servant, hoc est, a serie arithmetica reciproca, nihil differre. Deinde ostendit, quomodo, datis duabus quantitibus, una pluresve sequentes, vel etiam mediæ harmonice proportionales, tam arithmetice, quam geometricæ, inveniri possint. Quo loco in arithmetice aliquam difficultatem incidere sibi videtur, quam tamen geometricæ demonstratis opponere, fas esse negat. Etenim, datis duabus quibuslibet quantitibus, v. g. 12 & 6, sive $\frac{24}{2}$ & $\frac{24}{4}$, non solum tertia harmonice proportionalis minor, ($\frac{24}{6}$) facile reperiri, sed & progressio per infinitos terminos decrecentes ($\frac{24}{8}$, $\frac{24}{10}$, $\frac{24}{12}$ & ita porro) semper continuari potest; ex altera vero parte, per terminos majores, non potest; sequeretur enim in nostro exemplo statim $\frac{24}{0}$, quam fractionem, cum major esse deberet, quam 12, (ut re vera valorem habet infinite magnum,) æqualem nihilo Vir præclarus existimat. Hæc & quædam alia, quæ ad explicandam harmonicam proportionem spectant, duobus ille *Capitibus* persequitur, sub quorum finem hoc Problema solvendum commendat: *dati progressionis harmonice termino maximo & minimo, quemadmodum & numero terminorum, invenire summam terminorum omnium.* *Cepite tertio* de usu harmonice proportionalium agit. Ubi doctrinam superiorem, in mechanicis ad demonstrandam geometricam stateræ Danicæ divisionem, in dioptricis ad definiendos focos vitrorum meniscorum, porroque ad nonnulla problemata, quæ ope hyperbolæ intra asymptotos solvi solent, facili quadam & omnino probanda ratione applicat. Statera Danica, quam sua memoria apud ipsos Danos antiquatam, atque adhuc apud Suecos in usu esse, Autor commemorat, a statera Romana ita differt, ut in hac contrapondium, in illa hypomochlion, mobile sit. *AB* est scapus teres, in cuius altera extremitate est uncus *B*, ad sustinendas merces paratus, in altera contrapondium sive massa *C*, infuso plumbo gravis; hypomochlion mobile *E* constare funiculo & manubrio solet. Quæruntur scapi divisiones geometricæ, sive puncta *E, F, G*, ad quæ applicandum hypomochlion

TAB. VI
Fig. 2.

lion est, ut rerum in *B* suspensarum gravitates, facto æquilibrio, rite explorentur. Ostendit Autor, divisiones fieri debere secundum proportionem harmonicam, sive rectas *BA*, *BE*, *BF*, *BG*, (ubi notandum, *A* esse centrum gravitatis statæ vacuæ,) servare debere illam ipsam proportionem continuam. Ducatur igitur, sub quovis angulo, recta indefinita *A 15*, dividaturque in quocunque partes æquales. Harum partium tot tribuantur rectæ *BD*, parallelæ *A 15*, quot librarum est machina vacua, quinque verbi causa, si machina quinque librarum pondus habet. Denique ducantur rectæ *D 5*, *D 10*, *D 15*, quæ per puncta machinæ desiderata transibunt. Hæc enim est ipsa ratio, secundum proportionem harmonicam continuam, rectas quasque geometricè dividendi, sive, datis duabus rectis, sequentes vel medias harmonice proportionales inveniendi. Sed pergendum nobis est ad Cl. Autoris *Clavem Astronomiæ*, quæ ultimum in hoc *Volumine* locum occupat. Ejus *Partem primam* recensuimus in *Actis A. 1726 pag. 506*, in qua verbum se mutasse negat Autor, non quod persuasus sit, omnia esse certissima, sed quia in rebus adeo arduis, &, primaria principia si spectes, plane novis, nonnullos etiam novos suam habere pulchritudinem, vel certe ingenium prodere animum, existimat. Adjecit vero *Partem alteram*, in qua placitis suis primariis etiamnum insistens, multa retractat, corrigit, perficit, novisque considerationibus auget. Gaudere se proficitur, quod *Cel. Cassini* in *Comment. Acad. Scient. A. 1735* principia palmaria *Clavis Astronomiæ* sua facere dignatus sit. Ad causam gravitatis, quam antea in sola sua materia actuosa sive hermetica quæsit, nunc causam sociam addit, materiam magneticam, æqualibus viribus & celeritate ab utroque polo ad oppositum pergentem, atque adeo perniciosissimum materiæ hermeticæ flumen, quod ab occasu versus ortum fertur, ubique ad perpendicularum secantem, unde etiam luminis causam existere *Vir Clariss.* contendit. Errasse se fatetur, ubi statuit, sub polis, qui tanquam quiescentes considerantur, omnium planetarum æqualem esse vim gravitatis. In cujus principii locum nunc illud substituit, quod vires gravitatis circa planetarum

tarum superficies sint in subduplicata ratione distantiarum a Sole. Ex hoc & aliis suis placitis, variisque accuratis observationibus, demonstrat, Solis parallaxin horizontalem 9 scrupulos secundos non excedere; semidiametrum Telluris ad semidiametrum Jovis se habere, ut 1 ad 11.857, ad semidiametrum annuli Saturni, ut 1 ad 29.425, ad semidiametrum ipsius corporis Saturni, ut 1 ad 13.078, ad semidiametrum Solis, ut 1 ad 110.497, ad semidiametrum Veneris, ut 1 ad 1.3265, ad semidiametrum Lunæ, ut 10 ad 2.7893; mediocrem Telluris a Sole distantiam esse semidiametrorum terrestrium 23545; materiam hermeticam, spatio unius scrupuli secundi temporis, in æquatore terrestri, percurrere integrum milliare Germ. cum 87 partibus millesimis; in æquatore Veneris, itidem milliare unum cum 154 partibus millesimis; in æquatore Jovis, milliaria 5.651; in æquatore Saturni, milliaria 10.358; in æquatore Solis, milliaria 58.816. Omittimus, quæ præterea de revolutionibus Hermetum; de distantis Planetarum; de parallaxi Lunæ; de perpendiculo, scrupulum temporis secundum, simplici oscillatione in vacuo, metiente; de figura Telluris, in qua definienda novissimi labores Viri Cel. de *Maupertuis*, ejusque collegarum, in Lapponiam ea re missorum, vehementer probantur; ut & de aliis quibusdam rebus consideratu plane dignis, Autor noster commemorat; unumque illud paucis adhuc verbis notandum censemus, quod ad figuram vorticum cœlestium aliquatenus definiendam spectat; ubi scilicet docetur, globos molles & æquales, in acervo undique compressos, figuram induere debere dodecaedri, non illius quidem penitus regularis, quod duodecim pentagonis comprehendi constat, nullum forte in natura exemplum, nullum usum, habentis, sed alterius cujusdam, duodecim rhombis æqualibus circumclusi, in quibus diagonalis major ad minorem se habeat, ut latus quadrati ad ejus diagonium, sive ut 1 ad $\sqrt{2}$. Ex quo consequitur 1), ut 14 anguli existant solidi, quorum sex a quaternis planis acutis, graduum 70.5, & octo a ternis obtusis, graduum 109.5, conficiantur; 2) ut rhombos omnes sphaera inscripta medios attingat; 3) ut diagonalis rhombi

rhombi major æqualis sit diametro inscriptæ spheræ, minor semidiametro spheræ angulis acutis circumscriptæ, & ipsum latus semidiametro spheræ per angulos obtusos transeuntis; 4) ut cubus diagonalis majoris ad soliditatem totius dodecaedri eandem rationem habeat, quam habet ipsa diagonalis major ad minorem; denique, ut, plano per centrum transeunte, ubique dodecaedrum in duas fecetur partes omnino similes & æquales.

MEDITATIONES QUÆDAM DE SERIEBUS harmonicis & reciprocis, Autore G. F. R.

Cum differentia duarum quantitatum, a & b , ad differentiam duarum aliarum, c & d , se habet, ut factum priorum, ab , ad factum posteriorum, cd , proportio illarum quantitatum *harmonica* vocatur. Quæ ut inter tres quantitates, a , b , c , continua sit, debet differentia primi & secundi termini ad differentiam secundi & tertii se habere ut factum primi & secundi ad factum secundi & tertii, hoc est, ut ipsa prima quantitas ad tertiam: $a - b : b - c = ab : bc = a : c$. Denique, ut progressio sive series formetur harmonica, per plures terminos illam continuari proportionem debere, manifestum est. Serierum, perinde ut linearum curvarum, incredibilem existere varietatem, consideratu dignissimam, non ignorant juniores geometræ. Quos secutus etiam ipse, ante annos complures, nonnulla de his rebus medicata literis consignavi, partimque in *Supplementis Actorum Tom. IX Sect. VIII* exhibui. Ad quæ ut pauca nunc adjicerem de seriebus harmonicis & reciprocis, ea me moverunt, quæ ex Opere Cl. *Horrebowii* paulo ante sunt commemorata. Omnes series fieri reciproca intelliguntur, ubi earum singula membra, tanquam denominatores fractionum, ad constantem aliquem numeratorem applicantur.

Hinc $\frac{a}{b} \cdot \frac{a}{db} \cdot \frac{a}{a^2b} \cdot \frac{a}{d^3b}$ &c. est series geometrica reciproca; &

$\frac{a}{b} \cdot \frac{a}{b+d} \cdot \frac{a}{b+2d} \cdot \frac{a}{b+3d}$ &c. series arithmetica reciproca;

ca;

ca; & $\frac{a}{b \cdot b+d} \cdot \frac{a}{b+d \cdot b+2d} \cdot \frac{a}{b+2d \cdot b+3d}$ &c. series

trigonalis reciproca; & ita porro. Series geometricæ reciproca naturam servant serierum geometricarum; arithmeticae in harmonicas, & harmonicae in arithmeticas, mutantur, ita, ut harmonicae cum arithmetiis reciprocis, & arithmeticae cum har-

monicis reciprocis, omnino conveniant. Est enim $\frac{a}{b} = \frac{a}{b+d}$:

$$\frac{a}{b+d} - \frac{a}{b+2d} = \frac{ad}{b \cdot b+d} : \frac{ad}{b+d \cdot b+2d} = \frac{a}{b} : \frac{a}{b+2d} :$$

& unam profus eandemque necesse est reperiri quantitatem, & ad duas quasque datas, m & n , tertia proportionalis, sive secundum harmonicam, sive secundum eam rationem, quaeritur, quam arithmetica reciprocam dixi. Altero enim modo, quia $m - n : n - x = m : x$, & $mx - nx = mn - mx$, re-

peritur $x = \frac{mn}{2m - n}$; & altero modo, transformatis quan-

titatibus, m & n , in duas fractiones, quae numeratores habeant aequales, $\frac{mn}{n}$ & $\frac{mn}{m}$, eandem rursus sequi quantitatem

tertiam proportionalem, $\frac{mn}{2m - n}$, palam est. Ex quo non

difficuler licet perspicere, cum quo pacto inter duas datas quantitates, m & n , sive $\frac{mn}{n}$ & $\frac{mn}{m}$, mediae quotcunque

harmonicæ inveniendæ sint, applicando scilicet denominatores medios arithmeticos ad eundem numeratorem, cum qua ratione series harmonicæ per terminos quotcunque minores, per majores vero eo usque, continuari possit, dum denominator evanescat. Sunt enim, exempli causa, inter duas quantitates,

5 & 4, sive $\frac{4 \cdot 5}{4}$ & $\frac{4 \cdot 5}{5}$, sive $\frac{60}{12}$ & $\frac{60}{15}$, sive $\frac{80}{16}$ &

$\frac{80}{20}$, tres mediae, $\frac{80}{17} \cdot \frac{80}{18} \cdot \frac{80}{19}$, duæ mediae, $\frac{60}{13} \cdot \frac{60}{14}$

& termini, in serie harmonica post 5 & 4, sive $\frac{20}{4}$ & $\frac{20}{5}$,
 sequentes minores sunt, $\frac{20}{6}$. $\frac{20}{7}$. $\frac{20}{8}$ &c. majores, $\frac{20}{3}$.
 $\frac{20}{2}$. $\frac{20}{1}$; ubi progressio finitur. Nunc, ut ad alia pergam,

illud inprimis observo, ex seriebus harmonicis innumeras nasci series reciprocas, ad classes trigonalium, pyramidalium, & quæ sequuntur, adscribendas, quarum omnium summa, sive per infinitos terminos descendant, sive membris numero finitis constent, reperiri non difficulter possunt. Ex differentiis enim terminorum quorumque proximorum in serie harmonica *A* conficitur series trigonalis reciproca *B*: ex differentiis membrorum seriei *B* existit series pyramidalis reciproca *C*: ex differentiis membrorum seriei *C* fit series reciproca quarti gradus *D*; atque ita porro.

$$A. \frac{1}{b} \cdot \frac{1}{b+1} \cdot \frac{1}{b+2} \cdot \frac{1}{b+3} \cdot \frac{1}{b+4} \cdot \frac{1}{b+5} \text{ \&c.}$$

$$B. \frac{1}{b \cdot b+1} \cdot \frac{1}{b+1 \cdot b+2} \cdot \frac{1}{b+2 \cdot b+3} \cdot \frac{1}{b+3 \cdot b+4} \cdot \frac{1}{b+4 \cdot b+5} \text{ \&c.}$$

$$C. \frac{2}{b \cdot b+1 \cdot b+2} \cdot \frac{2}{b+1 \cdot b+2 \cdot b+3} \cdot \frac{2}{b+2 \cdot b+3 \cdot b+4} \cdot \frac{2}{b+3 \cdot b+4 \cdot b+5} \text{ \&c.}$$

$$D. \frac{6}{b \cdot b+1 \cdot b+2 \cdot b+3} \cdot \frac{6}{b+1 \dots b+4} \cdot \frac{6}{b+2 \dots b+5} \text{ \&c.}$$

Hinc summa totius seriei *B*, in infinitum continuatæ, æqualis est membro primo seriei *A* = $\frac{1}{b}$; summa seriei infinitæ *C*

æqua-

æqualis est primo membro seriei $B = \frac{1}{b^2 + b}$; summa seriei

infin. D est $\frac{2}{b \cdot b + 1 \cdot b + 2}$; summa 10 membrorum seriei B

convenit cum differentia, quæ est inter primum & undecimum membrum seriei A . Hinc summa seriei trigon. recipr. infinite, $\frac{1}{2} + \frac{1}{8} + \frac{1}{12} + \frac{1}{20} \&c.$ = dimidio seriei $1 + \frac{1}{4} + \frac{1}{8} + \frac{1}{16} \&c.$ = seriei geometr. infinite $\frac{1}{2} + \frac{1}{4} + \frac{1}{8} + \frac{1}{16} \&c.$ = 1; summa seriei pyramid. recipr. $\frac{1}{4} + \frac{1}{12} + \frac{1}{20} \&c.$ = parti tertie seriei $1 + \frac{1}{4} + \frac{1}{8} + \frac{1}{16} \&c.$ = seriei geometr. $\frac{1}{4} + \frac{1}{8} + \frac{1}{16} \&c.$ = $\frac{1}{4}$; summa seriei $\frac{1}{8} + \frac{1}{24} + \frac{1}{40} \&c.$ = parti quarta seriei $1 + \frac{1}{4} + \frac{1}{8} \&c.$ = seriei geometr. $\frac{1}{4} + \frac{1}{8} + \frac{1}{16} \&c.$ = $\frac{1}{4}$; & ita porro. Nempe, ut in ipsis seriebus figuratis series gradus cujusque c summatoria est seriei gradus proxime precedentis $c - 1$, ita in seriebus figuratis reciprocis series gradus cujusque c summatoria est seriei gradus proxime sequentis $c + 1$. Potest autem formatio harum serierum ex serie harmonica etiam alio modo concipi. Si enim series harmonica A in se ipsam, primo membro multatam, membratim ducitur, existit series reciproca secundi gradus, B . Quæ si rursus primo termino multata in seriem harmonicam, vel integra in seriem harmonicam, duobus primis membris truncatam, ducitur, fit series subdupla tertii gradus. Si vero istæ series, membris quocunque finitis truncatæ, in se ipsas, aliasve, isto modo ducuntur, series exsurgunt, non illæ quidem ipsæ figuratæ reciproce, sed ex figuratis tamen reciprocis compositæ, & ad eandem classem referendæ; de quibus nonnulla breviter monebo. Ducatur series harmon. A in seriem E , hoc est, in se ipsam, membris quocunque finitis m truncatam. Dico, seriem infinitam, hoc pacto procedentem, F , sive G , sive H , ex tot seriebus trigonalibus reciprocis, quot membra truncata fuerunt, constaram, ipsique summæ membrorum truncatorum, per m dividende, æqualem esse.

$$A. \frac{1}{b} \cdot \frac{1}{b+1} \frac{1}{b+2} \frac{1}{b+3} \frac{1}{b+4} \&c.$$

$$E. \frac{1}{b+m} \frac{1}{b+m+1} \frac{1}{b+m+2} \frac{1}{b+m+3} \frac{1}{b+m+4} \&c.$$

$$F. \frac{1}{b \cdot b+m} \cdot \frac{1}{b+1 \cdot b+m+1} \cdot \frac{1}{b+2 \cdot b+m+2} \cdot \frac{1}{b+3 \cdot b+m+3} \\ \frac{1}{b+4 \cdot b+m+4} \&c.$$

$$G. \frac{1}{b^2+bm} \frac{1}{(b+1)^2+(b+1)m} \frac{1}{(b+2)^2+(b+2)m} \\ \frac{1}{(b+3)^2+(b+3)m} \frac{1}{(b+4)^2+(b+4)m} \&c.$$

$$H. \frac{1}{(b+\frac{1}{2}m)^2 - \frac{1}{4}m^2} \frac{1}{(b+\frac{1}{2}m+1)^2 - \frac{1}{4}m^2} \\ \frac{1}{(b+\frac{1}{2}m+2)^2 - \frac{1}{4}m^2} \frac{1}{(b+\frac{1}{2}m+3)^2 - \frac{1}{4}m^2} \&c.$$

$$\text{Summa seriei infinitæ } F, \text{ five } G, \text{ five } H, = \left(\frac{1}{b} + \frac{1}{b+1} \dots \dots \right. \\ \left. + \frac{1}{b+m-1} \right) : m$$

Atque ita computari possunt series quævis infinitæ reciproæ, quarum denominatores sunt quadrata, alio quovis quadrato minore & constante diminuta. Si enim, exempli causâ, $m = 2$,

$$\& b = 1, \text{ fit series, } \frac{1}{2^2-1} + \frac{1}{3^2-1} + \frac{1}{4^2-1} + \frac{1}{5^2-1} \\ \&c. = \frac{1}{4} + \frac{1}{8} + \frac{1}{12} + \frac{1}{16} \&c. = \text{duabus seriebus trigon. re-} \\ \text{ciprocis, } \frac{1}{4} + \frac{1}{8} + \frac{1}{12} \&c. + \frac{1}{8} + \frac{1}{12} + \frac{1}{16} \&c. = \\ (1 + \frac{1}{2}) : 2 = \frac{3}{4}, \text{ ut princepsprehendit } Leibnitius. \text{ Si } m=4, \\ \& b = 1, \text{ conficitur series, } \frac{1}{3^2-2^2} + \frac{1}{4^2-2^2} + \frac{1}{5^2-2^2} \\ \&c. =$$

&c. = quatuor seriebus trigon. reciprocis, $\frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4}$
 &c. $+\frac{1}{5} + \frac{1}{6} + \frac{1}{7} + \frac{1}{8}$ &c. $+\frac{1}{9} + \frac{1}{10} + \frac{1}{11} + \frac{1}{12}$ &c. $+\frac{1}{13} + \frac{1}{14} + \frac{1}{15} + \frac{1}{16}$ &c.
 $\frac{1}{17} + \frac{1}{18} + \frac{1}{19} + \frac{1}{20}$ &c. $= (1 + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4}) : 4 = \frac{1}{3}$. Si m
 $= 1$, & $b = \frac{1}{2}$, existit series $\frac{1}{1-\frac{1}{2}} + \frac{1}{2^2-\frac{1}{4}} + \frac{1}{3^2-\frac{1}{9}}$

&c. = ipsi seriei trigon. reciproca, $\frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4}$ &c.
 Possunt hæc formulis exprimi magis generalibus; quibus ta-
 men ad præsens non opus esse arbitror. Unum addo, nume-
 rum m semper integrum postulari; ob eamque rem seriem $X =$

$$\frac{1}{1-\frac{1}{2}} + \frac{1}{2^2-\frac{1}{4}} + \frac{1}{3^2-\frac{1}{9}} \quad \&c. = \frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4}$$

&c. = octuplo seriei $\frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4}$ &c. ubi $b = \frac{1}{2}$ & m
 $= \frac{1}{2}$, methodo hæcenus expolita computari non posse. Cu-
 jus seriei si definire summam accurate liceret, vel si computa-
 tio membrorum, ex seriebus trigon. reciprocis alternatim sum-
 torum, in potestate esset; haberemus etiam summam seriei,
 pro dimensione circuli a *Leibnitio* inventæ, $Z = 1 - \frac{1}{2} + \frac{1}{4}$
 $- \frac{1}{8} + \frac{1}{16}$ &c. $= \frac{1}{2} + \frac{1}{4} + \frac{1}{8} + \frac{1}{16}$ &c. Constat enim hæc
 series membris alternatim sumtis ex serie trigon. reciproca,
 $\frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4} + \frac{1}{5} + \frac{1}{6} + \frac{1}{7} + \frac{1}{8}$ &c. estque $Z = 1 - \frac{1}{2} X$.

DIATRIBE ANTIQUARIO-JURIDICA INAUGURALIS, exhibens nonnullas de rebus mancipi, & nec mancipi, earumque mancipatione, conjecturas, quam pro consequendis summis in utroque Jure honoribus publicæ disquisitioni submittit GERARDUS MEERMAN, Leydensis.

Lugduni Batavorum, apud Danielem Cœtval, 1741, 4 maj.

Alph. 1 plag. 2.

Diu multumque JCrī desudarunt in explicando *de rebus mancipi, & nec mancipi*, argumento, densissimis profecto tenebris involuto. Varia hinc Opuscula, hoc nostro cumprimis ævo, prodierunt, quæ varias simul doctissimorum viro-
 rum conjecturas eam in rem complectuntur. Nullus tamen eorum

eorum Clarissimo Diatribes hujus Auctori ita satisfecit, ut, nihil amplius lucis rei difficillimæ opus esse, crederet. Cum igitur illustrando celebri non minus, quam obscuro, Fragmento, quod, ex *Papiniano* petitur, *Legem 77 D. de Div. Reg. Jur.* conficit, esset aliquo abhinc tempore intentus, ea occasione de rebus mancipi & nec mancipi præmissurus quædam; opella in dies adeo excrevis, ut facile prospiceret, ampli voluminis rem fore, si *Legem* hanc digne interpretari, omnesque ejusdem nodos solvere, conaretur. Nec tamen id *Dissertationis Academicæ* cancelli permittebant. Unde factum est, ut mutaret paulisper propositum, & quæ *Opusculo* destinata tantum pars erat, eam nunc separatim typis excudendam curaret, reliquis, quæ ad hanc *Legem* dici possunt, in tempus cominodius reservatis. Atque hæc ipsa pars liber ille est, quem jam indicamus. De eo autem non aliter sentire possumus, quam quod inter illa scripta, quæ Auctoribus suis laudi & ornamento sunt, summo numerari jure mereatur. Studuit sane *Consultissimus Meermannus* stili *Latini* elegantia, studuit in examinandis aliorum opinionibus modestia, studuit præstantissimorum scriptorum lectioni, & quæcunque chartis mandavit, non ausu effudit temerario, sed accurate potius diligenterque præmeditatus est. Dicit primum de origine vocis *mancipi*, variisque sententiis aliorum enarratis, *mancipi res pag. 11* sic definit, quod *illæ sint, quæ agricultura proprie inserviabant, & proinde, tanquam majoris momenti res, mancipatione abalienari poterant.* In eam interpretationem adductus est *Clariss. Auctor* loco *Ulpiani Fragm. Tit. XIX §. 1.* ubi, omnes mancipi rerum species ad agriculturam commode referri posse, arbitratur, ideoque singulas considerat, earumque in agricultura utilitatem ostendit. *Pag. 13* multa de re pecuaria, & cum discrimine, tum affinitate inter eam & agriculturam, disputat; *pag. 35* autem examinat argumenta, ob quæ *Bynkershokius*, Vir summus, in erudito *de rebus mancipi* libro *Cap. 7* ambiguus hæsit, num oves, capræ, & sues, perinde atque armenta, mancipi sint. *Pag. 37. seq.* disquiritur, an hæreditas & margaritæ rebus mancipi accenseri debeant, & cumprimis *Celeb. Conradi* opinio sub iudicium

dicium vocatur. *Pag. 62 seq.* copiosa non minus, quam elegans, instituitur disputatio, qua Consultissimus Autor contra *Bynkershæki* argumenta dubium reddere studet, quod liberi apud Romanos, ea ætate, qua vendi poterant, res mancipi fuerint. Tum *pag. 71 seq.* mancipationem cum mancipi, tum nec mancipi, rerum, vel domini transferendi causa, vel aliam in finem, celebratam, interpretari incipit, quod ut intelligi rectius queat, antea de domini divisione in bonitarium, quiritarium nudum, & quiritarium plenum, mentem explicat suam. *Pag. 77 seq.* contra receptam omnium interpretum sententiam asseritur, res sui juris a rebus mancipi diversas, easque inde dictas fuisse, quod privatorum juri ac dominio haud subjectæ, suæque quasi libertati relictæ fuerint. Porro Clariss. *Mecrmanus pag. 104 seq.* *Varronis* quendam locum, mirum in modum corruptum, de *L. L. Lib. VI pag. 82 edit. Dordr. anni 1619*, qui sic incipit: *Nexum Manilius scribit omne, quod per libram & as geritur, in quo sint mancipi &c.* ope *MSti* libri Bibliothecæ Leidenfis, aliorumque antiquissimorum Codicum, typis impressorum, fuscè atque insigniter emendat. *Pag. 110 seq.* de mancipationis (quam supra *pag. 101* actum esse legitimum dixerat, quo res mancipi solenniter tradebantur,) apud Romanos usu vario paulo uberius agit, insimulque *pag. 120 seq.* operam dat, ut quidam *Tullii* locus ad *Attic. Lib. V Epist. 1*, & verba præcipue: *Sunt aliquot satisfactiones secundum mancipium*, illustrentur. *Pag. 143* doctissimus Autor ad mancipationem rei nec mancipi progreditur, de qua, an ei locus esse possit, acerrima est inter *JCtos* controversia. Amplissimus *Bynkershækius de rebus mancipi Cap. 3*, neminem unquam probaturum esse, scribit, rem nec mancipi fuisse mancipio datam vel acceptam. Id ipsum autem probandi onus in hoc argumento sterili, & a nemine adhuc pertractato, suscepit Autor præstantissimus. Cumque mancipationis materia ex actibus legitimis multum lucis foretetur, *pag. 151* in eorum naturam inquirat; *pag. 157* de adjectione diei, vel conditionis; & *pag. 158 seq.* de solennibus, in mancipatione observatis, complura notatu digniora commemorat. Denique *pag. 180* tempora subjungit, quibus divisio

divisio in *mancipi*, & nec *mancipi*, res evanuerit, & pag. 188 in addendis nonnulla contra Cel. *Couardi* observationem *Parerger. Lib. II n. 1 de coemptionibus sacrorum interimendorum causa factis*, monet, sed illud, ut semper solet, modeste. Pauca hæc sufficiant de libro eleganter scripto. Rem omnem qui penitius introspicere voluerit, illi, ut legat & perpendat totum, autores nos suasoresque sumus. Quod restat, *Clariss. Meermano* tam egregium doctrinæ specimen læti hilaresque gratulamur; reipublicæ autem literariæ summum ab ejus industria ornamentum, amplissimosque fructus, auguramur.

LETTRE DE MR. MAHUDEL A MR. LE
Baron DE SCHMETTAU, &c.

hoc est,

*EPISTOLA MAHUDELII, DOCTORIS MEDICI
Facultatis Montis Pessulani, Socii Academiæ Regiæ In-
scriptionum atque elegantiorum literarum Parisiensis,
ad L. B. DE SCHMETTAU, Præfectum rei equestris
in aula Regis Prussorum, de Numo quodam Carthaginiæ
Africane, qui reperitur inter cimelia hujus Domini.*

Lutetiæ Parisiorum, 1741, 8 maj.

Plag. 1, Tab. æn. 1.

Non semper refert, quantæ liber aliquis sit molis, sed potius quantæ utilitatis. Hæc Epistola paucis paginis absolvitur; sed optimæ frugis est; si quidem antiquitates studiumque numorum veterum consideraveris. Tangit quippe illa numum perquam rarum Carthaginiæ Africanæ æneum. Cujus ex altera parte, circa duplex caput verba atque literæ conspiciuntur: ARISIO MVTVM BALRICO CF SVF, ex altera vero templum cum verbo VENERIS circa, & subter: KAR. Postremum hoc vocabulum locum indicare, dubio plane caret. Quod porro lingua est signatus Latina numus iste, dominationem Romanorum declarat. *Dio Cassius* indicat, quod Carthaginem de ruinis iterum excitavit *Julius Cæsar*, eoque coloniam deduxerit. Hinc, atque aliis ex rationibus, concluditur, imagines

gines non esse magistratum, sed Imperatorum. Eo in subsidium vocatur numus, a *Vaillantio* in Opere de Coloniae Numis representatus, cujus altera facies præ se fert C. I. C. XXXVI, quod *Vaillantius* interpretatur: *Colonia Julia Carthago*; altera vero capitis *Augusti* imaginem. Cujus rei causa adjicitur, quod & *Augustus* coloniam Carthaginem deduxerit; cum *Lepidus*, partem incolarum hujus urbis demens, videretur etiam privilegium coloniae abstulisse. Inde fortassis colligi posset, nostri numi imagines esse *Julii* atque *Augusti*. Cum vero, ad priorem quod attinet, maxima dissimilitudo intercedat; alteram *Marci Antonii* esse, conjicitur. Elicitur indidem, si tempus, quo cusus videatur numus, consideremus, annum forte U. C. 718 aut 719 posse nominari. Nomina, superius scripta, duorum magistratum esse, putatur, & quidem casu sexto posita, supplendo particulam *sub*. Pro *Arisio* legere mallet Noster *Cariso*, quippe quæ familia Consularis tunc sat celebris fuerit. *Mutum* quid significet, nihil adest hariolationis; *Balarico* autem alteri Duumviro nomen fuisse censetur. CF *Caji filium*, *SUF suffectum*, indicare dicitur, sive in locum alterius Duumviri, aut mortui, aut a munere digressi, substitutum. Ad templum *Veneris* quod attinet, quod altera numi facies sistit, observandum est, hujus Deæ præcipuos Carthaginenses fuisse cultores, quippe quorum filia puberes, ornatu, quantum possent, maximo comitæ, hoc templum ingrederentur, & ad cellulas propinquas deinde, venali corpore, dotem mererentur. Hinc & a *S. Augustino* in *Expos. Ps. 38* regnum *Veneris* hic collocatum. Eadem data occasione, alius numus Punicus, æri similiter impressus, paucissimis quidem verbis, & collato *Virgilii Lib. I Æneidos: Lucus in urbe fuit*, &c. explicatur. Exhibet ille altera facie militem, cui hasta in manu, & literas: *Carthago*; altera vero caput equinum, cum numero XXI.

Einleitung zur Schleswig-Holsteinischen Historie, v.
hoc est,

INTRODUCTIO IN HISTORIAM SLESVICO-
Uuuu Holsa-

Holsaticam, & quidem durante regimine stirpis Oldenburgicæ, etiamnum florentis, ad nostra usque tempora prolata, ex Scriptoribus & documentis ex parte ineditis eruta, variisque observationibus illustrata, Autore ADAMO HENRICO LACKMANNO.

Pars IV.

Hamburgi, apud B. Felgineri viduam & Bohnium, 1742, 8.

Alph. 2.

De singulis hujus Operis Sectionibus singulatim olim, ac de præcedente quidem *Parte* ejusdem *tertia* A. 1739 *Mens. Jun. P. II pag. 371 seq.* diximus. Non omitimus igitur, telam eandem persequi, cum nova nunc hujus laboris Sectio prodierit, in qua Cl. Autor illud historix filum, quod in eodem argumento ante hos duodecim annos deducere cœpit, ita persequitur, ut ex lege, sibi met imposita, vertente quovis triennio, novam subinde *Partem* legentium oculis subjiciat. Quo institutum Cl. Autoris generatim tendat, nova iterum commemoratione nostra haud egere existimamus, qui ex superiorum *Partium* recensione de eodem satis edoctos Lectores nostros confidimus; quos proinde id potius ex nobis requisituros persuasum habemus, quid vel novæ rei in continuata hac Operis *Parte* allatum sit, vel qua ex parte rationem tractandi, in prioribus specimenibus huc usque servatam, quodammodo immutandam Cl. Autor duxerit, pro præsentis quidem recensione instituto parafaciamus.

Quod igitur posterius illud, mutationem nempe in methodo tractandi factam, attinet, de eo ipse Autor monet in Præfatione, hoc, quicquid est, ad ordinem & nexum rerum commemoratarum potissimum redire; in his namque, quod temporis atque dierum connotatio nimis anxie quæsitæ, & in prioribus *Partibus* observata sit, hoc ab aliquibus notatum

tum esse, quod ille tradendi modus hoc incommodi post se traxerit, ut argumenta inter se connexa ita sapius discernpta & dilacerata, cum aliis vero, multum a se disjunctis, adeo subinde commixta sint, ut enata hinc confusio non potuerit non fastidium aliquod parere, quod inde legentium oculis & animis objectum sit. Hoc igitur vitio ne laboraret amplius hæc tractatio, se ad res cognatas magis respexisse, docet, materiasque adeo inter se coherentes uno nexu ac velut obtutu proposuisse, ita tamen, ut, quæ ad temporis locique notationem pertinent, in animadversione adjecta notare non omiserit. Quod vero ad notarum & observationum sarraginem spectat, quas Cl. Autor singulis paragraphis sive incisis subicere consuevit, licet & hæc nonnullis offensionibus fuerint, ut proinde eas vel prorsus eliminatas, vel parcius minimum adhibitas, voluerint, hæc quidem in re, ut adeo se attemperaret eorum desiderijs, non a se impetrare potuit; quin potius, ubi hæc via ac methodo necessariam subinde anacrisin, in qua tum rerum commemoratarum, tum fidei etiam scriptorum quorundam testimonijs adjiciendæ, rationem uberiores habere licuerit, exercere ipsi datum sit, majorem harum notarum & animadversionum usum putavit, quam ut temere eas abjiciendas statueret. Qua occasione & de binorum Suecicarum rerum Scriptorum, *Che-mnitii* & *Pufendorffii*, fide & autoritate, quantum quidem iisdem in causis ad statum Daniæ pertinentibus tribuendum sit, judicium suum cum multa circumspectione atque moderatione interponit, eos haud prorsus deferendos, nec fide etiam, si quidem eandem idoneis documentis probaverint, privandos, haud obscure præ se ferens. Huc usque de tractandi methodo, a Cl. Autore aliquantum mutata, indicium fecimus. De novarum rerum apparatu, in novo hoc *Volumine* exhibito, cum sigillatim referre haud liceat, aliqua, tum quod ad generalia, tum etiam quod ad specialia, delibasse sufficiet. Pro generali autem notitia hoc primum afferendum est, integrum illud historię filum, quousque id in hac *Parte quarta* deductum est, non ultra sex annos complecti, atque adeo intra A. 1637

usque ad A. 1635 terminari omnem rerum gestarum seriem, quam hac iterum vice integro hoc *Volume* exhibitam conspicimus. Eodem adhuc Principes, *Christianus IV*, Rex Daniæ, & *Friedericus III*, Gottorpiensium Dux, Cimbriæ suæ populos principali tum imperio adhuc rexerunt, ut adeo partis hujus tractatio cum præcedente arctiori nexu cohæreat, atque una eademque serie, quæ *Paragraphis 69* tantum distincta est, decurrat. Quod ad specialia, dum hæc hiltoriæ periodus belli illius tricennalis Germanici infaustam calamitatem attingit, atque hinc edifferenda fuerunt, quæ ex ejusdem eventibus ad provinciarum Slesvico-Holsaticarum statum propius spectarunt, vel quousque etiam in partem ejusdem venerunt laudati modo earundem rectores, inde colligitur, multa hic occurrere, quæ faciem præferant in rebus alioquin universam Germaniam attingentibus; atque, cum in hoc intervallo, positis per pacem Lubecensem a Rege Danorum armis, Suecorum in ipso bello gerendo vel præcipuæ partes fuerint, Rex contra Danorum, ad pacis consilia conversus, id potissimum egit, ut medium se & conciliatorem inter belligerantes præstaret; licet id ipsum eventu & sperato successu caruerit, Suecis ex diffidentia, quæ inter utramque gentem intercedit, Danorum arbitrio res suas committere nolentibus. Interim, cum singulis fere annis conciliandæ hujus pacis consilia, irrita licet subinde eventu, suscepta sint, amplam inde & diffusam Cl. Auctori nostro materiam enatam videmus, quam ita exposuit, ut ad causas simul respexerit, a quibus illud pependerit, quo minus in his destinatis speratam unquam contingere metam datum fuerit. In his autem cum haud postremo loco ponenda fuerit de Archi-præfulatu Bremensi contentio, atque Rex Daniæ id maxime ad res suas pertinere intelligeret, ut ne excideret spe illa succedendi, quæ filio ejus secundo genito, *Friederico*, pridem in eundem acquisita erat; a Cæsare vero & Catholicorum partibus in ipsis pacis Lubecensis conditionibus id actum esset, ut opimam hanc velut prædam eidem iterum eriperent; nunc autem & Sueci eidem huic offa jam ex aliquo tempore inhiarent; non potuit id negotium sine
multa

multa molitione perfici, ut spei & voti sui compos fieret Rex Daniæ & filius ejus; quod tamen illis obtigit, ubi post mortem Archi-præsulis, *Joannis Friderici*, e domo Holsato-Gottorpiensi, A. 1634 hæc sparta vacuefacta est, unde larga iterum seges subnata Autori nostro, de causis in hanc rem actis disferendi, ubi passim ad eandem suis locis devolvitur. Ut ex his velut speciminibus argumentorum ab Ill. Autore pertractatorum ratio atque dignitas quodammodo patefceret, egregiaque in iisdem illustrandis posita est opera; ita non minor ejus fuit cura & industria in rebus iis exponendis, quæ ad statum terrarum Cimbricarum domesticum propius spectant, quarumque in iisdem annis haud parcius proventus fuit. Sunt in illis, quæ ad causas civiles, sunt, quæ ad Ecclesiasticas, spectant; alia, in quibus a Daniæ Rege & Gottorpiensi Duce junctis unitisque viribus actum est; alia autem, ubi quisque sua seorsim spectavit commoda, sibi que peculiariter subjectorum curam gessit; quibus in rebus cum illud sit positum, quod ad singularem terrarum ac provinciarum Slesvico-Holsaticarum indolem & genium pertinet, harum quidem curatior expositio abs Cl. Autore suppeditata est, indeque haurienda notitia non poterit non illis grata & accepta esse, qui in talibus maximi momenti causis distinctas, quas habere cum maxime interest, ideas sibi acquirere student. Non vacat huc singulorum, quæ ubivis occurrunt, argumentorum transferre mentionem; illud saltem addimus, legis illius, quam supra diximus a Cl. Autore sibi ipsi scriptam, ut materiæ sibi cognatarum præcipuam rationem haberet, nec, quæ natura sua disjuncta sint, atque solo temporis nexu cohæreant, inter se commisceret, eundem fuisse observantissimum, ita quidem, ut ad singulos annos argumentorum, quæ ad forum civile & ecclesiasticum, statumque reipublicæ vel publicum, vel privatum, illustrium item atque aliarum personarum prosopographiam, spectant, æctior & propior inter se juncta notatio & commemoratio legatur.

De Appendice, quæ folia haud pauca implet, & vel quin-

tam libri partem conficit, id denique monendum est, exhiberi in ea spicilegium variarum accessionum, quibus *alteram* hujus Introductionis. *Partem* augere atque locupletare datum est Cl. Autori, qui & ad *Partem priorem* Supplementorum & emendationum hujusmodi majorem adhuc copiam & farraginem pollicetur, cujus posthac edendæ spem facit, cum id penes ipsum haud steterit, ut eandem cum *Volumine* præsentis conjungeret.

MEMOIRES POUR SERVIR A L' HISTOIRE &c.

hoc est,

COMMENTARII, HISTORIÆ CELEBERRIMORUM in re literaria Virorum inservientes. Accedunt catalogi librorum, a singulis editorum, de iisque judicia. Autore NICERONIO, Barnabita.

Tomus XLI.

Lutetiæ Parisiorum, apud Briassonum, 1740, 12.

Plag. 18, totidemque plag. dim.

Primum hic locum tenet *Renaucus Benedictus*, anno vitæ octogesimo septimo extinctus A. 1608 d. 7 Sept., cum esset Decanus & Cleri Parisiensis, & Facultatis Theologicæ in Academia. Gallicam ejus Bibliorum versionem cum Papa, tum Collegium Theologorum Parisiense, damnavit. Centum quinquaginta novem hic memorantur ejus scripta, (quorum multa majoris molis sunt,) pleraque illius ætatis Protestantibus opposita. Judicat autem Noster, eruditionem ejus per fuisse mediocrem, ac linguarum Græcæ Hebrææque notitia eum plane caruisse. Sequitur *Joannes Claudius Sommerius*, Ducis Lotharingæ Theologus, ornatus a Papa titulo Cæsariensis Archiepiscopi, m. 1737 d. 5 Oct. qui lingua Gallica *quatuor Tomis* (in 4) edidit *Historiam religionis dogmaticam*, & *sex Tomis* (in 3) *Historiam dogmaticam Sedis Apostolicæ*; quanquam posterius opus Theologis Galliæ, quippe ab enormi Papæ veneratione alienis, minus se probavit; *Augustinus Carolus Davi-*
lerius,

terius, Gallus, architectus summus, m. 1700; *Petrus Thomas*, dictus *du Fosse*, m. 1698 d. 4 Nov. Lutetia; *Phil. Hequetus*, Med. Prof. in Acad. Paris. m. 1727 d. 1 Aprilis; *Thomas Hearnius*, qui non solum multos priscaevi libros edidit suis ornatos annotationibus, sed complures etiam medii aevi Scriptores e suis produxit tenebris, in his *Actis* nostris studiosissime indicatos; *Gerhardus Titius*, Theologus Helmstadiensis, m. 1681 d. 7 Junii; *Joannes Ray*, Collega Societatis Regiae Londinensis, m. 1705; *Philippus Naudaeus*, Prof. Math. Berolinensis, m. 1729 Martio mense, multis etiam Theologicis libris clarus; *Claudius Cragetus*, Parisiensis, m. circa annum 1560; *Ludovicus Meigretus*, Lugdunensis Gallus, anno circiter 1558 vivis ereptus, postquam linguam in patriam traduxerat Autores Latinos haud paucos, praetereaque de vera Gallicae linguae orthographia multa scripserat; *Joannes Kirchmannus*, m. 1643 d. 20 Martii; de quo plura dicturus erat Notiter, si *Seelenii* nostri *Athenas Lubecenses* inspexisset; *Ferdinandus Ughellus*, Abbas Romanus, scriptor *Italiae sacrae*, m. 1670 d. 19 Maji; *Philippus Aleyerus*, Poeta Belgii obsecurus, m. 1637; *Petrus Kirstenius*, Prof. Med. Upsalensis, qui, multis editis libris Arabicis, Grammaticam quoque scripsit Arabicam, m. 1640 d. 8 Aprilis; *Georgius Kirstenius*, Medicus Ste-tinensis, m. 1660 d. 4 Martii; *Ludovicus Abellius*, Pastor Ecclesiae Parisinae, tum Episcopus in Gallia, scriptor ob religionis supereritionem nullo habitus in pretio, m. 1691 d. 4 Oct. anno aetatis duodenonagesimo; *Valerius Andreus*, m. 1590; *Patricius Adamsonus*, Archiepiscopus Sanctandreae, m. 1591; *Nicolaus Gurtlerus*, Theologus Reformatus, m. 1711 d. 28 Sept. de quo instar supplementi plura adjiciuntur infra pag. 386-401; *Joannes Bestius*, scriptor *Historiae Comitatus Pictaviensis*, m. 1644 d. 18 Maji; *Junianus Majus*, Seculi decimi quinti scriptor, ejus annus mortis laet. Fuit hic *Majus* (Italice *Maggio*) Neapoli natus familia equestris nobilitatis. In hac ipsa urbe literas docuit, permultosque imbuere Latinae linguae pericia, praeter alios plurimos nactus *Sannazarium* & *Alexandrum ab Alexandro* discipulos. Artis etiam onirocriticae consultus

sultus erat, ac unoquoque mane domus ipsius affluebat hominibus, quorum quisque enarrabat suum proximæ noctis somnium, ejusque interpretationem ab eo & petebat & accipiebat. Edidit *librum de priscorum verborum proprietate* A. 1475 fol. qui sæpius fuit recusus. Est autem Lexicon Latinum, cujus nulla mentio in *Morbofiani Polybistoris Capite de Latinis Lexicographis*, Edidit etiam A. 1476 *Plinii Epistolas*. Denique & suarum *Epistolarum* librum edidit, quem, a *Niceronio* nostro omissum, *Tribemius* laudat in *Catal. Script. Eccl. Cap. 879*. Legi de hoc homine dignus est *Balius*, qui copiose de eo disserit suo in *Dictionario*, simul exagitans vanitatem artis onirocriticæ. Nos hoc unum adjicimus, *Joannis Joviani Pontani* Carmen in hujus *Maji* tumulum extare in ejus *Operibus*, *Basileæ* A. 1556 editis, & quidem *Tom. IV pag. 3391*. Sequitur nunc in *Niceroniano* hoc *Tomo* vita *Marii Æquicole*, m. 1524; *Francisci Grimauderi*, JCTi, m. 1580 d. 20 Augusti; *Matthæi Gribaldi*, m. 1564 mense Septembri; *Melchioris Adami*, m. 1622; *Adriani Barlandi*, Professoris Lovaniensis, m. 1542; *Basilii Zanchii*, Bibliothecæ Vaticanæ custodis, m. 1560; *Ludovici Maracci*, Papæ *Innocentii XI* Confessionarii, m. 1700 d. 5 Febr. ætatis anno octogesimo octavo; *Joannis Jonstoni*, Medici, m. 1675 d. 8 Junii; *M. Antonii Majoragii*, m. 1555 d. 4 Aprilis; *Virgilio Matvezzi*, m. 1654 d. 11 Augusti; *Cornelii a Lapide*, m. 1637 d. 12 Martii; *Joannis Henrici Alstedii*, m. 1638; *Theophili Bracheti de la Milletiere*, m. 1665 mense Majo. Observat hic Noster, *Balii* de hoc viro in *Dictionario* narrationem esse errorum refertissimam. Ipsemet vero plura dare potuisset, si inspexisset *Corpus Synodorum nationalem, a Reformatis in Gallia habitarum*, A. 1710 editum. Ibi enim *Tom. II pag. 580 seq. & pag. 683 seq.* memoratu maxime digna de eo reperiuntur, ac simul indicatur, ab Ecclesia Reformatata eum fuisse excommunicatum. Succedit vita *Francisci Pona*, Medici, & Imp. *Ferdinandi III* Historiographi, m. 1652; *Felini Sandei*, JCTi Italix, postea Episcopi Luccensis, m. 1503; *Latini Latinii*, m. 1593 d. 21 Januarii; *Hugolini Martelli*, m. 1593; *Isaaci Abrabanelis*, m. 1508, de cujus vita & libris uberiora

uberiora prolaturus erat Noster, si *Jo. Henrici Maji*, filii, Dissertationem de Vita scriptisque *Abrabanelis* in manibus habuisset, vel *Wolfii Bibliothecam Hebræam*, ubi pag. 627 641 præcipua mentione digna exhibentur. *Reinhardi* quoque *Bavii*, circa annum 1631 defuncti, quæ proxime sequitur, vita locupletari potest e *Gundlingii Otis*, quorum quippe primo in Tomo singularis, eaque elaboratissima, Dissertatio de vita ejus scriptisque reperitur. Superfunt in *Niceroniano* hoc Tomo tres vitæ, *Dominici Macri*, m. 1672 d. 4 Martii; *Joannis de la Gessée*, m. 1584; & *Laurentii Bankii*, m. 1662 d. 13 Octobris. Nec id ingratum cognita fuerit Lectoribus nostris, Tomo huic subnexum esse Indicem alphabeticum Autorum illorum omnium, quorum vitæ in *XLI Niceronii Tomis* descriptæ exstant.

ΜΥΘΩΝ ΑΙΣΩΠΕΙΩΝ ΣΥΝΑΓΩΓΗ. *FABULARUM Æsopicarum Collectio, quotquot Græce reperiuntur. Accedit interpretatio Latina. Exemplar Oxoniense de A. 1718 emendavit, vitam Æsopi, Latinitate donatam, adjecit, ac præfatus est,*
JO. GOTTFR. HAUPTMANN, A. M.

& ill. Ruth. Conr.

Lipsiæ, impensis Joannis Christiani Martini, 1741, 8 maj.

Alph. 1 plag. 2, Fig. æn. 1.

Duo sunt, quæ ad hanc editionem nova præsertim accesserunt: Præfatio, & Latina vitæ *Æsopicæ*, animadversionibus aucta, conversio. In Præfatione nomen imprimis, divisio, atque utilitas, fabularum strictim breviterque tractantur. Nomen ipsum a fando derivat *M. Ter. Varro*. Ita proprie quidem qualemcunque sermonem indicat; qua significatione adhibuerunt antiquiores non pauci. Deinde vero sigillatim ad vulgi sermonem, vel etiam rumorem, detrudebatur. Denique, cum in eo, quod vulgo fertur, falsi non parum inveniantur, narrationibus quoque fictis tribui solebat. Hoc itaque

Xxx x

que

que sensu fabula dici poterit expositio rei fictæ, ad delectationem hominum atque utilitatem maxime comparata. Commode vero dividuntur fabulæ, primo quidem, ratione cum argumenti, tum stili, in sublimes atque inferiores. Ad illas pertinent carmina heros, tragœdiæ, conscriptiones statum publicum spectantes, &c. ad inferiores autem comœdiæ & apologi. Deinde vero, illorum ratione, quæ subjecta dicuntur, sunt vel rationales, λογικαί, ut in μυθολογίαις, tragœdiis, &c. vel morales, ubi bruta resque ratione carentes sistuntur, vel μικταί. Fabulæ admirationis non parum continent, quæ cum attentionem ac voluptatem pariat, nullum dubium est, quin animos imprimis molles mirifice capiant, ac veris etiam historiis palmam delectationis præripiant, quippe quæ, ad veritatis legem adstrictæ, majorem præ se ferunt severitatem. Præterea non paucas Philosophorum doctrinas suaviter instillant, atque mores etiam, quasi per ludum, emendant. Immo vero in civili etiam prudentia plurimum utilitatis habet fabularum cognitio. Fructum pariter ferunt apologi ad copiam utriusque linguæ ac scriptorum intelligentiam comparandam, idque non solum propter vocabula, quæ rarius alioquin occurrunt, & propter simplicem locutionum elegantiam, verum etiam quia sapius ad easdem respiciunt optinæ notæ scriptores; cujus rei tot exempla proferre possemus, ut vix liber sufficeret iisdem commemorandis; & quoniam, ut alia taceamus, proverbia hinc ortum traxere quamplurima. Easdem ob rationes, qui sanctissimarum literarum delectantur studiis, habebunt, cur fabulas imprimis peruestigent, ut hoc etiam modo ad allegorias, ibidem frequentatas, animus mature accommodetur. Neque minor est, quam in eloquentia, tam libera, quam ligata, præstant, utilitas. Sed hæc fusius exponenda alii temporis servat Doctiss. Editor, propius jam ad institutum accedens. *Judsonianam* hanc editionem, cum non diu vulgata esset, repetere studebat Cel. *Freytagius*. Cum autem aliis ille negotiis avocaretur, Nostro illam operam tradidit. Hic antea quidem in animo habebat, aut peculiarem de fabula & fabularum scriptoribus Dissertationem, aut *Bentleji* de fabulis

Æsopi-

Æsopici scriptum, in Latinam ex Anglica linguam convertum, & annotationibus illustratum, adjicere; imprimis vero notis etiam criticis & moralibus *Æsopi* verbis consulere, atque interpretationem reddere adstrictiorem. Quoniam vero bibliopola *Hudsonianam* tantum editionem repetere volebat, consilium ipse suum vel omnino mutavit, vel in aliud certe tempus rejecit, præsertim cum liberior illa interpretatio juventuti scholasticæ multis de causis convenientior videretur. Eandem ob rationem, ut nimirum esset, quibus in convertendo ex Græca in Latinam linguam juvenes exercerentur, non testimonia solum, quæ spectant *Æsopum*, accuratius saltem indicata, atque aliis nonnullis suppleta, non aditis verbis Latinis, reliquit; sed & ipse quadam partim Latina & Germanica partim etiam Græca, testimonia, Præfationem illustrantia, illi subjunxit. Nos autem, ut & de vita *Æsopica* nonnihil dicamus, animadvertimus, eandem illam Gallice scriptam esse a *Claudio Casp. Bacheto de Meziriac*, nobili apud Gallos qui loca natus erat, indidemque derivatam a *Sallengro* in Commentationes, quas edidit, literarias. Plurimæ sunt, quas Cl. Editor versioni suæ subjecit, animadversiones; quarum vel primæ nonnihil, exempli loco, lustrabimus. Quæritur hic autem omnia, num *Æsopus* in rerum natura fuerit. Negare id videntur *Lutherus*, sibi tamen ipse non constans, *Jo. Marthejus*, *Jo. Mich. Dilberus*, *Joach. Camerarius*, & hoc demum Seculo, *Cel. Heumannus*. At, qui tot testimonia scriptorum, *Æsopi* temporibus proximorum; qui consensum in præcipuis de vita narrationibus, expenderit; qui denique, neminem ex omni antiquitate, vivum aliquando *Æsopum*, negasse, cogitaverit, vix dubium aliquod concipere valebit. Sunt etiam, qui *Assaphum* sub *Æsopi* persona quæsierunt. Nec desunt, qui, haud omnino sine causa, Turcas eundem *Loctani* sub titulo venerari, existimaverunt, & quæ sunt vel hujus annotationis alla. Allegationes variorum scriptorum tam in Præfatione, quam Notis istis, cumulantur, ut scilicet habeant lectores, quo, cum brevis hic prima lex sit, plura legendo sibi suam sedare queant.

716 NOVA ACTA ERUDITORUM
NOVA LITERARIA.

Dignissimum & nostra, & eorum omnium, qui literarum elegantiorum pretium æstimare recte didicerunt, laude & commendatione publica consilium haud ita pridem suscepit politissimæ doctrinæ Vir, *Benno Caspar Haurisius*, Sereniss. Electoris Palatini Consiliarius Aulicus, & in Academia Heidelbergensi Historiarum Professor Publicus, *Scriptores Historiæ Romanæ veteres Latinos*, quicumque sunt doctissimorum opera virorum ab injuria ætatis vindicati, & a *Friderico* olim *Sylburgio* in unum tanquam theatrum congregati, nec eos nudos aut inornatos, sed magna copia Numismatum, Statuarum, Inscriptionum, & similis generis antiquitatum, doctissimisque *Notis Perill. Caroli Henrici de Klettenberg & Wildeck*, quibus Historia antiqua resque numismatica mirificè illustrantur, condecoratos, varioque alio doctrinæ elegantioris apparatu instructos, conjunctim *tribus* majoris formæ *Voluminibus* edentur. De quo, non opus est, pluribus hic verbis a nobis commemorari; quandoquidem ipsa præstantissimo *Haurisio* visum est de omni hoc instituto certiores facere doctos homines copiosa, nec ineleganti, Epistola, cum ipso laboris universi Specimine typis exscripta, quam, si qui sunt, qui Operis splendidissimi rationem plenius cognoscere cupiunt, horum gratia denuo hic exscribendam curavimus. Est autem hæc:

Editor Lectori S. Quanto Historia Romana reliquarum gentium, earumque vel rerum publicarum, vel regnorum, præstat historiis, tanto amplius Historiarum cultoribus illa bis anteponenda & addiscenda erit. Originem enim si regni Romani in principio curiosius consideramus, ubi prodigiosorem, ubi tenuiorem, ad maxima tamen primo momento vergentem, reperiemus? Incrementum sub primorum, numero tantum septem, Regum alia Regna, sub tot stirpibus, vix par experta sunt. Mutationem, ob breve post initium regni attentatam & inopinatum tyrannidem, subitanæam regni in rempublicam, non nisi novæ hæc Historia Romana tradunt. Sub statu reipublicæ res Romana tam multitudine, quam magnitudine, belli & pacis temporibus,

poribus, (quæ postrema tamen non adeo frequentia, eo quod
 bella exceperint bella,) tam conspicua exstiterunt, ut omnium
 rerum publicarum, ante Romane initium, & adhuc sub ipsa,
 (nondum enim periit,) res gestas Romanis nulla ratione equi-
 parare valeamus. Eo progressæ sunt, ut summi in orbe regni
 tertii, si ex principio sacro judicare licet, præripuerit palmam,
 dederitque initium quarto, sub finem sæculi finem experturo.
 Non fabulosa prædicamus, quandoquidem id quoque ad glo-
 riam Romane gentis accedit, quod Auctores illi sint, quales
 nulli genti copiosiores, elegantiores, accuratiores, adeo insignes,
 ut omnibus gentibus non solum instituenda juventuti, verum
 etiam Heroibus inserviant ad imitanda facta. Documento est,
 quod gentes omnes certaverint hactenus de conservandis illis
 Auctoribus adornandisque, & singulatim, & certis Collectionibus.
 Priores prostant copiosissime, cum rarius reperiantur posteriores.
 Nobis quantum constat, perfectiores vulgatæ sunt Francosfurti
 annis 1588 & 1590 fol. Tomis tribus a Friderico Sylburgio, sub
 titulo Scriptorum Historiæ Augustæ, & sub eadem inscri-
 ptione cum Notis Jani Gruteri Hanoviae A. 1611, fol. Perfectissi-
 ma nobis videtur, quam excudit Petrus de la Rouiere A. 1609
 Aureliae Allobrogum, fol. & quam vidua ejus & heredes Geneva
 A. 1623 iterato ediderunt, sed Samuel Chouet ibidem A. 1652
 fol. duobus Tomis repetiit, sub rubro: Historiæ Romanæ Scri-
 ptores Latini veteres, qui exstant, omnes. Forte in manus no-
 stras incidit editio altera, qua continet Tomo I Titum Li-
 vium; Messalam Corvinum; L. Florum; Vollejum Paterculum;
 Sex. Aurelium Victorem, de Romana gentis origine, de Viris
 illustribus, de Imperatoribus, cum ejusdem Epitome; Sex. Ru-
 sum, seu Festum Rufum; Eutropium; Pauli Diaconi de Gestis
 Romanorum ad Eutropii Historiam additiones; Aur. Cassiodori
 Chronicon; Jornandem de regnorum ac temporum successione;
 C. Jul. Casaris Commentarius; C. Crisp. Sullustium; Tomo II
 Suetonium Tranquillum; Corn. Tacitum; Ælium Spartianum;
 Julium Capitolinum; Vulcatium Gallicanum; Ælium Lampri-
 dium; Trebellium Pollionem; Flavium Vopiscum; Ammianum
 Marcellinum; Justinum. Adjecti sunt & recentiores Historiæ

continuatores: Pomponius Latus; Jo. Baptista Egnatius; ad Joan. Bapt. Egnatium additio, Caesarum Historiam continens a Maximiliano I usque ad Rudolphum II; Andrea Alciati de Magistratibus, civitibusque & militaribus officiis, libellus; P. Victoris de Regionibus Urbis Romae libellus; de origine, forma, & magnitudine, Urbis Romae libellus. Non nudi comparebant hi Scriptores, ut in reliquis editionibus, sed ornati Notis Historicis, Geographicis, Numismatibus, Statuis, Inscriptionibus, plurimisque antiquitatibus ultra bis mille. Quantum Numismata, Statuae, & Antiquitates Romanorum, apud hodiernas valeant gentes, loquuntur frequentia ubicunque locorum pretiosissima Numismatophylacia & Antiquaria Imperatorum, Regum, Principum, aliorumque Magnatum. Horum conservatio memoriam Romae conservabit eternam. In hoc desudarunt scriptores, quos Historia literaria Nummarios nuncupat. Alii enim Imperatorum, alii Consulum, alii Familiarum Romanarum, conquiverunt & aurea, & argentea, & aerea Numismata, publici etiam juris fecerunt, sed particulatim, nec applicando ad Historias, a Scripioribus Historiae Romanae recensitas. Novi quid omnino in editione, quam laudamus, contigit. Enimvero Perillustis Dominus de Klettenberg & Wildeck, S. S. Sepulchri Hierosolymitani Ordinis Eques, Serenissimique Principis Frederici, Hassiae Landgravii, supremus Venatorum Saltuariorumque Magister, non Numismata & reliqua recensuit simpliciter, sed locis debitis illustrandi gratia apposuit, calamo accuratissime & artificiosissime ea designando. Exempli loco (intelligit hic Autor Specimen Operis, una cum hac Epistola publicatum,) Tab. I Numismatum, ad verba Praefationis Livianae: Primordio Urbis &c. Romanae gentis origines, primitivaeque patria Numina, exhibet. Sic pariter verba Capitis I, Ducem Aeneam filium Anchisae & Veneris, &c. illustrabit nummus Julii Caesaris Tab. II num. 3; in cujus aversa Aeneas Anchisem & Palladium gestat, quo demonstratur, Aeneam ab Anchise & Venere, Caesarem ab Aenea, genus ducere. Facile ex hoc specimine eruditus judicabit urbis, quid expectandum in nova hac editione Scriptorum Historiae Romanae. Addimus, quae & nos sumus praestituri. Primo inserp-

terpunctiones curabimus, praeuntibus approbatissimis Scriptorum singulis editionibus; deinde sufficiemus textui variantes lectiones; margini adjiciemus notas non solum concisas, summam rerum narratarum explicantes, sed & Chronologiam. Notis ipsis Domini de Klettenberg subjungemus, quos omisit, Nummarios, ut fecimus ad Tab. II num. 3, allegando Mediobarbi Numism. Imper. Rom. pag. 3, & Guillaume du Choul Discours sur la Religion des anciens Romains pag. 123. Ut denique editio nostra ornatior sit, & ad palatum omnium accommodata, praefigimus singulis Libris scite sculptas Icones, omnes antiquitates Romanorum representaturas, quarum explicationem, ut & literarum initialium, cujusque Tomi Praefatio continebit. Ad hunc laborem pretiosum jam sumus accincti, sub prelo sudat Opus, & Chalcographi artificiosa manus indefesse laborat, quo futurum credo, praefixo termino ut Opus tam utile ad finem perducatur & absolvatur. Comparebit etenim, assistente divini Numinis gratia, Tomus I futuris nundinis hyemalibus Lipsiensibus annis 1743, Tomus II nundinis Francofurtensibus vernalibus, & III autumnalibus iisdem, eodemque anno. Ut vero labor eo alacrius procedat, rogatos volumus veros tanti Operis aestimatores, tempestriva ut succurrant subscriptione & solutione pretii singulorum Tomorum, quindecim nimirum florenorum. Mensem Decembrem praesentis anni praefigimus subscriptionis terminum ultimum, intra quem literas quilibet ad Editorem dirigat, ut ab illo locum, ubi solutionem praestare, & absolutos Tomos repetere possit, resciscat. Qui morabuntur, exemplar impetrabunt nullum. Firmiter quippe constituimus, ut subscribentes, quorum numerus impraesentiarum in dies augeatur, soli babeant. Dab. Heidelbergae, Calendis Maji A. O. R. MDCCXLII.

Bona, Lector, & utilia literis, quin iis ipsis Scriptoribus, qui nunc denuo sunt prodituri, valde honorifica, promitti vides; quibus adeo perficiendis ut parem esse liceat Doctiff. Haurisio, hoc est, ut mature tot inveniat emtores, quot sustinendis tanti Operis sumtibus sufficiant, nobiscum, si aequitatem amas, ex animo precabere. Unum hoc addimus, in-


scriptio-

scriptionem Operis hanc fore: *Scriptores Historiæ Romanæ Latini veteres, qui exstant, omnes, Notis variis illustrati, a Carolo Henrico de Klettenberg & Wildeck, e Bibliotheca Perillustri & Generosi Domini Bernhardi Francisci S. R. I. Liberi Baronis de Hallberg, Dynastæ in Geistorf, &c. Serenissimi Electoris Palatini Camerarii, Regiminis Electoralis Consiliarii, nec non Satrapiæ Boxbergensis supremi Præsfecti, in unum redacti corpus, tribus Tomis distinctum, edente & accurante Bennone Casparo Haurisio, Serenissimi Electoris Palatini Consilii Aulici Consiliario, & in antiquissima Universitate Heidelbergensi Historiarum P. P. & O. Cum Figuris Æneis. Heidelbergæ, impensis Editoris. Ex Typographeo Academico, per Jo. Jacobum Haener, A. 1742.*


Prodiit nuper Tomi V Supplementorum ad Nova hæc Acta Sectio tertia, qua qui recensentur, hi sunt libri: 1) *Caroli Neapolis Anaptyxis ad Fastos Ovidianos, cum additamentis Jo. Felicis Palefii.* Panormi, 1735, fol. 2) *A general History of the world, by Thomas Brett, L. L. D.* at London, 1732, 8; 3) *Antirrheticon, seu Confutatio annotationum Jo. Koblii ad geminos S. Ephræmi de S. Coena Sermones.* Romæ, 1740, 8; 4) *Guil. Panw, J.Cri, Varia Juris Civilis capita.* Editio secunda, emendatior. Halæ, 1737, 8; 5) *Traité du bon Chyle. Tomes II.* à Paris, 1735, 12; 6) *G. J. s' Gravesande Introductio ad Philosphiam, Metaphysicam & Logicam continens.* Leidæ, 1736, 8; 7) *Caroli de Aquino, Soc. Jesu, Vocabularium Architecturæ ædificatoriæ.* Romæ, 1734, 4; 8) *Varie Celeberrimorum Medicorum Observationes, quibus multa loca N. Testamenti docte illustrantur, collectæ a D. Georg. Getzio, Med. Practico. Fasciculus I.* Altorfii, 1740, 8; 9) *L' Art de bien enseigner à lire, &c.* à Paris, 1734, 12; 10) *Nouvelle methode raisonnée pour apprendre facilement la langue Francoise, par Mr. François Barin.* à Amsterdam, 1738, 8; 10) *Friedrich Christian Lessers Besondere Müntzen, &c.* Franckfurt und Leipzig, 1739, 8; 11) *Ej. Typographia jubilans, das ist, kurtzgefaßte Historie der Buchdruckerey.* Leipzig, 1740, 8; 12) *Christ. Steiffii Historia Jubilæorum scholasticorum, in Gymnasio Wratislaviensi Eliabetano publice celebratorum.* Wratislaviæ, 1737, 8; 13) *Jonas Kortens Reise nach dem weiland gelobten Lande.* Altona, 1741, 8; 14) *D. Christiani Bened. Michaelis Syriasmus, id est, Grammatica linguæ Syriacæ.* Halæ, 1741, 4.

Docendus est Lector, numum illum, de quo diximus in hoc Mense pag. 705, expressum esse in *Tabula aeneæ*, huic Mense adjectæ, *Figura tertio.*





MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1742

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 613 K 4⁰



INDEX AUTORUM,

quorum Libri, aut Inventa, in hoc
Volumine recensentur.

I. Libri Theologici, & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

A nonymi Paraphrasis & Nota in Epistolam S. Jacobi, ad modum Lockii.	7
Averanii (Josephi) Lectiones in historiam perpeffionum Domini nostri Jesu Christi.	15
Barattèrii (Jo. Phil.) Disquisitio chronologica de Successione antiquissima Episcoporum Romanorum inde a Petro usque ad Victorem.	56
Carattini (Th. Gundisalvi) Philosophica Christiani Wolffii, aliorumque recentiorum, Du-Vigierii præsertim & Leibnitii, de origine & præexistentia animarum, theologicè discussa atque excussa, sententia.	45
Casperii (Jo.) Αδελφιδέμωνος Φιλοσοφίας Vindicta adversus syncopantas Juvavienses.	129
Ten Cate (Gerhardi) Dissertatio, qua dubiorum & difficultium quorundam e Prophetis locorum explicatio, Evangelicæ historiæ congruens, traditur.	111
a Cattenburgh (Adriani) Syntagma sapientiæ Mosaicæ.	393
Cellierii (Remigii) Historia generalis Autorum sacrorum & Ecclesiasticorum. Tomus V.	673
Deurhoff (Guil.) Imago patientiæ, divinis afflictionibus probata, representata in expositione libri Jobi.	587
Gausseni (Steph.) Diss. de Ratione concionandi, cum Notis Romani Telleri.	476
de Lambertinis (Prosperi) de Servorum Dei beatificatione, & Beatorum Canonizatione, Liber quartus & ultimus.	145
Lelandi (Jo.) Divina Veteris & Novi Testamenti auctoritas asserta.	343

I N D E X

- Nicolai (Jo.) *Libellus de Luctu Christianorum, seu de ritibus, ad sepulturam pertinentibus, ex Biblioth. Sigeb. Havercampi.* 422
- Offerhaus (Leonardi) *Diss. de Vita Salvatoris publica & privata.* 115
- Orosii (Pauli) *adversus paganos Historiarum Libri VII, & Apologeticus contra Pelagium de arbitrii libertate, ex recens. Sigeb. Havercampi.* 481
- Rambachii (Jo. Jac.) *Solida & pietatis studio serviens Epistola Pauli ad Hebraeos declaratio, edita a D. Ern. Frid. Neubauero.* 588
- Saurini *Sermones historici, critici, theologici, & morales, de eva-
ngelii maxime memorabilibus Vet. & Novi Testamenti, conti-
nuati opera Roquesi. Tomus VI & VII.* 534
- Schelhornii (Jo. Georg.) *Amoenitates Historiae ecclesiasticae & li-
terariae. Tomus II.* 471
- Telleri (Romani) *Institutiones Theologiae homileticae.* 478
- Waddingi (Lucae) *Annales Minorum, seu trium Ordinum a S.
Francisco institutorum. Editio secunda, locupletior & accu-
ratior, opera Josephi Mariae Fonseca ab Ebor. Tomus XIII.* 337
Tomus XIV.
- Wesselingii (Petri) *Diss. de Evangelii jussu Imp. Anastasii non
emendatis, in Vistolam Turunensem.* 454
- Zornii (Petri) *Historia Eucharistiae infantium, ex antiquitati-
bus Ecclesiarum illustrata.* 425

II. Libri Juridici.

- Ayzeri (Georg. Henr.) *Commentatio Juris ecclesiastici publici de
Jure primariorum precum.* 174
- Barbeyracii (Jo.) *Historia pactorum antiquorum, seu Notitia hi-
storico-chronologica pactorum & foederum, in Autoribus Gra-
ecis ac Latinis obviorum. Tomi II.* 577
- Böckelmanni (Jo. Frid.) *Tractatus posthumus de Differentiis
Juris*

A U T O R U M.

<i>Juris Civilis, Canonici, & hodierni, cum Præfat. Cornelii van Eck, & Notis Everh. Ottonis.</i>	172
Brensmanni (Henr.) <i>Epistola de Consulibus, quorum in Pandectis sit mentio.</i>	263
Conradi (Franc. Car.) <i>Paregorum Libri IV.</i>	370
Haltzi (Joach.) <i>Differentia Juris Civilis & Canonici.</i>	172
van Idsinga (S. H.) <i>Variorum Juris Civilis Liber singularis.</i>	205
Jugleri (Jo. Frid.) <i>de Nundinatione feravorum apud veteres Liber singularis historico-juridicus.</i>	95
Marckarti (Jo. Guil.) <i>Probabilia receptarum lectionum Juris Civilis.</i>	398
Meermannii (Gerardi) <i>Diatrise antiquario-juridica, exhibens nonnullas de rebus mancipi, & nec mancipi, earumque mancipatione, conjecturas.</i>	701
Moseri (Jo. Jacobi) <i>Systema Juris publici Germanici. Pars I & II.</i>	682
Fagenstecheri (Jo. F. W.) <i>Selectæ Juris Quæstiones.</i>	602

III. Libri Medici & Physici.

<i>Anonymi Tulipa, in conditoris sui gloriam descripta.</i>	566
2 Brunn (Jo. Conr.) <i>Diss. medica de Methodo rura & facili, citra salivationem curandi luen veneream.</i>	463
Cassebohm (Jo. Frid.) <i>Methodus secandi, & contemplandi corporis humani musculos.</i>	573
de Courcelles (Dav.) <i>Icones musculorum plantæ pedis, eorumque descriptio.</i>	466
Guilielmi (Dominici) <i>de Natura fluminum Tractatus physico-mathematicus. Editio nova, cum annotationibus Eustachii Manfredi.</i>	688
Hebenstreit (Jo. Ern.) <i>de Vermibus, Anatomicorum ministris, Commentatio.</i>	181
Hoadley (Benj.) <i>Prælectiones tres de Organis respirationis.</i>	81
Horrebowii (Petri) <i>Operum mathematico-physicorum Tomus I.</i>	691

I N D E X

Meia (Jac. Theodori) Historia piscium naturalis promovenda	
Missus I.	609
Missus II.	611
Missus III.	614
Morgagni (Jo. Bapt.) Epistola Anatomica XVIII.	211
van Musschenbroek (Petr.) Tentamen Physices, ex Belgico sermone in Gallicum translatum a Petro Massuet. Tomi II.	515
Muys (Wyeri Guil.) Investigatio fabricæ, quæ in partibus, musculis componentibus, exstat.	401
Newtoni (Isaaci) Philosophiæ naturalis Principia mathematica, perpetuis Commentariis illustrata a Th. le Seur & Franc. Jacquier. Tomus I.	142
Roncallo-Parolini (Franc.) Dissertationes quatuor.	38
Schreiberi (Jo. Frid.) Observationes & cogitata de Peste, quæ annis 1738 & 1739 in Ukrainia grassata est.	617
le Seur (Th.) & Franc. Jacquier Commentarii perpetui in Is. Newtoni Philosophiæ naturalis Principia mathematica. Tomus I.	142
Swedenborgii (Eman.) Oeconomia regni animalis, in Transactiones divisa.	642
Thompson (Thomæ) Tractatus historicus, criticus, practicus, de Podagra.	35
Valcarengi (Pauli) de Aortæ anevrysmate Observationes binæ.	520
Valsalvæ (Ant. Maria) Opera, ex recens. Jo. Bapt. Morgagni. Tomi II.	211
Zumbag de Koesfelt (Conradi) de Pulsibus ac urinis Fasciculus indicatorius.	180

IV. Libri Mathematici.

Adami (Jac. Henr. Christ.) Observatio Halonum solarium, & quatuor Parheliolorum, die 13 Aprilis Anni 1733 Luccavio visorum.	315
Anonymi Constructio Newtoniani Telescopii per reflexionem, decem & sex digitos longi.	33
Basselini Tractatus demonstrativus de Quadratura Circuli.	663
Euleri	

A U T O R U M.

- Euleri (Leonh.)** *Tentamen nova Theoria Musicæ, ex certissimis Harmonie principiis dilucide exposita.* 18. 72
- Falconeti** *Quadratura geometrica Sectoris Circuli quadragesime quinque graduum, & proinde totius areæ Circuli.* 663
- de Camaches** *Astronomia physica, sive Principia generalia naturæ, applicata ad mechanismum astronomicum, & comparata cum principiis Philosophiæ Newtonianæ.* 223
- Guilielmini (Dominici)** *de Natura fluminum Tractatus physico-mathematicus. Editio nova, cum annotationibus Euktachii Manfredi.* 688
- Hanovii (Mich. Christoph.)** *Impossibilitas quadraturæ Circuli a priori asserta.* 668
- Hortelswii (Petri)** *Operum mathematico-physicorum Tomus I.* 691
- Kühn (Henrici)** *Solutio dubiorum Hydraulicorum & Aerometricorum, in Diario Trevoltiensis A. 1741 Artic. 85 & 94 propositorum.* 264. 318
- van Musschenbroeck (Jo.)** *Descriptio novarum machinarum pneumaticarum, e Belgico sermone in Latinum translata a Petro Massuet.* 515
- Newtoni (Is.)** *Philosophiæ naturalis Principia mathematica, perpetuis Commentariis illustrata a Th. le Seur & Franc. Jacquier. Tomus I.* 142
- Richteri (Georg. Frid.)** *Meditationes quedam de Seriebus harmonicis & reciprocis.* 696
- le Seur (Th.) & Franc. Jacquier** *Commentarii perpetui in Is. Newtoni Philosophiæ naturalis Principia mathematica. Tomus I.* 142
- Weidleri (Jo. Frid.)** *Historia Astronomiæ, sive de ortu & progressu Astronomiæ Liber singularis.* 311

V. Libri Historici, Geographici, &c.

- Anonymi** *Elogium Petri Burmanni, Philologi apud Belgas celeberrimi.* 620
- Baratterii (Jo. Phil.)** *Disquisitio Chronologica de Successione antiquissima*
- V y y y 3

I N D E X

<i>quissima Episcoporum Romanorum inde a Petro usque ad Vi-</i> <i>ctorem.</i>	56
Beehr (<i>Matthie Jo.</i>) <i>Rerum Meceleburgicarum Libri octo, cum</i> <i>Præf. Jo. Erhardi Kappii.</i>	49
Bœckelmanni (<i>Jo. Frid.</i>) <i>Medicus Romanus servus, sexaginta</i> <i>solidis æstimatus.</i>	93
Brenemanni (<i>Henr.</i>) <i>Epistola de Consulibus, quorum in Pandectis</i> <i>sit mentio.</i>	263
Bruckeri (<i>Jac.</i>) <i>Historia critica Philosophiæ, a mundi incunabu-</i> <i>lis in nostram usque ætatem deducta. Tomus I.</i>	635
Burmanni (<i>Casp.</i>) <i>Trajectum eruditum.</i>	451
Camerarii (<i>Phil.</i>) <i>Relatio de captivitate sua Romana, & libera-</i> <i>tione fere miraculosâ.</i>	525
Chladenii (<i>Jo. Mart.</i>) <i>Elogium Urbani Godofredi Siberi.</i>	571
Conradi (<i>Franc. Car.</i>) <i>Parergorum Libri IV.</i>	576
Dionysius Alexandrinus de Situ orbis, interprete Andr. Papio, <i>ex ed. Sigeb. Havercampi.</i>	254
Goujeti <i>Diss. de Statu Scientiarum in Gallia, inde a morte Ca-</i> <i>roli M. ad obitum usque Roberti Regis.</i>	230
Heidensteinii (<i>Rein.</i>) <i>Cancellarius, sive de dignitate & officio</i> <i>Cancellarii regni Poloniæ.</i>	605
Jugleri (<i>Jo. Frid.</i>) <i>de Nundinatione servorum apud veteres Li-</i> <i>ber singularis historico-juridicus.</i>	93
<i>Exercitatio historica de eruditis Saxonis</i> <i>Principibus.</i>	574
Kœleri (<i>Jo. Dav.</i>) <i>Amænicatum historico-numismaticarum Pars</i> <i>secunda, A. 1730 publicata.</i>	561
Lackmanni (<i>Ad. Henr.</i>) <i>Introductio in Historiam Slesvico-Holsæ-</i> <i>ricam. Pars IV.</i>	708
Livii (<i>Tit.</i>) <i>Historiarum ab Urbe condita Libri, qui supersunt,</i> <i>XXXV, cum Supplementis Freinsheimii; ex recens. J. B. L.</i> <i>Crevicrii. Tomus II, III, IV.</i>	105
Mahudellii <i>Epistola de Numo quodam Carthaginis Africane, qui</i> <i>reperitur inter cimelia L. B. de Schmettau.</i>	704
Matthælonii (<i>Jo.</i>) <i>Gloria musica, sive Vitæ excellentium Musi-</i> <i>corum.</i>	476

Mclancl-

A U T O R U M.

Melanchthonis (Phil.) <i>Vita Martini Lutheri, cum Notis</i> Christ. Aug. Heumannii.	377
Middletoni (Conyers) <i>Vita M. Tullii Ciceronis.</i> Volumina II.	193
Mosellani (Petri) <i>Narratio de Disputatione Lipsiensi anni 1519, cum Notis</i> Christ. Aug. Heumannii.	377
Muratorii (Lud. Ant.) <i>Antiquitates Italicae medii aevi.</i> Tomus II.	241
	Tomus III.
	625
Niceronii <i>Commentarii, historiae celeberrimorum in Republica literarum virorum inservientes.</i> Tomus XL.	374
	Tomus XLI.
	710
Offerhaus (Leonardi) <i>Spicilegiorum historico-chronologicorum Libri tres.</i>	111
<i>Dissertationes duae de Ptolemaeo Aulete, & vita Salvatoris publica & privata.</i>	ibid.
Poleni (Jo.) <i>Utriusque Thesauri Antiquitatum Romanarum Graecarumque Nova Supplementa.</i> Tomi V.	289
Schellhornii (Jo. Georg.) <i>Amantitates Historiae ecclesiasticae & literariae.</i> Tomus II.	471
<i>de Vita, factis, ac meritis, Philippi Camerarii Commentarius.</i>	523
Schoepflii (Jo. Dan.) <i>Commentationes historicae & criticae.</i>	485.
	544
Schultzi (Georg. Petri) <i>Commentarius de Cancellariis regni Poloniae.</i>	605
Stollii (Gottlieb) <i>Introductio in Historiam Theologiae.</i>	419
Timonis (Sam.) <i>Imago antiquae Hungariae.</i>	157
Valckenaer (Lud. Casp.) <i>Specimina Academica: 1) Diss. de Byrsa, Phoenicio arcis Carthaginiensium nomine; 2) Schediasma de Herodotea urbe Cadylti; 3) Glossa sacra, ex Hesychio decerpta.</i>	65
Weidleri (Jo. Frid.) <i>Historia Astronomiae, sive de ortu & progressu Astronomiae Liber singularis.</i>	311
	Weste-

I N D E X

Wesselingii (Petri) *Diatrise de Judaeorum Archontibus, ad Inscriptionem Berenicensem.* 454

VI. Libri Miscellanei.

- ab Almeloveen (Theod. Janssonii) *Fastorum Romanorum Consularium Libri duo. Editio altera, auctior & emendatior.* 262
- Ammonius de *Affinium vocabulorum differentia, ex rec. Lud. Casp. Valckenaer.* 385
- Aristophanis *Plutus, ex ed. Sigeb. Havercampi.* 254
- Balek (Jo.) *Collectio scholastica, ex optimis & probatissimis Scrip-
toribus Graecis selecta.* 254
- Barbeyracii (Jo.) *Historia pastorum antiquorum, seu Notitia hi-
storico-chronologica pastorum & federum, in Autoribus Grae-
cis ac Latinis aviorum. Tomi II.* 577
- Bruckeri (Jac.) *Historia critica Philosophiae. Tomus I.* 635
- Carattini (Th. Gundisalvi) *Philosophica Christiani Wolffii, alio-
rumque recentiorum, Du-Vigierii praesertim & Leibnitii, de
origine & praesistentia animarum, theologice discussa atque
excussa, sententia.* 45
- Casperii (Jo.) *Αδελφολογία: Φιλοσοφία Vindicata adversus sy-
cophantas Juvavenses.* 129
- Chladenii (Jo. Martini) *Opuscula Academica.* 571
- Conradi (Franc. Car.) *Parergorum Libri IV.* 570
- Francii (Petri) *Regulae generales exterioris eloquentiae.* 254
- Frischii (Jo. Leonh.) *Lexicon Germanico Latino. Pars I.* 415
- Hauptmanni (Jo. Godofr.) *Fabularum Aesopiarum collectio, cum
interpretatione Latina.* 713
- Horrei (Petri) *Observationes criticae in Scriptores quosdam Hi-
stóricos.* 255
- Miscellaneorum criticorum Libri duo.* 259
- Kahlii (Lud. Mart.) *Comparatio Leibnitiana & Newtoniana Me-
taphysicae, Domino de Voltaire opposita.* 87
- Lamii (Jo.) *Deliciae eruditorum, seu veterum ἀνεκδότων Opuscu-
lorum collectanea.* 511
- Lesbonax de *Figuris grammaticis, ex rec. Lud. Casp. Valcke-
naer.* 385
- Lucani**

A U T O R U M.

Lucani (<i>M. Anna</i>) <i>Pharsalia, cum Commentario Petri Burmanni.</i>	1
<i>Ex Merrick (Jacobi) Literis ad F. O. M. Excerpta.</i>	47
<i>Miscellanea Lipsiensia nova, ad incrementum scientiarum, ab his, qui sunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per partes publicata, cum Praef. Frid. Ottonis Menckeni. Voluminis I Pars I.</i>	379
de Montfaucon (<i>Bernardi</i>) <i>Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum nova. Tomi II.</i>	433
d' Orvillii (<i>Petri</i>) <i>Poemata.</i>	43
Philo (<i>Eranius</i>) <i>de Differentia significationis, ex recens. Lud. Casp. Valckenaer.</i>	385
Phrynichi <i>Eclogae nominum & verborum Atticorum, ex recens. Jo. Cornelii de Pauw.</i>	303
S. (<i>J. S.</i>) <i>Helvetii Narratio eorum, quae gesta sunt in Congregatione quadam, ad Parnassum reformandarum elegantiorum literarum ergo instituta.</i>	236
Schlægeri (<i>Julii Caroli</i>) <i>Numophylacium Burckhardianum, Numos antiquos Graecos & Romanos continens. Pars I.</i>	233
Schœpflini (<i>Jo. Dan.</i>) <i>Commentationes historicae & criticae.</i>	485.
Taraphæ <i>Moallakab, cum Scholiis Nahas, & Notis Jo. Jac. Reiskii.</i>	544 584
Valckenaer (<i>Lud. Casp.</i>) <i>Specimina Academica: 1) Diff. de Byrsa, Phœnicio arcis Carthaginensium nomine; 2) Schediasma de Herodotæ urbe Cadtyi; 3) Glossæ sacra, ex Hesychio descripta.</i>	65
de Voltaire <i>Metaphysica Newtoni, seu Collatio sententiarum Newtoni ac Leibnizii.</i>	87
<i>Anti-Machiavellus, seu Specimen criticum in Principem Machiavelli.</i>	135
Wolfii (<i>Christiani</i>) <i>Philosophia practica universalis, methodo scientifica pertractata. Pars I.</i>	306
Zanetti (<i>Antonii M.</i>) <i>Græcæ D. Marci Bibliotheca Codicum manuscriptorum, per titulos digesta, præside & moderatore Laurentio Theupolo, Equite.</i>	97
Z z z z	Anonymi

RERUM NOTABILIORUM.

Anastasius Imp. an Evangelia jusserit corrumpi? 461 seq.	Aretini (Franc.) ad Franciscum Patavinum Epistola edita. 440
Andræ (Valerii) vita & scri- pta. 711	d' Argonne (Bonaventura) vita & scripta. 376
Androgyni an pro monstris olim habiti? 209	Arriani locus explicatus. 261
Anevrysmâ aortæ observatum. 520 seq.	Arteriarum in corpore humano munus descriptum. 648 seq.
Animæ essentia & natura ex- plicata. 658 seq.	Artium variarum qualis medio ævo ratio fuerit? 245 seq.
De Animarum & corporum hu- manorum præexistentia do- gma refutatum. 45	Assyriacæ Monarchiæ Chronolo- gia tentata. 119 seq.
Anti-Machiavelli Autor lauda- tus. 135 seq.	Astronomiæ physiciæ secundum Cartesii principia systema. 223
Aortæ anevrysmâ observatum. 520 seq.	apud varias gen- tes ortus & progressus. 311 seq.
De Apocalypsi perverissimum Morgani judicium. 367	Athanasii, Archiepiscopi Alexan- drini, vita & scripta. 675 seq.
Apostoli a criminationibus Mor- gani vindicati, 263	Auditus essentia & musculi de- scripti. 229
Apotheoseos antiquitates illu- stratæ. 486 seq.	piscium explicatus. 609 seq.
Arabica quedam Carmina expli- cata. 584 seq.	Avium auguralium ratio expli- cata. 545 seq.
Arabum in servandis promissis fides laudata. 579	Auræ. Bullæ notitiæ historiciæ. 681
Arati Poematum principium ex- plicatum. 260	Auspicia Romanorum explicata. 545 seq.
Archivorum antiquitates illu- stratæ. 291	Avtochires an sint sepeliendi? 423
Archoneum Judæorum munus illustratum. 454 seq.	
Arcudii (Pauli) vita & scripta. 375	

B.

Babylonici regni Chronologia
tentata. 119, 121

Zzz z z

Bale-

I N D E X

Calenarum natura explicata.	613	Belgarum in studio Physica ex- perimentalis ardor.	515
Banckii (Laur.) vita & scripta.	713	Bella Romanorum an fuerint ju- sta?	291 seq.
Bannus regius in quo consistat?	417	Benedicti (Renati) vita & scri- pta.	710
Baratterii (Jo. Pbil.) vita & scri- pta.	57 seq.	XIV, P. M. diffusissi- ma eruditio laudata.	151
Barbeyracius (Jo.) laudatus.	577	Benedictini Salisburgenses igno- rantia nomine notati.	130
Barchausenii (Jo. Conr.) vita & scri- pta.	452	De Bentlejo (Th.) judicium.	3
Barisonii (Ugolini) vita & scri- pta.	291	Beremicensis antiqua Inscriptio explicata & illustrata.	455 seq.
Barlandi (Adriani) vita & scri- pta.	712	S. Bernardi Epistole duae nunc primum editae.	450
Barometrum an aptum sit ad determinandam differentiam altitudinis locorum in superfi- cie terra?	276. 325. 328	Bernardi, Sec. XII Poeta, vita & scripta.	451
sur in diversis re- gionibus diversas tempestates praenuntiet?	277	Beslii (Jo.) vita & scripta.	711
Barrovii (Isaaci) vita & scripta.	375	Bessarionis ad Senatum Venetum Epistola edita.	441
Bartholini (Rich.) liber de Co- mittis Augustinis denuo edi- tus.	474	Bestii (Guil.) vita & scripta.	452
Bavii (Reinhardi) vita & scri- pta.	713	Bibliotheca D. Marci Venetae Codices MSsi in Indicem re- dacti.	97 seq.
Baudry (Pauli) vita & scripta.	452	Bibliothecarum illustriorum Co- dices MSsi descripti.	438 seq.
Baylius (Petr.) refutatus.	204	Billii (Jac.) vita & scripta.	376
de Beehr (Matthias Jo.) lau- datus.	49	Boskelmanni liber de Medico seruo denuo editus.	96
de Beka (Jo.) Historici, vita & scripta.	451	Bourgueti (Lud.) Epistole qua- dam editae.	474
		Ex Britannica historia varia con- troversia disceptata.	557 seq.
		Burgundiae cis- & trans Juran- tia historia descripta.	551 seq.
		Burmanni	

RERUM NOTABILIORUM.

Burmanni (Petri) in Lucanum merita. 1 seq.	Carnesece (Petri) martyrium descriptum. 472
pta. vita & scri- pta. 620 seq.	Carnis musculosa structura ex- plicata. 406 seq.
(Franc.) patris, vita & scripta. 452	a S. Carolo (Lud. Jac.) vita & scripta. 375
(Franc.) filii, vita & scripta. ibid.	Carpi vita. 221
Byrsa, nomen Phœnicium, expli- catum. 66	Carthago Africana in numo an- tiquo. 704 seq.
C.	Cassandri (Georg.) vita & scri- pta. 375
Cadytis, Herodoteæ urbis, an- tiquitates illustrata. 70 seq. 539	Dialogus de communione sub utraque de- nno editus. 474
Calandrini (J. L.) Sectionum co- nicarum Elementa laudata. 144	Cathartica remedia caute usur- panda. 39
De Calice divino scripta varia edita. 473 seq.	Cavei (Guil.) dua ad Ott. Men- ckenium Epistola edita. 384
Calliachii (Nic.) Dissertationes dua nunc primum edita. 299	de Chaumont (Pauli Phil.) vita & scripta. 375
Camerarii (Phil.) vita & scripta. 524 seq.	(Joannis) vita & scripta. ibid.
de Captivitate sua Romana Relatio edita. 525	Chenu (Joannis) vita & scripta. ibid.
Cancellariorum regni Poloniæ dignitas illustrata. 605 seq.	Cherubini quid fuerint? 543
Candidatus Imp. quis dicatur? 299	De Chlodovæo, Rege Franciæ, varia. 557
Canonici Juris studium commen- datum. 173	Christus an sit verus Messias? 364
Canteri (Guil.) vita & scripta. 452	Christi vita & gestorum Chro- nologia reformata. 127 seq.
(Theodori) vita & scri- pta. ibid.	vita ab improbiſſimis Margani calumniis vindicata. 363
	Zzzz 3 Christi

I N D E X

Christi pro homine satisfactio vindicata & demonstrata.	de Collange (Gabrielis) vita & scripta.	376
		369 seq.
Chronologia veterum temporum sacra novis rationibus stabili- ta.	Romanorum illu- strata.	113 seq. 559
Chronologiam sacram scrutanti quæ leges imprimis observan- da?		114 seq.
Ciceronis (M. T.) vita descripta.		193 seq.
	religio quæ?	202
	loca aliquot explicata.	203 seq.
Circulatio sanguinis explicata.		648. 654
Circuli quadratura Basselini & Falconeti examinata & reje- cta.		663
Claubergii (Jo.) vita & scripta.		376
Clerici (Davidis) vita & scri- pta.	ibid.	
	(Joannis) vita & scri- pta.	ibid.
	(Laurentii Joffei) vita & scripta.	ibid.
Cloppenburgii (Jo.) vita & scripta.		375
Eocceji (Henr.) vita & scripta.		452
Cognominum origo ex medio ævo.		631
	Columbarium libertorum domus Augustæ a variis illustratum.	294 seq.
	De Concilio Tridentino scripta varia recensita.	472 monita
	ta Ferdinandi I Imp. ad Pium IV edita.	473
	Conciliorum variorum notitia.	677 seq.
	Consecrationis Imperatorum Rom. ritus illustratus.	486 seq.
	Consonantiæ omnes in genere diatonico - chromatico adhi- benda.	79
	Consonantiarum & dissonantia- rum discrimen.	27
	theoria.	30
	Constitutiones Apostolica an fuerint corrupta?	63
	quæ etate confecta?	64
	Cordis caro an sit musculoſa?	410
	vera ratio explicata.	653. 655
	motus explicatus.	655 seq.
	A Crevierio tentata variorum Livii locorum emendatio.	106 seq.
	Crucis supplicii antiquitates il- lustrata.	15
	Crugeri	

RERUM NOTABILIORUM.

Crugeti (Claudii) vita & scripta.	711	Diplomatum & Chartarum antiquarum ratio descripta.	626
Culpæ doctrina Juris explicata.	310		seq.
Cuperi (Gisb.) vita.	293	<i>fallorum a veris</i>	
& Ott. Sperlingii		<i>discrimen quale?</i>	627
<i>Epistola mutua edita.</i>	296	<i>Dominium quid sit?</i>	573
& Jo. Jacobi		<i>Duellorum origo & usus.</i>	631
<i>Scheuchzeri Epistola mutua edita.</i>	475	E.	
Curvarum rectificatio nunquam exacte dari potest.	671	E ccii cum Carolo studio & Luthero disputatio descripta.	379
D.		<i>ab Eck (Cornelii) vita & scripta.</i>	452
D icorum veterum historia descripta.	168	<i>Eduardo III, R. Angl. num aliquod in Galliam jus fuerit?</i>	558
Dati (Augustini) vita & scripta.	375	<i>Elephantum dentes descripti.</i>	614
Davides, Propheta, a calumniis vindicatus.	360	<i>Eleusinia sacra quem in finem instituta?</i>	202
Davilerii (Augustini Caroli) vita & scripta.	710	<i>Emphyteutes medii ævi descriptæ.</i>	628 seq.
Decimarum medii ævi ratio descripta.	629	<i>Ens (Joannis) vita & scripta.</i>	452
Delphacum, piscium, natura explicata.	613	<i>Episcoporum Romanorum successio stabilita.</i>	59 seq.
Denarii Papparini illustrati.	249	<i>Epochæ ab Æra diversitas.</i>	116
Denores (Fasonis) vita & scripta.	376	<i>Essenii (Andr.) vita & scripta.</i>	452
Dentes balenarum & elephanti ni descripti.	614	<i>Evangelia an Anastasii Imp. jussu sint corrupta?</i>	461 seq.
Deurhoffius (Guil.) a Spinozismo ac Socinianismo defensus.	589	<i>Evangelistarum harmonia tentata.</i>	125
Dionysii Areopagita nomen mentientes libri quem habeant Autorem?	65	<i>Evangelium quid sit proprie?</i>	14
		<i>Eucharistiæ infantum antiquitates illustratæ.</i>	425 seq.
		Eulerus	

I N D E X

Eulerus (Leonb.) laudatus.	19		
S. Eusebii, Ep. Vercellenfis, vita.	677		
F.			
Fabricii (Jo. Alb.) vita & scripta.	375		
Fabulæ Æsopi denuo edita.	714		
Fabularum nomen, divisio, & utilitas.	713		
Ferrea acus in corpore humano reperta.	41		
Fibrarum carnearum intestini recti triplex genus.	214		
		structura	
	406	seq.	
Flaminii (M. Ant.) religio vindicata.	472		
Fluvii velocitas absoluta quomodo invenitur?	690		
Fœminarum ex historia defensio.	576		
Foggini (Petri Franc.) consilium, edendi Codicem Virgiliti Medicæ.	239		
Folii vita.	222		
Folliculi Malpighii an sint pro glandulis habendi?	219		
De Fontium origine ex mari per subterraneos ductus dubia soluta.	330		
du Fossé (Petri Thome) vita & scripta.	711		
Ex Francica Historia controversia illustres.	556		
			G.
		In Gallia status literarum post Carolum Magnum.	230
			seq.
		Galliæ Regum in Orientem expeditiones sacrae descriptæ.	555
			seq.
		Garnierii (Jo.) vita & scripta.	375
		Gausseni (Steph.) Or. de Ratione concionandi denuo edita.	479
		Generationis in rebus animalibus negotium explicatum.	402
		Generum musicorum theoria.	73
		Genus musicum novum Euleri 25 sonis constans.	78
		Gesneri (Sal.) vita & scripta.	375
		de la Gessée (Jo.) vita & scripta.	713
		Gesselii (Timanni) vita & scripta.	452
		Giberti (Jo. Petri) vita & scripta.	376
		Glandularum sebacearum structura.	219
			definitio & usus,
			220
		Glycæ (Mich.) Epistola V edita.	512
			cognomen unde?
			ibid.
			vita. ibid.
			Græcorum

RERUM NOTABILIORUM.

Græcorum veterum Chronologia tentata. 124	Cancellario Polonie iterum editus. 608
Philosophia descripta. 638 seq.	Heinsii (Nic.) in Lucanum me- rita. 1 seq.
Grævii (Jo. Georg.) vita & scri- pta. 452	Herodes Agrippa quo anno mortuus sit? 65
Gribaldi (Matthæi) vita & scri- pta. 712	Herodotea urbs Cadys quæ? 72
Grimaudeti (Franc.) vita & scripta. ibid.	Herodoti variae lectiones ex Co- dice MSro Veneto collectæ. 101 seq.
Guilielmini (Dominici) in histo- riam fluminum merita. 689	loca quedam emen- data. 256 seq.
Gartleri (Nic.) vita & scripta. 711	Codicum accuratior notitia. 439
	Ex Hesychio Glossæ sacræ colle- ctæ. 72
	Heurnii (Jo.) vita & scripta. 452
	(Ootonis) vita & scri- pta. ibid.
Halley (Edm.) refutatus. 518	Hilarii, Ep. Pictaviensis, vita & scripta. 673 seq.
Halonum Solis cum quatuor par- tibus observatio. 316	Ex Hispanica Historia controver- sæ variae disceptatæ. 558
Hlaræi (Franc.) vita & scripta. 452	Historiæ studium quibus modis a Germanis promoveri possit? 50
Harmonia musica cum volupta- tem excitet? 23	veteris veritas vindici- cata. 382
Havercampi (Sigeob.) in Orosium merita. 482 seq.	Augustæ Scriptores de- nuo edendi consilium. 716 seq.
Haurisii (Bennonis Casp.) Histo- riæ Augustæ Scriptores denuo edendi consilium. 716 seq.	Holsaticæ Historiæ præcipua mo- menta descripta. 708
Hearnii (Thomæ) vita & scri- pta. 711	Homileticæ Institutiones novæ editæ. 479
Hebraismi an in Nov. Test. ob- vii? 13	
Hecqueti (Phil.) vita & scri- pta. 711	
Heidensteinii (Rein.) liber de	

I N D E X

Hoornbeckii (Jo.) <i>vita & scripta.</i>	452	Inscriptio antiqua explicata.	209
Hormesta, corrupta Orosii <i>inscriptio, unde efficta?</i>	484 seq.	Berenicensis explicata & illustrata.	455 seq.
De Horreo (Petro) <i>judicium.</i>	258. 259	Tergestina explicata.	559
Hortensii (Lamb.) <i>vita & scripta.</i>	452	Inscriptiones antiquae duae, obviae in Paunonia, explicatae.	166
Hospitales ades <i>medii aevi descriptae.</i>	630	Invulnerabilis an reddi possit homo?	40
Hungariae antiquae <i>facies descripta.</i>	158 seq.	Jobus qua aetate vixerit?	588
I.		Jonstoni (Jo.) <i>vita & scripta.</i>	712
Jacobi, Apostoli, <i>Epistola explicata.</i>	9 seq.	Ironia a Jesu & discipulis ejus abjudicata.	381
mors quo tempore contigerit?	61	ab Issele (Michaelis) <i>vita & scripta.</i>	452
Iazygum regio Hungarica <i>descripta.</i>	166 seq.	Italicorum <i>leges medi aevi illustratae.</i>	244 seq.
van Idsinga (S. H.) <i>laudatus.</i>	205	Judicia Dei ex medio aevi <i>descripta.</i>	633
Jejunia longa an solis <i>natura viribus fieri possint?</i>	153	Juris omnis principia a priori demonstrata.	307 seq.
Jena, nominis, <i>ridicula origo.</i>	604	civilis receptae quaedam <i>lectiones vindicatae.</i>	399 seq.
Ignatianae <i>Epistolae an sint interpolatae?</i>	63	publici <i>doctrina explicata.</i>	680 seq.
Imperatorem eligendi & <i>coronandi actus descriptus.</i>	686 seq.	fontes <i>descripti.</i>	681 seq.
Imperatorum Romanorum <i>consecratio illustrata.</i>	486 seq.	In Jus <i>vocatio violenta vetustissimis Romanis usitata.</i>	206
Inachi <i>etas in qua tempora inciderit?</i>	124	Justiniani <i>locus explicatus.</i>	579
Infantium <i>eucharistia ex antiquitate illustrata.</i>	425 seq.	Justiniani <i>Imp. cum Theodoro, Rege Italicae, pactum.</i>	580 seq.
		Kahlilius	

RERUM NOTABILIORUM.

K.	
K ahlus (<i>Lud. Mart.</i>) <i>felix</i>	Leibnitii (<i>G. G.</i>) <i>sententiarum</i>
<i>Voltairei adversarius.</i> 88	<i>precipuarum sylloge.</i> 573
	Leidekeri (<i>Melch.</i>) <i>vita &</i>
	<i>seq. scripta.</i> 452
Kirchmanni (<i>Jo.</i>) <i>vita & scri-</i>	Lelandus (<i>Jo.</i>) <i>laudatus.</i> 343
<i>pta.</i> 711	<i>De Lepra, morbo, varia.</i> 535
Kirstenii (<i>Petri</i>) <i>vita & scripta.</i>	Leusdenii (<i>Jo.</i>) <i>vita & scripta.</i>
<i>ibid.</i>	452
<i>(Georgii) vita & scri-</i>	Libergii (<i>Marini</i>) <i>vita & scri-</i>
<i>pta.</i> <i>ibid.</i>	<i>pta.</i> 375
L.	
L amius (<i>Jo.</i>) <i>laudatus.</i> 511	Liberii , <i>Pape, vita & scripta.</i>
Lampii (<i>Frid. Adolphi</i>) <i>vita &</i>	677
<i>scripta.</i> 452	Librorum , <i>sub invente typo-</i>
Langobardi unde dicti? 418	<i>graphia tempus Norimbergæ</i>
a Lapide (<i>Cornelii</i>) <i>vita &</i>	<i>editorum, catalogus.</i> 189 <i>seq.</i>
<i>scripta.</i> 712	Lingux caro an sit musculus?
Lapilli in craniis piscium confi-	410
derati. 610	Listrii (<i>Cerb.</i>) <i>vita & scripta.</i>
Lapis Manati & Tiburonis de-	452
scriptus. 614	Literarum in Gallia post Caro-
Latini (Latini) vita & scripta.	lum M. status. 230 <i>seq.</i>
712	<i>qualis in Italia me-</i>
Leges quedam Juris Civitis	dio evo status fuerit? 632
emendate. 400 <i>seq.</i>	<i>seq.</i>
<i>Imperii fundamentales</i>	Livii loca quedam emendata.
<i>descripte.</i> 681 <i>seq.</i>	106 <i>seq.</i>
Legum Italicarum medii ævi	Lockii (<i>Jo.</i>) <i>in explicanda Scri-</i>
antiquitas illustrata. 244 <i>seq.</i>	<i>ptura S. ratio qua?</i> 8
<i>Mosaicarum fines de-</i>	Logarithmorum usus ad inter-
monstrati. 347	valla sonorum metienda. 31
Leibnitii (<i>G. G.</i>) <i>de præexisten-</i>	Longolii (<i>Gilberti</i>) <i>vita & scri-</i>
tia corporum & animarum	<i>pta.</i> 452
humanarum sententia resu-	Lucani loca quedam emendata.
ata. 45 <i>seq.</i>	3 <i>seq.</i>
	De Lucani genere scribendi ju-
	dicium. 7
	Aaa aa 2 Luciani

I N D E X

Luciani loca tria emendata.	255	Mancipi, & nec mancipi, rerum differentia explicata.	701 seq.
Luciferi Calaritani vita & scri- pta.	676 seq.	Manuscripti Codices Bibliothecae D. Marci Veneta recensiti.	97 seq.
Ludewigius (Jo. Petr.) laudatus.	580	Bibliothecarum Europa illustriorum descripti.	438 seq.
Ludorum scenicorum antiquitates illustratae.	302	Manutii (Pauli) Praefationes duae editae.	475
Lutheri vita Melanchthoniana denuo edita.	378	Manutiorum trium notitia.	ibid.
M.		Maraccii (Lud.) vita & scripta.	712
Machiavelli doctrina civiles refutata.	136 seq.	Marcomannorum veterum hi- storia descripta.	167 seq.
Macri (Dominici) vita & scri- pta.	713	Mare potest in aliquibus locis al- tius esse satvo aquarum equi- librio.	320
Macropedii (Georg.) vita & scripta.	452	Maris sphaericitas a Tacquetto non recte ostensa.	279 contra ex- perientiam pugnat. 327
Maffai (Scip.) scripta varia de- nuo edita.	300 seq.	Martelli (Hugolini) vita & scripta.	712
Maji (Juniani) vita & scripta.	711	Martini (Davidis) vita & scri- pta.	452
Maini (Jasonis) vita & scripta.	376	De Martini (Eman.) descriptio- ne theatri Saguntini notitia literaria.	301
Majoragii (M. Ant.) vita & scripta.	712	Martyrologii Romani antiqui- tas & editiones varia.	153 seq.
libellus de Senatu Romano laudatus.	290	errores veri & falsi.	154 seq.
Mali, tam physici, quam mora- lis, origo unde?	403	Marville	
Malpighii de folliculis sententia refutata.	219 seq.		
Malvezzi (Virgilii) vita & scri- pta.	712		
Manati lapis descriptus.	614		

RERUM NOTABILIORUM.

Marville (<i>Vigneul</i>) <i>Autor pſey</i>	Miraculorum <i>doctrina explicata.</i>	147 ſeq.
<i>donymus.</i> 376	Miraculum <i>in quo conſiſtat?</i>	596
a Maſtricht (<i>Petri</i>) <i>vita & ſcripta.</i> 452	Miſcellanea <i>Lipſienſia nova edita.</i> 240. 379 ſeq.	
Matthæi (<i>Ant.</i>) <i>vita & ſcripta.</i> ibid.	Mizaldi (<i>Ant.</i>) <i>vita & ſcripta.</i>	375
Mattheſonii (<i>Jo.</i>) <i>vita & ſcripta.</i> 478	Modorum <i>muſicorum explicatio.</i>	80
<i>ingenium deſcriptum.</i> ibid.	Mœſia, <i>regio Pannoniæ ſinitima, deſcripta.</i>	165 ſeq.
Mecleburgicarum <i>rerum antiquarum & recentiorum hiſtoria deſcripta.</i> 51 ſeq.	Monſtroſi <i>partus olim in aquam abjici ſoliti.</i>	208
Meigreti (<i>Lud.</i>) <i>vita & ſcripta.</i> 711	Montfauconius (<i>Bern.</i>) <i>laudatus.</i>	436 ſeq.
Menckenius (<i>Frid. Otto</i>) <i>Miſcellaneorum Lipſienſium novorum editor.</i> 378	Morbi, <i>reſpirationem impediētes, qui?</i>	444 86
Mercaturæ <i>medio ævo qua ratio?</i> 251 ſeq.	Morgagnii (<i>Jo. Bapt.</i>) <i>in Opera Vulſuræ merito.</i>	216
Metaphyſicæ <i>Newtonianæ ſyſtema.</i> 88 ſeq.	De Morgano, <i>Autore Philoſophiæ moraliſ, judicium.</i>	344
Meyeri (<i>Phil.</i>) <i>vita & ſcripta.</i> 711	Mofaicarum <i>legum fines demonſtrati.</i>	347
Militaris <i>rei qua medio ævo ratio?</i> 247	<i>vere divina origo demonſtrata.</i>	350
de la Milletiere (<i>Theophili Bracheti</i>) <i>vita & ſcripta.</i> 712	Mofaicorum <i>ſcriptorum antiquitas & integritas demonſtrata.</i>	394
Miniana (<i>Eman.</i>) <i>quis fuerit?</i> 302	Mofellani (<i>Petri</i>) <i>ad Jul. Pflugium Epistoia edita.</i>	378
Minorum <i>Ordinis hiſtoria deſcripta.</i> 337 ſeq. 529 ſeq.	Motærus (<i>Jo. Jac.</i>) <i>laudatus.</i>	680
Minturnus (<i>Ant. Sebaſt.</i>) <i>an oracu Trajeſtinus fuerit?</i> 453		
Miracula <i>vera a falſis quomodo diſcernenda?</i> 149		

I N D E X

Mousquet, vox, unde derivanda?	417	N.	
de Mozanica (Jacobi) inscriptio sepulchralis.	338	Naemanis, Syri, historia descripta.	535 seq.
Mulierum medio aeo jura quæ?	243 seq.	Navarrici regni origo, fata, & successio.	553 seq.
Mundus infinitus contra Edm. Halley negatus.	518	Naulæi (Phil.) vita & scripta.	711
Muratorius (Lud. Ant.) laudatus.	241 seq.	Netheni (Marthæ) vita & scripta.	452
Musculi varii auditus descripti.	221 seq.	Neutoni (Is.) Principia Philosophiæ mathematicæ luculenter illustrata.	143
Musculorum plantæ pedis icones.	466	De Neutoni Philosophia judicium.	225
Musculos humani corporis secandi & contemplandi methodus.	373 seq.	Neutono (Is.) suppositum Mechanicæ systema.	88 seq.
Musculosæ carnis, fibrarumque carnearum, structura.	406	Niceronii (Jo. Petri) vita & scripta.	376
Musica ex principiis mathematicis explicata.	18 seq.	Nigrisoli (Franc. Maria) vita & scripta.	375
quibus rebus gratiam & suavitatem suam debeat?	25	Noctu olim nihil in judiciis Romanis fieri solitum.	207
Musicæ nova theoria.	19 seq.	Noodt (Gerhardi) vita & scripta.	452
Musicorum generum theoria.	73	Norimbergæ sub initia typographiæ editorum librorum catalogus.	189 seq.
modorum explicatio.	80	Novarini (Aloysii) vita & scripta.	376
illustrium vita.	476	Numi duo spurii.	233
Musicum genus novum Euleri 25 sonis constans.	78	quidam rariores.	235
Muys (Wyerus Guil.) laudatus.	402	Vencorum illustrati.	250
		varii descripti.	563 seq.
		Numismatica res mediæ ævi illustrata.	248
		Numo.	

RERUM NOTABILIORUM.

Numophylacium <i>Burckbardia-</i> <i>num laudatum.</i> 233	d' Orvillii (<i>Petri</i>) <i>Carmina lau-</i> <i>data.</i> 43 seq.
Numorum <i>que pars antica, que</i> <i>postica, habenda?</i> 248	(<i>Jac. Phil.</i>) in <i>Carmina</i> <i>na fratris sui merita.</i> 44
Numus <i>areus Othonis.</i> 234	<i>Carmina</i> <i>laudata.</i> 46
<i>ravissimus Philistidis.</i> 235	Otto (<i>Everh.</i>) <i>laudatus.</i> 173
<i>Justini minoris explica-</i> <i>tus.</i> 249	<i>Osticula audicus descripta.</i> 221 seq.
<i>Carthaginis Africanæ</i> <i>varior.</i> 704	P.
Nundinatio <i>servorum veterum</i> <i>illustrata.</i> 93 seq.	P acta <i>veteris ævi collecta &</i> <i>explicata.</i> 578 seq.
O.	<i>Pandectæ ante inventum exem-</i> <i>plar Pisannum cognita.</i> 634
O bligacionum <i>omnium prin-</i> <i>cipia a priori demon-</i> <i>strata.</i> 307 seq.	<i>Pandectarum MSi quidam Co-</i> <i>dices descripti.</i> 440
Observationum <i>in re medica</i> <i>utilitas.</i> 643	<i>Pannonia unde dicta?</i> 159
Occidentalis <i>Imperii extincti</i> <i>& instaurati descriptio.</i> 504 seq.	<i>Pannoniæ veteris oppida descri-</i> <i>pta.</i> 159 seq.
Oculorum <i>tunica que?</i> 215 seq.	<i>geographia indagata.</i> 162 seq.
Offerhaus (<i>Leonardus</i>) <i>laudatus.</i> 112	<i>sub Romanis que fa-</i> <i>cies fuerit?</i> 163
Olearii (<i>Adami</i>) <i>vita & scripta.</i> 375	<i>Pannonum veterum instituta</i> <i>descripta.</i> ibid.
Orosii <i>librorum nova editio pu-</i> <i>blicata.</i> 481 seq.	<i>religio</i> <i>que?</i> 165
Orphei <i>locus quidam emenda-</i> <i>tus.</i> 390	<i>Papirini denarii explicati.</i> 249
S. Orsini, <i>Abbatis Congregatio-</i> <i>nis Tabernensis, vita & scri-</i> <i>pta.</i> 676	<i>Pacheliorum observatio.</i> 316
	<i>Passionis Christi antiquitates il-</i> <i>lustrata.</i> 15
	de Pauw (<i>Jo. Cornelii</i>) in <i>Phry-</i> <i>nichum merita.</i> 304 seq.
	<i>immode-</i> <i>stita in judicando notata.</i> 305
	<i>Pecunia</i>

I N D E X

<i>Pecunia medio aeo varia genera.</i>	250 seq.	<i>Pitisci (Sam.) vita & scripta.</i>	453
<i>Pedis plantae muscutorum icones.</i>	466	<i>Plagiatorum varia exempla collecta.</i>	383
<i>Perizonius (Jac.) refutatus.</i>	124	<i>Platonis Epistola ex Codd. Vaticanis emendata.</i>	438
<i>Pestis, in Ukrainia grassata, descriptio.</i>	617 seq.	<i>Plinii loca tria emendata.</i>	382
	cu.	<i>Podagrae morbus explicatus.</i>	36
<i>ra descripta.</i>	619		seq.
<i>Petreei (Theodori) vita & scripta.</i>	376		unde? 37
<i>Petri Romanum iter quo tempore conigerit?</i>	59 seq.		quomodo cupandus? 38
<i>Philippi Augusti num fuerint Christiani?</i>	297	<i>Polenus (Jo.) laudatus.</i>	290
<i>Philosophiae origo & fata apud varios gentes descripta.</i>	636 seq.	<i>Ponae (Francisci) vita & scripta.</i>	712
<i>Phrynichi varia loca emendata.</i>	304 seq.	<i>De Pontano (Henr.) singularia.</i>	453.
<i>Physica experimentalis per Belgas exculta.</i>	515	<i>Præcocis eruditi exemplum.</i>	57
<i>Pighii (Alberti) vita & scripta.</i>	452	<i>De Præexistencia corporum & animarum humanarum dogma refutatum.</i>	45 seq.
<i>Pisani Archiepiscopi excerpta edita.</i>	626	<i>Præclarus dies in lege Romana quid notes?</i>	210
<i>Piscium historia naturalis illustrata.</i>	609 seq.	<i>Præsepe, vox Latina, illustrata.</i>	262
<i>auditus explicatus.</i>	610	<i>Precariarum medii aevi ratio descripta.</i>	628 seq.
<i>omnium genera in tabulam redacta.</i>	612	<i>Primariarum prosum jus explicatum.</i>	174 seq.
<i>pulmonibus præditorum, natura.</i>	612 seq.		ejus origo & fundamenta. 175 seq.
<i>per branchias occultas spirantium, natura.</i>	614 seq.		Imperatori quale competat? 177
			quibus præter Imperatorem competit? 178 seq.
			Princeps

RERUM INGTABILIORUM.

Principes quomodo debeas esse comparatus? 141 seq.	Regii (Hetr.) vita & scripta 453
Principes Saxoniae eruditi descripti. 574 seq.	Regnandi ars. plene descripta 137 seq.
Prophetae Vet. Testamenti a calumniis vindicati. 358 seq.	Relandi (Astr.) vita & scripta 453
Ptolemaeo Aulensi cum Romanis quale fuerit commercium? 126	Renum succenturiatorum ductus excretorii qui? 210
De Ptolemaeo Evergeta monumentum antiquum explicatum. 580	Respiratio quem vita conservanda usum praestet? 84 seq. ejus organa quae? 82 seq. a quibus morbis impediatur? 96
Pulsuum doctrina medica explicata. 181	Revelationis sacrae auctoritas vindicata. 344 seq.
Purgantium remediorum in aere Brixiano usus. 39 seq.	di Rienzo (Colo) Tribuni Romani, vita edita. 626
Q.	Roellii (Herm. Alex.) vita & scripta. 457
Quadorum veterum historia descripta. 167 seq.	Romanae Historiae Fragmenta edita. 626
Quadratura omnis spatii curvilinei tantum prope vera esse potest. 672	Romani rerum olim domini descripti. 16
Quadraturae circuli Besselianae & Falconerianae examinatae & rejectae. 669	Rosweildi (Heriberti) vita & scripta. 453
R.	S.
Rambachii (Jo. Jac.) scripta posthuma promissa. 589	Sacerdotum origo unde? 354
Ratalleri (Georg.) vita & scripta. 453	Sacrificia humana an Deo fuerint grata? 353 seq. eorum origo unde? 354
Ravii (Christiani) vita & scripta. ibid.	Saldeni (Guit.) vita & scripta. 449
Ray (Joannis) vita & scripta. 711	Sallia-
Rectificatio curvarum nunquam exacte dari potest. 671	

Bbb bb

INDEX

Sabburgenses Benedictini igno- rantia nomine notati. 130	Apothecos in Latium trans- lata. 293
Samuel, Propheeta, a salumuis vindictatus. 359	Bährer (Cornelii) vita & scripta. 376
De Sanctis invocandis dogma Ecclesie Romanae refutatum. 131	Schurmannia (Anna Maria) vi- ta & scripta. 453
Sandei (Felini) vita & scripta. 712	Scribonii (Cornelii) vita & scri- pta. 376
Sanguinis vera ratio descripta. 644 seq.	De Scriptoribus nonnullis judi- cia satyrica. 236 seq.
circulatio explicata. 648. 654	Scripturae S. loca explicata aut illustrata:
Sarmatarum veterum historia descripta. 167 seq.	Gen. III, 1. 597
Satisfactio Christi pro homine vindictata & demonstrata. 369 seq.	VIII, 20. 354
de Saussay (Andrea) vita & scripta. 375	X, 5. 125
Saxoniae Principes eruditi de- scripti. 574 seq.	XV, 9, 10. 354
Scarabaei mira rodendi res quas que dexteritas. 182 seq.	XX, 7. 358
Schelhornius (Jo. Georg.) lau- datus. 471	XXI, 3. 540
Scheuchzeri (Jo. Jac.) & Cu- peri Epistola mutua edita. 475	XXV, 3. 119
Schlägerus (Jul. Car.) lauda- sus. 233	XXXI, 19. 396
Scholiorum Graecorum usus. 571	30. ibid.
Schookii (Martini) vita & scri- pta. 453	32. ibid.
Schotti Explanatio Homerica	34, B. ibid.
	XXXV, 2. 12
	XL, 20. 589
	XLI, 14. 12
	XLVI, 9. 66
	17. ibid.
	34. 124
	Exod. III, 2. 594
	XX, 23-26. 589
	XXIII, 23, 24. 352
	XXX, 31, 32. 537
	XXXIII, 9-23. 594
	XXXIV, 11. 352
	17. ibid.
	Levit.

RERUM NOTABILIORUM.

<i>Levit. XVIII, 3.</i>	589	<i>1 Reg. VI, 1.</i>	114
<i>XIX, 17.</i>	352	7.	187
<i>24.</i>	ibid.	13.	537
<i>XX, 23.</i>	589	<i>XIII, 6.</i>	262
<i>Num. XI, 25, 26.</i>	358	<i>XIV, 21.</i>	117
<i>XII, 6.</i>	593	<i>XIX, 11-13.</i>	594
<i>XIV, 3.</i>	592	<i>XX, 29, 30.</i>	535
<i>XXVII, 21.</i>	358	<i>XXII, 19.</i>	589. 590
<i>XXXII, 52.</i>	352	20-22.	590
<i>XXXIII, 21.</i>	70	<i>2 Reg. V, 18.</i>	536
<i>Deut. II, 23.</i>	538	<i>VIII, 16.</i>	117
<i>IV, 12.</i>	349	<i>XV, 38.</i>	ibid.
15.	ibid.	<i>XVI, 1, 2.</i>	ibid.
<i>VII, 5-25.</i>	352	<i>XX, 6.</i>	538
<i>X, 17-19.</i>	ibid.	<i>XXI, 7.</i>	542
<i>XII, 4, 5.</i>	ibid.	<i>XXIII, 29.</i>	70
30, 31.	353	<i>Par. II, 9.</i>	66
<i>XVI, 18.</i>	457	18.	ibid.
<i>XXIV, 19.</i>	352	<i>V, 3.</i>	ibid.
<i>Jos. VII, 21.</i>	11	<i>XV, 27.</i>	361
<i>X, 6.</i>	590	<i>XXV, 11.</i>	66
11.	ibid.	<i>XXIX, 1.</i>	68
<i>XVII, 16.</i>	119	18.	ibid.
<i>Judic. IV, 3.</i>	ibid.	<i>3 Par. III, 15.</i>	540
<i>V, 9.</i>	590	<i>XVI, 12.</i>	68
<i>VI, 18.</i>	358	<i>XXII, 6.</i>	536
<i>XIV, 12, 13.</i>	12	<i>XXXII, 28.</i>	262
<i>XVIII, 4, 5.</i>	397	<i>XXXV, 20.</i>	70. 71
<i>1 Sam. II, 27-36.</i>	358	22.	540
<i>XI, 1.</i>	339	24.	70
<i>XXIII, 1.</i>	262	<i>XXXVI, 3, 4.</i>	71
<i>2 Sam. VI, 14.</i>	361	8, 9.	120
<i>XII, 22.</i>	12	<i>Ezr. I, 25-31.</i>	70
23.	592	<i>VI, 2.</i>	68
<i>XX, 19.</i>	70	<i>Neb. I, 1.</i>	68
<i>3 Reg. I, 39.</i>	537	<i>II, 8.</i>	ibid.
		<i>Ebb bb 2</i>	<i>E/bb</i>

I N D E X

1, 2.	58	Job. XXX, 18.	98
11, 8.	ibid.	25.	ibid.
111, 15.	ibid.	XXXI. XXXII.	588
VIII, 9.	ibid.	XXXIII.	ibid.
IX, 6.	ibid.	14-16.	593
11, 12.	ibid.	XXXIV-XXXVIII.	588
X, 1.	542	XXXIX.	ibid.
Job. I.	588	1.	354
6.	589	5.	ibid.
22.	599	12.	262
11.	588	XL. XLI.	588
7.	590	XLII.	ibid.
10.	ibid.	3.	591. 593
111.	588	6.	591
1.	589	7-17.	598
20.	591	Pf. XL, 8, 9.	594
IV.	588	LXXVI, 2.	67
2-16.	593	LXXX, 14.	ibid.
V.	588	LXXXIX, 21.	537
VI.	ibid.	48.	593
4.	590	XC, 7.	ibid.
VII. VIII.	588	CXI, 4.	151
IX.	ibid.	Prov. I, 6, 7.	98
5. 6.	599	12.	ibid.
9.	591. 600	14. 15.	ibid.
XII.	588	16.	99
8.	354	18.	ibid.
XIV.	588	26.	ibid.
1.	592	29.	ibid.
XV. XXV.	588	31.	ibid.
XXVI.	ibid.	XIV, 4.	262
12.	543	XV, 17.	ibid.
XXVII-XXIX.	588	Eccles. I, 7.	99
XXX.	ibid.	8.	ibid.
9.	98	10. 11.	ibid.
12.	ibid.		Eccles.

RERUM NOTABILIORUM.

<i>Ecclef. I, 13.</i>	99	<i>Gen. L, 26.</i>	28a
16.	ibid.	<i>Ll, 31.</i>	123
<i>IV, 2, 3.</i>	599	<i>LII, 21.</i>	540
<i>VII, 15.</i>	ibid.	<i>Ezech. I, 1.</i>	122
<i>Cont. I, 4.</i>	99	<i>IV.</i>	115
9.	ibid.	<i>V.</i>	ibid.
13, 14.	ibid.	<i>XXI, 21.</i>	397
16, 17.	ibid.	<i>XXIX, 10.</i>	71
<i>VII, 3.</i>	262	<i>XLVI, 18.</i>	537
<i>Jes. I, 2, 3.</i>	ibid.	<i>Dan. I, 1.</i>	121
4.	101	<i>II, 1.</i>	ibid.
13.	ibid.	<i>VIII, 2.</i>	68
15.	ibid.	<i>Hof. III, 4.</i>	397
27.	ibid.	<i>Jer. I, 17.</i>	262
29.	ibid.	<i>Amos I, 12.</i>	66. 69
<i>III, 22.</i>	11	<i>Obad. I, 5.</i>	100
<i>VII, 3.</i>	541	7, 8.	ibid.
11.	ibid.	21.	ibid.
14, 15.	ibid.	14.	ibid.
<i>VIII, 8.</i>	ibid.	17, 18.	ibid.
10.	ibid.	19-21.	ibid.
<i>X, 13.</i>	67	<i>Jon. I, 4, 5.</i>	ibid.
16-18.	339	9.	ibid.
<i>XI, 10.</i>	595	11.	ibid.
<i>XX.</i>	538	<i>IV, 3.</i>	593
<i>XXXIV, 6.</i>	66	<i>Mich. I, 2, 3.</i>	100
<i>XL, 3.</i>	601	7, 8.	ibid.
<i>LIII, 10.</i>	594	12.	ibid.
12.	595	<i>II, 12.</i>	66
<i>LXIII, 1.</i>	66	<i>Habac. III, 17.</i>	262
<i>Jer. XX, 18.</i>	599	<i>Hagg. II, 9.</i>	541
<i>XXIV, 25.</i>	122	<i>Zach. I, 16.</i>	100
<i>XXVI, 1.</i>	121	<i>III, 1, 2.</i>	590
<i>XLVIII, 24.</i>	66	4.	12
<i>XLIX, 3.</i>	ibid.	<i>X, 2.</i>	397
23.	538	<i>XII, 11.</i>	540
		Bbb bb 3	<i>Mal.</i>

I N D E X

<i>Mal.</i> I, 7, 8.	201	<i>Luc.</i> I, 3.	260
13.	ibid.	II, 1.	16
III, 1.	601	III, 19.	128
<i>2 Maccab.</i> I, 9.	456	IV, 20.	457
18.	ibid.	VI, 1.	127
<i>4 Esr.</i> XIV, 21.	539	IX, 49.	150
<i>Matth.</i> I, 23.	541	XII, 41.	381
III, 11.	595	XII, 54, 55.	276
IV, 12 <i>seq.</i>	127. 128	58.	461
V, 4.	592	XV, 7.	381
VI, 26.	463	XXIII.	16
34.	ibid.	34.	595
VIII, 30.	ibid.	<i>Jo.</i> I, 1-3.	600
XIV, 6.	589	4-6.	597
XVII, 1.	149	7-8.	595. 597
XX, 1-16.	380	9.	588. 595. 597
XXI, 33.	67	14.	600
XXII, 34-40.	11	II.	127
XXIII, 2, 3.	537	III, 10.	381
XXIV.	151	V.	127
XXVI, 24.	591	2.	384
37, 38.	592	VI. 428. 429. 430.	431
45.	381	4.	128
50.	ibid.	VII, 28.	381
75.	592	VIII, 56.	589
XXVII.	16	XVIII, 31.	37
9.	260	XIX, 34.	464
49.	464	<i>Act.</i> II, 38.	366
<i>Marc.</i> I, 14.	128	III, 19.	ibid.
II, 23.	127	26.	ibid.
VII, 9.	381	V, 31.	ibid.
IX, 38.	150	VII, 42, 43.	589
43-47.	592	IX, 43.	66
XII, 28-34.	11	X, 42, 43.	366
XVI.	148	XI, 28.	16
<i>Luc.</i> I, 2.	457	XIII, 5.	457
		<i>Act.</i>	

RERUM NOTABILIORUM.

<i>Act.</i> XVII, 26. 27.	592	<i>Col.</i> II, 2.	591
XX, 28.	462	<i>2 Theff.</i> II.	151
XXVII, 27.	600	<i>1 Tim.</i> III, 16.	463
<i>Rom.</i> I, 16, 17.	14	<i>2 Tim.</i> IV, 17.	593
II, 13, 14.	593	<i>1 Petr.</i> I, 2.	366
15.	593. 597	25.	600
18.	15	II, 2.	366
28, 29.	593	5.	ibid.
III, 28.	14	21.	ibid.
VII, 22.	591	24.	523
25.	591. 592	V, 10.	366
24.	591	XV, 8. 9.	ibid.
VIII, 26, 27.	595	<i>2 Petr.</i> I, 13-15.	593
34.	ibid.	II, 12.	590
IX, 1-3.	592	III, 13.	600
20.	ibid.	<i>1 Jo.</i> V, 16-18.	372
<i>1 Cor.</i> I, 24.	600	<i>Hebr.</i>	582
III, 13-15.	592	II, 9.	463
IV, 1.	457	IV, 12.	595
8.	381	VI, 4-6.	372
XI, 9.	455	X, 26, 27.	ibid.
XII.	366	XI, 4.	589
XIII, 2.	593	XII, 10-14.	593
XIV.	366	<i>Jac.</i>	8 seq.
<i>2 Cor.</i> IV, 6.	588	I, 1.	9
V, 2.	593	9, 10.	10
X, 12.	381	13.	ibid.
XI, 19.	ibid.	14.	ibid.
32.	489	II, 2.	ibid.
XII, 13.	381	4.	13
<i>Gal.</i> I, 4.	592	7.	ibid.
<i>Eph.</i> I, 4.	592	8.	10
10.	601	14. 20.	7
II, 3.	592	III, 1.	11
<i>Phil.</i> I, 19.	595	2.	ibid.
<i>Col.</i> I, 15.	594	IV, 1.	ibid.
			<i>Jac.</i>

I N D E X

<i>Jas. V. 2. 3.</i>	12	<i>Series harmonica cum seriis</i>	
5.	11	<i>arithmeticis reciproca conve-</i>	
6.	12. 13	<i>niunt.</i>	697
7.	13	<i>Servorum veterum nundinatio</i>	
17.	ibid.	<i>illustrata.</i>	93 seq.
<i>Apo. I. 1.</i>	367	<i>Siberi (Urbani Godofr.) vita &</i>	
<i>III. 19. 20.</i>	592	<i>scripta.</i>	574
<i>V. 8.</i>	367. 368	<i>Sigillorum mediæ ævi ratio de-</i>	
11.	368	<i>scripta.</i>	628 seq.
<i>VI. 9. 10.</i>	ibid.	<i>Sommerii (Jo. Claudii) vita &</i>	
<i>VIII. 3. 4.</i>	367. 368	<i>scripta.</i>	710
<i>XVI. 16.</i>	71	<i>Sonorum discrimen unde? 20</i>	
<i>XIX. 11-13.</i>	690	<i>intervalla quomodo</i>	
<i>XX. 11.</i>	ibid.	<i>metienda?</i>	31
<i>XXI. 1.</i>	ibid.	<i>Soter, vox Græca, quomodo La-</i>	
18. 21.	601	<i>tine reddenda?</i>	129
<i>XXII. 19.</i>	367	<i>Specula metallica pro catadi-</i>	
<i>Secundæ musculi humani corpo-</i>		<i>optriciis telescopiis quomodo</i>	
<i>ris methodus.</i>	373	<i>querenda?</i>	31
<i>Sectionum conicarum elementa</i>		<i>Sperlingii (Ost.) & Gise. Cupe-</i>	
<i>J. L. Calandrini laudata.</i>	144	<i>ri Epistole mutue editæ.</i>	296
<i>Senensis (Sixti) vita & scripta.</i>	373	<i>Spina, e qua corona Christi fuit</i>	
<i>De Sepeliendis, qui in bello ce-</i>		<i>plexa, quæ fuerit planta?</i>	26
<i>siderant, mitibus lex quan-</i>		<i>Staphyli (Frid.) libellus de di-</i>	
<i>do primum lata?</i>	579	<i>vino calice nunc primum edi-</i>	
<i>Sepultura an maleficis olim fue-</i>		<i>tus.</i>	473
<i>rit concessa?</i>	423	<i>Statæra Danica descripta.</i>	692
<i>Sepulturæ ritus veterum Chri-</i>		<i>ejus divisio Ræ-</i>	
<i>stianorum descripti.</i>	422 seq.	<i>vero vindicata.</i>	693
<i>Serierum in mundo ratio expli-</i>		<i>Statutorum ex mediæ ævo origo</i>	
<i>cata.</i>	658 seq.	<i>repetenda.</i>	244
<i>quarundam reciproca-</i>		<i>Strabonis variæ lectiones anno-</i>	
<i>tum infinitarum summatio</i>		<i>tata.</i>	447
<i>docetur.</i>	698	<i>Suavitatis auribus & oculis per-</i>	
		<i>cepta</i>	

RERUM NOTABILIORUM.

<i>cepta gradus quomodo mensurandi?</i>	24	Testudinis cor descriptum.	655
Sublime in scientiis quid sit?	573	Teutonicæ omnes voces in Lexicon collectæ.	415 seq.
Swedenborgius (Eman.) laudatus.	643	Thalerorum origo & historia illustrata.	561 seq.
T.		Theatra veterum varia illustrata.	302
T abularum XII leges antiquæ explicatæ.	256 seq.	S. Theodori, Abbatis Congregationis Tabernensis, vita & scripta.	676
Tacquetus notatus.	279	Theologiæ Historia literaria illustrata.	419 seq.
Taraphæ, scriptoris Arabici, Carmina explicata.	584	Theophili nomen illustratum.	260
vita & scripta.	585	Theraphium quid fuerint?	396
Telescopium catadioptricum descriptum.	34	Thucydidis variæ testiones ex Codice MSto Veneto collectæ.	104 seq.
Tellerus (Rom.) laudatus.	479	Tibiarum instatarum theoria.	22
Telluris figura num per graduum ejusdem meridiani dimensiones determinari queat?	266	Tiburonis lapis descriptus.	617
inaequalis est.	287	Timon (Sam.) laudatus.	157 seq.
eam determinandi nova methodus proposita.	269	Ticii (Gerb.) vita & scripta.	711
Tenebræ in passione Christi explicatæ.	17	Tollii (Cornelii) vita & scripta.	453
Tensâ, vox mediæ ævi, quid notet?	245	(Jacobi) vita & scripta.	ibid.
Testamenti Vet. pars in Codice MSto Veneto.	98	Trajectinæ urbis viri docti descripti.	451 seq.
auctoritas vindicata.	347 seq.	Tremellii (Eman.) vita & scripta.	375
Novi auctoritas vindicata.	368 seq.	Tributorum mediæ ævi varia genera.	243
in Testamento Novo an hebraismi obviis	13	Ccc cc	Try.

I N D E X

Tryphiodori nova editio promissa.	48	Vestium copia divitiarum olim indicium.	12
Tuliparum natura, historia, usus.	566 seq.	Vitæ in factu prima initia explicata.	651 seq.
Typographiæ natales illustrati.	560	Ughelli (Ferdin.) vita & scripta.	711
U.		Uhlii (Jo. Lud.) destinatum literarium.	264
Valckenaerii (Lud. Cusp.) in Grammaticos Græcos merita.	385 seq.	Victoris Tununensis loca quædam emendata.	464 seq.
Valerii (Cornelii) vita & scripta.	453	du Vigierius refutatus.	46
Valsalvæ (Ant. Maria) vita & scripta.	211 seq.	Virgilii Codex Medicæus luci destinatus.	239
Varronis locus emendatus.	703	De B. Virgine invocanda dogma Ecclesiæ Romanæ refutatum.	131 seq.
Vaticiniorum in Vet. Test. divinitas demonstrata.	357 seq.	Virgis cadendi reos mos antiquus.	15
Vestigialium medii ævi varia genera.	242	Vites an inter suppliciorum veterum instrumenta sint referendi?	295
Velthufii (Lamberti) vita & scripta.	453	Voetii (Gisb.) vita & scripta.	453
Venarum in corpore humano munus descriptum.	648 seq.	(Pauli) vita & scripta.	ibid.
Veneræus morbus unde? ejus curandi methodus.	469 seq.	De Voltairii conatibus philosophicis judicium.	88
Venerorum numi illustrati.	250	Vortices quomodo ad motus cælestium corporum explicandos adhiberi queant?	227
Venusiani hæretici qui fuerint?	261	Ad Vorticum cælestium figuram pertinens annotatio.	695
Vermes, Anatomicorum administri.	181	de Vries (Gerhardi) vita & scripta.	453
De Vermiculis in semine animalium judicium.	47	Urim & Thummim oraculum quærit	
Veslingii vita.	222		

RERUM NOTABILIORUM.

<i>quem in finem institutum?</i>		<i>humanarum sententia refuta-</i>	
	357	<i>tata.</i>	45 seq.
Urinæ <i>notitia Medico necessaria.</i>		<i>opera in Italia</i>	
	180	<i>recusa.</i>	306
<i>A Vulnere an se tutum praestare possit homo?</i>	40	Wolzogeni (Ludov.) <i>vita & scripta.</i>	453
Uytendogaarti (Jo.) <i>vita & scripta.</i>	453	Woolstoni (Thome) <i>vita & scripta.</i>	376
W.		X.	
Waltheri (Jo. Georg.) <i>in emendanda Chronologia sacra conatus.</i>	116 seq.	Xenophontis <i>locus emendatus.</i>	257 seq.
Wesselingius (Petrus) <i>laudatus.</i>	454	Z.	
Witsii (Herm.) <i>vita & scripta.</i>	453	Zanchii (Basili) <i>vita & scripta.</i>	712
Wolfii (Christ.) <i>de praesistentia corporum & animarum</i>		Ziegleri (Juc.) <i>vita & scripta.</i>	472
		<i>Historia Clementis VIII edita.</i>	ibid.

Operarum errores hi sunt notandi: *Pag. 44 lin. ult. pro* *rifibus leg. tristibus; pag. 165 lin. 30 ante nos ponendum per, &* *lin. seq. delendum per; pag. 247 lin. 2 pro etiaque leg. aliaque;* *pag. 267 lin. 26 pro aurum leg. aurem; pag. 281 lin. 33 pro 100* *leg. 1000; pag. 282 lin. 25 pro molendinariorum leg. aqueductuum* *molendinariorum; pag. 284 lin. 7 ita legendum: $\frac{Fh}{FG} : \frac{FH}{FG}$,* *seu $\frac{Fh}{FG} : \frac{FH}{FG}$, seu $Fh : FH$; pag. 295 lin. ult. pro militum* *leg. militum; pag. 307 lin. 6 pro indifferentiam leg. differen-* *tiam; pag. 318 lin. 9 pro 564 leg. 264; pag. 325 lin. 32 pro $\frac{1}{2}m$* *leg. $\frac{1}{2}m^2$; pag. 326 lin. 30 pro adeo leg. adeo; pag. 331 lin. 36* *pro deum leg. ad eum; ead. pag. lin. 37 pro cudi leg. reddi;* *pag. 448 lin. 21 pro leguntur leg. legantur; & pag. 385 lin. 4* *pro vocata leg. vocata.*

* * *